Rostocker Dokumentenserver
Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.
Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

Marc-Antoine Muret Johann Erhard Kapp

Marci Antonii Mureti, Presbyteri, Jcti, & Civis Romani, Orationes, Epistolae, Et Poemata

[Pars I.]

Hanoverae: Helwing, MDCCLXXIV.

http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn862961815

Band (Druck) Freier Zugang PUBLIC DOMAIN

1.2. m = 12 ℳ 20/x 38

2 Voll I/II

p. 1-2 Rbl

20

3202A

3

Rosenthal. Antiochon 1906.

Cq-3096/1(1)

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn862961815/phys_0002
DFG

Universitäts
Bibliothek
Rostock



Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn862961815/phys_0005
DFG

MARCUS ANTONIUS MURETUS



Vera quidem hæc: scriptis sed quam tamen exprimit ipse
Multò ea Mureti verior effigies.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn862961815/phys_0006
DFG

MARCI ANTONII MURETI,
Presbyteri, JCti, & Civis Romani,

ORATIONES,
EPISTOLAE,
ET
POEMATA,

Cum
Praefatione et insignibus augmentis
M. JACOBI THOMASII.
Sub calcem adiectae sunt
NUPTIAE PARISINAE
clɔ Iɔ LXXII.

Accessit nunc praeter appendicem,
editioni ultimae adiectam,
NOVA APPENDIX,
Quae nonnulla Mureti opuscula, nunquam in Germania adhuc vulgata, exhibet.

Cura
JOANNIS EHRHARDI KAPPII,
Eloquentiae in Academia Lipsiensi Professoris.

CUM PRIVILEGIO SERENISSIM. ELECT. SAXON.

HANOVERAE,
APUD FRATRES HELWING.
MDCCLXXIV.

Emil Förner

Universitäts-Bibliothek Rostock

1957. 3846.



PRAEFATIO NOVA.

Lectori Benevolo

S.

Præfationis affatim adiecerat huic opuſculo Vir quondam Clariſſimus, Jacobus Thomaſius, ut nihil foret neceſſe nunc denuo Te L. B. in limine hujus editionis morari, niſi res ipſa poſtularet, dandam eſſe operam, ut ne quenquam lateret Adnotationum paginis quibusdam hac demum editione ſubjectarum conſilium & ratio. Siquidem e re diſcentium eſſe viris harum litterarum intelligentibus exiſtimatum eſt,

si, quas studiose volutare solent adolescentes, Mureti orationibus, alia subinde similis argumenti, diversorum tamen auctorum jungerentur Artis dicendi specimina; ita enim tyrones, fido præsertim doctore præeunte, manibus quasi palpaturos, quantum ex oratoribus alius alio sit ab argumentorum vi & ponderibus instructior, in verborum & sententiarum selectu religiosior, in schematum & figurarum inventione ingeniosior, inque earundem applicatione non affectata judiciosior. Quæ quantum imitationem juvent, non temere quenquam ad hujus Artis adyta admissum fugere potest. Id igitur ut cuivis magis expeditum factu redderetur, voluimus digitum, quod dicitur, intendere, & commonstrare his Adnotationibus pedum viam qua foret incedendum. Duplex autem hac in re cautio nobis videbatur adhibenda: Primum ne pluribus e libris petenda essent, quæ commendarentur; tum ut ea facile parari a quovis possent, neque raritate aut caritate sua expetentium desideria nostramque frustrarentur intentionem. Utrique autem conditioni satisfactum putamus, dum commendavimus juventuti *Orationes Procerum;* Sub quo titulo collectæ diversorum, disertissimorum etiam virorum,

orationes

orationes anno superiori nostris sumptibus in publicum exierunt, quæ modico pretio venales prostant, ut etiam a tenuioris sortis hominibus comparari queant. Neque tamen his limitibus usum istarum orationum circumscribi, satis intelligunt, qui experiundo didicerunt, quantum a publico actu umbratica scholarum, ut nunc sunt, exercitamenta distent. Imo non incongrue Muretiani supplementi quoque vicem præstare possunt. Multa etenim supersunt Argumenta, de quibus dicendi nunquam se præbuit occasio viro eloquentissimo: quorum tamen exempla ex utilissima hac collectione petere licebit. Sic in genere Panegyrico, volumine quidem primo habes laudationem Sigismundi III. Poloniarum Regis; volumine altero Joachimi Pastorii Panegyrin Michaëli Poloniæ Regi dictam, Antoniique Malagonelli orationem in laudem Innocentii XI. Pontif. Rom. volumine postremo ejusdem Malagonelli Panegyricum Innocentii XII. Pontif. Romani, Chr. Gottlieb Schwarzii V. Cl. orationem Panegyricam, Josepho Romanorum Imperatori habitam, & in Supplementis istius voluminis Martini Ossolinii Panegyricum Sereniſſimo Poloniæ Regi

Augusto dictum; Gratiarum actorias numero XXXIII. LXXIII. CXXIV. CLIX. & CCVIImam. Expostulatorias II. VI. LXXV. CVIII. CXI. CLIV. CCXLVItam. Adhortatorias ad milites ante pugnam III. XLII. LIV. LXXXVIImam, aliasque suasorias magno numero; ut alia argumenta pulcherrima, quorum in vita civili usus se offert creberrimus, de industria nunc præteream. Sed vino vendibili hedera non opus; neque hic est locus commendando utilissimo instituto. Id saltem volebamus, quicquid in hac editione a nobis præstitum est, in gratiam studiosæ juventutis susceptum esse: quæ ut iis recte utatur, & fructus inde capiat uberrimos, id vero est, quod

ex animo vovemus.

Vale.



M. JA-



M. JACOBVS THOMASIVS

LECTORI BENEVOLO

S. precatur.

Quæ hic denuo, in usum præcipue Scholarum, prodeunt MURETI disertissimi Orationes, Epistolæ, Poëmata, *LECTOR BENEVOLE*, toties ea jam typographorum operas fatigaverunt, ut nesciam, paremne ullum ea in re Auctor hic e sui similibus habeat; superiorem certe, quod resciscere licuerit mihi, nactus est neminem. Neque iis tantum in locis cupidos expertus est librarios, quæ cum ipso eandem profiterentur religionem, ut Coloniæ, ut Moguntiæ, ut Ingolstadii: sed in his etiam regionibus nostris, qui per DEI gratiam a B. Luthero meliora docti puriorem Evangelii vocem complectimur. Nempe didicimus etiam eam, quæ in hoste conspicua est, virtutem venerari; neque unquam nobis barbarus ille & ab omni huma-

manitate alieniſſimus placuit mos Jeſuitarum, qui, ſi quid eſt a noſtris hominibus profectum, quod ipſi nec improbare queant, &, ſi animi ſententiam eloqui jubeantur, vel eximia laude dignum cenſeant: tamen aut plane aditum illi ad ſuas officinas intercludunt, aut non niſi diſſimulato autoris nomine vulgari apud ſe patiuntur. Nobis vero mitiora pectora DEUS inſpiravit. Non modo libenter utimur, ſi quid etiam ab inimico utilitatis capere liceat: ſed grati etiam nomen ejus, per quem profecerimus, enunciamus. Imo ſi contingat veris falſa, probis heterodoxa miſceri, ne conqueri quisquam de fide noſtra queat, tanquam truncata (quod illi ſolent hoſtes noſtri) pro integris, lacera pro ſolidis daremus: qualia e cujusque calamo effluxerunt, talia novis typis excudi curamus, ſatis habentes, ſi aperte teſtati fuerimus, eloquentiam nos aut alias dotes probare, ſectam deteſtari. Id quod in prima ſtatim, quæ hac in urbe, ſeculi currentis anno decimo nono, lucem aſpexit, hujus operis editione a *Iohanne Friderico*, Linguarum & Hiſtoriarum Profeſſore publico etiam poſt mortem celeberrimo, præſtitum, par eſt hic a nobis repeti, & iterum inculcari. Sic autem ille: a) *Cum ſcriptis illis per Autorem Pontificium admixta reperiantur quædam manifeſtis Romanenſis Eccleſiæ erroribus imbuta: admonendum putavimus ſtatim in hoc veſtibulo lectorem Chriſtianum, operis huius editione non religionis quæri veritatem, quam aliunde hauriendam ſinceræ pietatis ſtudioſi norunt: ſed puritatem & elegantiam orationis latinæ, quam etiam in rebus factisque minime probandis, quoties de iis aut dicendi aut ſcribendi vel occaſio vel neceſſitas ſe offert, negligi non oportet. Quicquid igitur in hoc volumine a ſinceriori Evangelica & hiſtorica veritate alienum*

a) Præfat. ad Lector.

num reperitur, eo neque pius Lector offendatur, neque exultet temere Pontificius, quasi ejus videamur opinioni per hanc editionem ullo modo suffragari. Ergo quæ veritati Religionis nostræ adversa loquuntur vel Muretus, vel alii, quorum intercurrunt scripta, ea non magis comprobamus, quam quoties Ciceronem aut Virgilium formulis novis describimus, gentiles ipsorum idolomanias. Neque tamen penitus exterenda sumus arbitrati. Tam invictum fidei nostræ robur est, tam sibi secura firmitas, ut nihil periculi juventuti nostræ metuamus, sive Ciceronem legenti, ab Ethnica, sive Muretum, a Pontificia lue. Tantum teneræ ætati, Oratorem hunc nostrum tractanti, eruditus adsit Magister, qui quoties ille Divos invocat, quoties purgatorii flammas loquitur, quoties Vejovem suum Romanum divinis honoribus mactat, quoties in alienam a sua fide professionem detonat, toties hominis inimici voces illas, & a vero aberrantis esse admoneat: tantum, inquam, cautio isthæc scholis inferioribus necessaria interveniat: nulla nobis formido est, ne ut in aures verba, sic in cor opinio scribentis descendat. Metuant Papicolæ scripta nostrorum. Nobis illorum non perinde sunt formidolosa. Nempe tenebrarum est, lucem extimescere; luci quidem tenebras inspicere grave non est. Itaque causam isti habent, cur Scholis suis & Ethnicorum permittant libros, & nostrorum hominum interdicant. Nam ipsorum religio & Ethnicæ comparata, quoniam Christiana est, radiis micat; & nostræ, quoniam fœdissimos errores, & in his ipsorum Gentilium simillimos, miscet, caliginis ingenium habet. Quanquam quod illi adeo aversantur nostra, non a metu est solo, sed ab odio etiam. Quo plus jam Vatiniano persequi nos illa maxime Societas solet, quæ sanctissimo JESU nomine ad conciliandam suis flagitiis autoritatem nefarie abutitur. Cui ordini cum & Muretus nomen dedisset, mirandum non

est, si his etiam in libris alicubi prodat in alienæ religionis homines acerbitatem animi: ut cum Nathanem Chytræum, a quo blandissimis compellatus litteris (b) fuerat, indignum tamen habet solius religionis nomine, cui responderet (c). Sed ea quidem atrocitas odii nos, qui etiam inimicos diligere jussi sumus, offendere nequaquam debet. Itaque ignoscimus illi, neque patimur, nos in eum simili furore accendi, aut istius vitii contemplatione oblitterari veras hominis virtutes, quæ hactenus ipsum nobis commendavere. Neque tamen illa durities penitus hoc loco dissimulanda fuit, ne insultent nobis adversarii, quasi vel justitiam tantæ iracundiæ tacite agnoscentibus, vel sentiendi facultate omni destitutis. Sed fuerit in nos Muretus, qualem formaverint illi (scilicet) mansuetudinis Christianæ magistri: in arte profecto dicendi, cujus maxime gratia carus ipse nobis est, eximium confitemur; non quod hic plane nihil habuerit nævi, (non enim ubique abstinet ab ethnicis jurandi formulis, ac nescio an non in Orationibus quandoque periodos plus æquo prolixiores accusare liceat,) sed quod non reperias temere, quem illi, si virtutes eloquentiæ congregatas spectes, quæ sane sunt multæ, anteponas. Perspicuus ipsi sermo fluit & purus, & concinnis verborum suavibusque numeris aptatus. Porro quam elegans ubique dictio est! quæ venustas in tropis! quæ in figuris deliciæ! quod

(b) Quæ leguntur lib. I. (quem ipse Muretus edidit) Ep. 50. p. 499.

(c) Vid. lib. eod. ep. 91. p. 555. Sed cur non & indignum habuit, cujus epistolam ipse primus vulgaret? Nempe quia laudabat Muretum. Verum hoc transeat. Acerbitatis indicia similia capere licebit e lib. I. Ep. 14. p. 442. ubi de Petro agitur, ut interpretamur, Carnesecca; & lib. III. Epist. 77. p. 729.

quod robur in sententiis! Neque rerum ubertatem desideres, quoties ea, quod in orationibus postulatur maxime, opus foret. Jam in carmine pangendo quanta felicitas! Sive enim Elegiam scriberet, sive Epos, sive Oden, sive Epigramma, sive Scenæ aliquid accommodum: optimi cujusque in quolibet genere magistri (d) nativam indolem agnoscas. Accuratior tamen exprimendo comicorum socco fuit habitus, quam tragicorum cothurno. Itaque cum *versiculos* aliquos, ab se conscriptos, *Trabeæ affinxisset* Comico veteri; tam gemellus ille supposititius partus apparuit vero, ut acerrimo etiam talium censori Josepho Scaligero fraus illa fuerit persuasa (e). Sed vicissim evitare non potuit, quin ipsum, cum *Julium Cæsarem* efformaret *Tragœdiam*, docti Viri (f) pedem in socco habuisse, & ad comicam dictionem subsedisse censerent: quanquam hoc ætati, qua Tragœdiam illam juvenis admodum scripsit (g), merito ignoscas. Sit hoc interim positum, non ab uno eum scriptore, cujus vestigia sequeretur, pependisse. Nempe ut multorum in se virtutes ipse unus colligeret, quicunque prisci latinæ facundiæ laude florerent, in his, quod haberet pretiosissimum quisque, id sibi putavit pro viribus imitandum. Nec enim uni Ciceroni, (ut de Orationis soluto

(d) Multum operæ se jam inde ab adolescentia posuisse in Tibulli ac Propertii virtutibus imitandis, fatetur ipse lib. II. epist. 12. p. 692.

(e) Vide lib. I. Poëm. n. 60. p. 45. 46.

(f) Heinsius de Const. Tragœd. p. 235. quem & vide p. 206. Voss. lib. II. Inst. Poët. c. 14. p. 72.

(g) Vide locum Scaligeri, quem dabimus infra lit. at.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn862961815/phys_0017
DFG

ſoluto genere loqui pergam,) mancipare ſe, (quanquam huic quidem præcipue ſimilis eſſe laboravit,) ſed ex aliorum quoque lectione proficere voluit, qui poſt Ciceronem ora in ſe atque ſtudia hominum convertiſſent. Sane ſervile illorum, ridiculeque ſuperſtitioſum ſcribendi genus, qui cane pejus & angue fugiunt, non omne modo vocabulum, ſed omnem quoque loquendi formulam, cujus autorem laudare Tullium, aut illi forte quendam æqualem non poſſint, Mureto, cum ſapere cœpiſſet, neutiquam ſe approbavit. Cujus rei non luculentior nobis teſtis eſſe, quam ipſe, poteſt. Sic autem ſcribit in Variis (h): *Diu & ipſe in eo errore verſatus ſum, ut, niſi qui aut Ciceronis ætate, aut paulo ante vixiſſent, aut certe illi ſuppares fuiſſent, non ſatis dignos eſſe arbitrarer, quorum exemplo, qui latine aut ſcribere aut loqui vellent, niterentur. Sed poſtea, re tota mecum accuratius conſiderata, viſus ipſe mihi ſum nimio plus mihi ſumere, qui de Seneca, Livio, Valerio, Celſo, Quintiliano, Columella, utroque Plinio, Tacito, Suetonio, Vellejo, Q. Curtio, Lactantio, aliisque ejusmodi ſcriptoribus, quos & ab iis ipſis temporibus, quibus latina lingua floruiſſe diceretur, propius adfuiſſe, & ſuo quemque ſeculo diſertiſſimos habitos eſſe conſtaret, temere pronunciare auderem. Certe enim neque quisquam unquam veterum eos male latine locutos eſſe dixit, neque nos, tam longo intervallo, valde boni ejus rei exiſtimatores ſumus. At multa ſimplicia vocabula, multa etiam loquendi genera in eorum libris leguntur, quæ apud Ciceronem & ejus æquales nusquam reperias.* Quid autem vetat, quo minus lepidam quoque rem, quam paulo poſt (i) narrat Muretus, ex eodem hic cognoſcamus?

(h) Lib. XV. c. 1. p. 390. (i) p. 391. 392.

mus? *Ut magis*, inquit, *intelligas, totum hoc e ſtulta quadam opinione pendere; ſcito multos ex iſtis inepte faſtidioſis, quibus, qui quid dicunt, quod Ciceronis non ſit, meros lapides loqui videntur; quibus, ut olim athletis in arenam deſcendentibus, circumdandæ eſſent amphotides, quoties in publicum prodeunt, ne delicatæ ipſorum aures vocum non Ciceronianarum ictibus contunderentur, ſæpe eſſe a me magna cum voluptate deluſos. Nam cum voces quasdam obſervaſſem, Ciceronis quidem illas, ſed minus contritas, neque a Nizolio in illum præclarum Indicem, qui ipſorum obruſſa eſt, relatas: admiſcebam eas de induſtria orationi meæ, cum ad me audiendum amici quidam hoc, de quo loquor, morbo laborantes veniſſent. Illi ut earum quamque audierant, cervicem contorquere, humeros attollere, frontem contrahere, alius alii in aurem inſuſurrare, excuti ſibi cerebrum, perire aures, cum talibus vocibus verberarentur. Quin etiam cœtu dimiſſo, cum me, ut fit, officii cauſſa domum reducerent, male ſe a me habitos atque acceptos eſſe conquerebantur. Ego aliquandiu eos ambiguo ſermone fruſtratus, tandem ſponſione laceſſebam, ni illæ ipſæ voces, quibus auditis caput ſibi condoluiſſe dicerent, ipſius Ciceronis eſſent. Quid quæris? cum id ita eſſe pervicisſem, jam voces illæ omnem duritiam atque aſperitatem depoſuerant; jam lenes, ſuaves, jucundæ factæ erant, &, ut lupini aqua macerati, omnem amaritiem exuerant, ſimulatque eas Ciceronis eſſe conſtiterat.* Contra hoc hominum genus ubi plura noſter declamaviſſet, hæc porro ſubnectit (k): *Quid tu igitur? inquies. Ex omnibus antiquis ſcriptoribus nullo diſcrimine verba, quibus utare, depromes? Imo vero, adhibebo judicium, habebo delectum: &, cum ex iis potiſſimum, qui antiquitatis quoque ipſi principes viſi ſunt, Cicerone, Cæſare, Terentio, aliis quamplurima ſumpſero; cum orationis meæ genus ed eorum exemplar, quam maxime*

(k) p. 394.

maxime potuero, conformaro: ex aliis quoque bellissimum quodque carpam, &, quo quisque maxime excelluisse videbitur, id imitari atque exprimere conabor; neque in iis modo, quos paulo ante nominavi, sed in Tertulliano, Arnobio, Hieronymo, Augustino, Ambrosio, &, quod magis mireris, Appulejo, Cassiodoro, Martiano etiam & Sidonio Apollinari, multa reperiam, quibus suo loco positis, oratio uberior & ornatior fiat. Tibi quoque Dari (cum Dario enimBernardo quod intercesserat sibi colloquium narrat,) *auctor sum, ut idem facias, inprimisque ut ne eorum stultitiam imiteris, qui usque eo antiquitatis studiosi sunt, ut voces quoque Christianæ religionis proprias refugiant, & in earum locum alias substituant, quarum nonnullæ etiam impietatem olent; qui non* fidem, *sed* persuasionem; *non* sacramentum corporis Dominici, *sed* diris devovere; *non* Angelos, *sed* Genios: *non* baptizare, *sed* abluere *dicunt, aliaque eodem modo depravant, qui, ut opinor, nisi sibi metuerent, etiam pro* CHRISTO Jovem Optimum Maximum *dicerent: est enim magis Ciceronianum.* Satis hæc nobis de stilo sententiam declarant Mureti. Et persuadere tamen Caspar Scioppius (l) audet nobis, *nihil minus de imitatione statuisse Muretum, quam quod verbis præ se ferre fuit solitus,* puta eum (m) *stultitiæ, temeritatis & arrogantiæ minime ferendæ eos condemnet, quibus verba loquendique genera ab istius,* (cujus Fabius fuit Quintilianus,) *ætatis auctoribus usurpata, quoniam apud Ciceronem & æquales ejus non exstent, ei, qui diligenter*

(l) Judic. de stilo historico p. 64.

(m) Quod paulo ante præcedit apud Scioppium, & vix aliunde depromptum videtur, quam ex illo Mureti, e quo hactenus descripsimus, capite Variarum, licet ipse Scioppius nullum certum designet Mureti locum.

ligenter latine loqui velit aut scribere, imitanda non videntur. Sed unde fidem, obsecro, Scioppius nobis facit, aliud ista scribenti Mureto in mente fuisse, quam quod profiteretur calamo? *Manifestum enim est*, inquit, *omnibus, qui libros ejus legunt, nihil eum magis cavisse, quam ne a Ciceronis & æqualium ejus imitatione, non modo quoad contextum verborum sive compositionem, sed etiam, quod ad ipsa verba loquendique genera attinet, vel tantillum discederet. Fatentur etiam omnes, tam feliciter & ex sententia suum ei studium illud processisse, ut non modo posteriorum, sed ne illorum quidem ullus, qui Ciceronis ætati suppares, ac finitimi fuerunt, puritate & elegantia eum vicerit. Sed verebatur scilicet, ne quid aliquando sibi excideret, quod Tullliana puritate minus dignum foret, ipseque nonnullam ex eo existimationis apud Italos jacturam faceret.* Cumque caussam tale quid metuendi non unam fuisse Mureto, Transalpino videlicet homini, magna cum verborum profusione docere conatus fuisset Scioppius, sic denique sententiam suam concludit: (n) *Cum igitur haud fugeret Muretum, si quid excidisset sibi, quod in Tullio cæterisque primæ classis Auctoribus non exstaret, aut saltem limatissimo hominum Italorum judicio ab Auctorum illorum puritate desciscere videretur, magno se fore* (in) *periculo partam eloquentiæ laudem amittendi: hoc modo prudenter sibi cavere visus est, si quorum sententiam opera ipsa probabat, ab iis saltem verbo dissentiret: sic enim paratam sibi semper excusationem fore, se verbis, quæ minus locupletes Auctores habere videantur, non errore, sed judicio ac scientem uti. Grammaticus enim, ut ait Seneca, non erubescit, solœcismum si sciens faciat; erubescit, si nescius.* Hoc vero non est rem, quam vocare

(n) p. 75. 76.

care velis in dubium, firmo aliquo argumento probare, sed somnium aliquod suum narrare. Cui facile sit nobis, si somniando confici res debeat, simile, sed quod a vero fortasse propius absit, somnium opponere. Dicemus enim, doluisse Scioppio, cum videret, illam Tullianam servitutem, quam ipse tantopere exoscularetur, omnibusque pro facundiæ latinæ apice persuasam cuperet, adeo contemptim haberi a Mureto, maximæ viro in eloquentia celebritatis; ergo ut in suas ipsum partes vel invitum raperet, conatum esse, & simulatorem feciisse sententiæ non suæ: sive quod ipse Scioppius hoc ita esse, mutata priore sententia, crederet, (quæ enim grata sunt nobis, haud difficulter ea nobis persuademus,) sive quod hoc saltem ab aliis credi, (ut fuit homo callidus,) opinioni suæ conducere arbitraretur. Valeant somnia: rem ipsam videamus. Suspicabimur ergo, veritum esse Muretum, ne qua sibi vox imprudenti excideret non Ciceroniana? qui Ciceronem sic trivisset, ut in numerato haberet non observata modo, sed & præterita Nizolio vocabula; qui non modo quæ vox frustra in libris Tullii quæreretur exploratum haberet, sed &, cujus ergo eadem foret, autorem citare non unum posset. *Nam de illo CÆLITUS*, inquit, (o) *me quoque olim reprehensum memini a quodam, qui nisi quod Ciceronis esset, nihil latine dici putabat. Itaque irridebat me, non modo cum citarem Servium, qui versum illum e primo Georgicon:*

Si te digna manet divini gloria ruris,

ita exponit: si tibi id concessum est *cælitus*, ut gloriam ruris habeas: *sed etiam, cum multo meliorem istis omnibus Ciceronis imitatorem Lactantium, cujus hæc sunt*

(o) Loco supra citato XV. Var. Lect. I. p. 389.

sunt e libro V. Institutionum: Nemini dubium potest esse, quin is doctor, qui *cælitus* mittitur, tam scientia sit rerum omnium, quam virtute perfectus. Cui ergo tam exquisita constitit talium quoque minutiarum ratio; eum nos ita meticulosum fuisse existimabimus? Age vero, demus Mureto, (nihil enim humani ab se alienum putare debuit,) metum illum, ne quid loquendo peccaret, auctoritate Tulliana defendere non posset: quænam sic peccanti crux fuit proposita? Si Scioppium audimus, illa, ne Ciceroniani hominis existimationem perderet apud Italos. Quasi vero aut unquam laboraverit Muretus numerari inter illa Ciceronis mancipia, aut horum, sive Itali essent, sive Hispani, de se judicium fecerit magni: quos palam potius *inepte fastidiosos* appellantem, suaviter *deludentem*, *stultitiæ* arguentem paulo ante audivimus. Verum & hoc largiamur Scioppio, voluisse omnino Muretum & illis accenseri simiolis Tullianis, & apud hos hanc ipsam sibi laudem conservare: quid hanc ad rem excogitari potest ineptius, quam contraria omnia non voce tantum, sed exemplo profiteri, & factum hoc adversus obloquentes defendere, idque non lusus gratia, (nullum enim in illa tota narratione joci vestigium est,) sed ut rem maxime seriam. Solent tamen, inquit Scioppius, Grammatici a solœcismo, si scientes faciant, non metuere laudis, quam affectant, imminutionem: quare Muretum quoque credibile est, si qua sibi contaminata vox elapsa esset forte, id egisse, ut saltem, quod imprudens fecit, putaretur sciens fecisse, ne cogeretur erubescere. Inscita comparatio! Grammaticus, si hallucinatus est, ut existimationem suam tueatur, fatetur solœcismum, non defendit serio; joco se ait fecisse, aut studio explorandi, num satis subactas aures attulerint Auditores. Nihil horum Muretus. Quoties ea

locutus esset, quibus, quod ex Tullio hausta non forent, alii tanquam lapidibus auriculas sibi contundi quererentur: non agnovit, se lapides pluisse, neque ludendi consilio tentandive animo factum excusavit, sed morbum reprehendentium se arguit, quibus lapides conferentur, qui floſculi essent, quibus præ Ciceronis insano amore Tacitus, Curtius, Lactantius velut barbari forderent. Necesse est ergo fateamur, aut vere sensisse Muretum, quod præ se tulit, aut Simiæ Tullianæ gloriam absurdissima ratione custoditum iviſſe. Quam ridendi stuporis notam si recuset Muretus, concludemus, eam Scioppio, cui tanta ista defensionis absurditas prudens cautio est, jure meritissimo deberi. Nos vero somnium hominis omittamus tandem, & ad vigilias nostras veniamus.

Cum ad novam Orationum, Epistolarum, Poëmatum Mureti editionem conferre aliquid rogaremur, unde prioribus eam & emendatiorem esse & auctiorem vere liceret pronunciare: ante omnia prospeximus nobis de *Ingolstadiensi* editione. Hanc enim & Lipsiensis olim nostra semel jam iterumque repetita, expressit, & cæteris, quas quidem videre nobis contigit, emaculatiorem esse, visi sumus ipsi, dum inter se multas conferimus, non rarissime deprehendere. Sane *M. Joannes Crœselius Vilseccensis*, cujus ad Lectorem anno 1592. scripta Ingolstadii præfatio legitur, (p) *studio*

(p) Præfixa Tom. I. Orationum &c. Mureti, quæ postea & in edit. Ingolst. anni 1599. conservata fuit.

dio ac diligentia non parva emendatum ab se & locupletatum utrumque Mureti Tomum profitetur. Nec alibi prius, quod pervidere licuerit nobis, quam Ingolstadii, *Adamo Sartorio* excudente, Orationum, Epistolarum, Poëmatum Mureti ea prodiit copia, quæ hactenus censeri meruit locupletissima: ut hac in re matrem editionum sequentium plerarumque appellare possis Ingolstadianam. Ejusdem officina *Sartorii* anno hujus seculi secundo, mensibus vero, si tempus dedicatoriis adscriptum epistolis sequimur, partim Aprili, partim Octobri varios dedit in Aristotelem, Platonem, Xenophontem, Ciceronem, cum quibusdam e græco interpretationibus, *Commentarios Mureti.* Apparet autem e dedicatoriis, tum duabus, quas modo diximus, tum illa, quam utraque priorem Sartorius idem (q) Secundo Orationum, Epistolarum, Poëmatum Volumini præfixit, in his Mureti scriptis universis tum conquirendis diligentiam, tum communicandis benignitatem singularem *Marci Velseri*, Reipublicæ Augustanæ Duumviri, alicubi & *Andreæ Schotti*, enituisse. Atque ut hi viri ne per nos priventur debita suis virtutibus laude, verba ipsa in hanc rem Sartorii adscribamus. E Dedicatoria Voluminis II. ad ipsum Velserum: *Abundant his* (orationis luminibus & ornamentis) *Mureti, quæ posteritati reliquit, volumina. E quibus alterum Orationum jam* (A. 1600.) *in lucem se tertium effert, cum præclaro variorum opusculorum*

(q) Soli quidem Dedicationi Commentariorum Mureti in Aristotelis Nicomachæa &c. diserte subscriptum est Sartorii nomen: sed quin idem & cæteras duas, quarum altera Commentariis Mureti in Rhetoricos Aristotelis libros &c. altera Orationum &c. Volumini II. est præfixa, curaverit, nulla dubitandi est caussa.

prius aut nunquam, aut in Germania certe quidem non visorum comitatu. Quorum editio, & qui inde amæniorum studiosos litterarum manabit fructus, tibi, Marce Velsere, *Duumvir Amplissime, debet magnam partem in acceptis referri: quippe qui tanti viri reliquias partim a te studiose collectas, partim ab amicis acceptas, magnaque cura conservatas non tuas esse solius voluisti, sed quæ vis bonitatis est atque natura, communes omnium, qui earum desiderio tenerentur & amore devincti. -- Debentur tibi & Publii Syri Mimi emendati, recogniti, aucti & locupletati post omnium editiones, ut quam maxime, & diligentissime, ope Codicis Frisingensis calamo exarati, qui beneficio tuo ad nos pervenit. Reddimus igitur, quod debemus.* E dedicatoria (r) Commentariorum in Aristotelis Nicomachea, & quæ annectuntur: *Hæc ipsa elegantissima opuscula, quæ hic typis excusa damus, perierant, nisi illa* Andreas Schottus *Societatis JEsu, Mureti admirator, ex sparsis schediasmatis, quorum multa ipsius Mureti manu exarata erant, collegisset, thesaurique loco conservasset. -- Quæ bono publico litterario hic damus si non emendatissime, ut voluimus, causa est, quod sparsa folia Sibyllæ fuerint, male habita, lacera, exesa, uno verbo, jamjam interitura, nisi, de quo dixi,* Schottus, *& nobilis Amplissimusque Dominus* Marcus Velserus, *Duumvir Augustanus, illa ab interitu vindicassent. Quibus tanto majores gratias habemus, quanto majore amore omnes docti omnia Mureti amplectuntur, maxime ea, quæ lucem nusquam unquam viderunt: inter quæ propediem etiam quæ supersunt -- dabo: ut sunt Commentarii in primum & secundum Rhetoricorum Aristotelis, in Ciceronis libros quinque de finibus, in primum Tusculanarum, in Orationem pro Dejota-*

(r) Ad Matthiam Fuggerum Baronem in Kirchberg.

Dejotaro, in Officia Ciceronis. Atque hæc in ipsorum Dedicatione (s) vocat *posthuma Mureti, quæ suppeditaverit Bibliotheca* Velseri. *Quorum pars,* inquit ibi porro, *nunc primum lucem aspicit, a mortis limine revocata; pars in Germania, nisi fallor, nunc primum in luminis oras exit.* Atque ex his ipsis Mureti Commentariis licuit nobis Orationum quidem secundum Volumen, (t) Epistolarum vero librum tertium (u) in hac nova editione nostra locupletare. Accesserunt enim inde præter duarum Orationum appendiculas Orationes quinque, Epistolæ autem duæ. Hic mirari veniebat in mentem, cur non idem ante nos jam olim tentaverit *Sartorius*, cui hoc certe ex propria, ut ita loquar, penu facere, saltem per eruditum aliquem curare, integrum fuit: cum in manu sit nobis etiam anno 1603. officinam ejus egressa secundi Voluminis editio, quam ita necesse est Commentariis, a quibus adjuti nos sumus, esse posteriorem anno scilicet ante (x) vulgatis. Sed constitit illi fortasse ratio sui facti. Nobis caussa non fuit, cur non adderemus, quicquid Epistolarum Mureti, quicquid Orationum, cæteris, quæ jam erant vulgatæ, similium, aut cum iis justa ratione cohærentium, daret se nobis in manum, præsertim cum isti commentarii jam dudum librarias tabernas deseruerint. Interea satis, opinor, sic declaratum est, cur editionem novam molientibus nobis carus esse debuerit Ingostadiensis

(s) ad Berchtoldum liberum Baronem a Wolckenstein.

(t) Quære infra lit. *bu.*

(u) Perge quærere lit. *da.*

(x) Regredere ad ea, quæ paulo post litteram *p.* dicta sunt: *ejusdem officina.*

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn862961815/phys_0027
DFG

codex. Cum vero in eadem illa urbe jam seorsim Epistolæ Mureti, jam Orationes, jam credo & Poëmata, jam horum omnium quasi corpus integrum, idque repetitis aliquoties vicibus prela sit expertum: nos eam, quam chalcographis utendam exhibere commode possemus, nacti editionem sumus, quæ anno 1599. ejus, quod diximus, Corporis Volumen primum, sequente alterum publicæ luci exposuit: sic satis probam & illam quidem, talem tamen, ut subinde & oculos ea posceret nostros, qui alios, quorum esset copia, codices consulerent, & manus, quæ alibi mendas extergerent, alibi bis excusa (y) semel delerent, alicubi & omissa (z) accerserent aliunde. Quod si præstitam a me in emendando haud perfunctorie diligentiam non ubivis accurate satis imitatæ sint operæ, & mihi excusationem ab æquo Lectore promitto, & his veniam exoratam, (spero enim intra modum peccavisse,) cupio. Cæterum, dum varias, quas hinc inde conquirere datum fuit, editiones inter se comparo, quidque desiderari possit in singulis, observo, sæpe, fateor, optavi universis aliqua prodiisset curatior. Nam ut de solis Ingolstadiensibus (aa) dicam, quæ cæteris videntur hoc in genere minus negligenter habitæ, negari utique (alia nunc mitto,) haud potest, *Psalmi quinquagesimi primi* paraphrasin lyricam, Carmen item heroicum, quod ad filium fratris a Mureto scriptum *puerilem institutionem* complectitur, bis in illis inveniri, semel Poëmatum

(y) Non ea tantum in Poëmatis, de quibus paulo post, sed & in Epistolis lib. II. duas Epistolas 79. & 90. quæ ibi redeunt num. 91. & 92.

(z) Ultima Poëmata Voluminis primi.

(aa) Etiam ea, quam prima Lipsiensis secuta est.

tum Volumine primo, iterum secundo (ab). Quod futurum non erat, si justa fuisset adhibita circumspectio. Proserpsit hæc labes in Lipsienses quoque nostras, & a prima est propagata in cæteras, haud dubium quin ex opinione, sed ea falsa, quam de se excitaverant Ingolstadienses: jam aliquoties recusæ, tanquam talium nævorum suspectas illas habere nefas foret. Factum enim inde reor, ut illa rem omnem examinandi cura nemini imponeretur: ne quis forte accusandum hic putet laudatissimæ, dum viveret, industriæ Virum, *Joannem Friderichum*, cujus ad Lectorem compellatio in Lipsiensibus primis exhibetur. Nec enim aliud illi, quod sciam, datum negotium fuit, quam testandi, dum Pontificius scriptor in his etiam regionibus excuditur, non simul ejus in religione approbari errores. Ergo curationem eorum, quæ hactenus vitium fecissent, passi sumus imponi nobis. De universo autem opere affirmare hoc valemus, nihil eorum, quæ in prima Lipsiensi comparent, (neque sequentes addiderunt quicquam,) fuisse a nobis prætermissum, si compellationem, de qua modo dictum, Friderichi, (ac) si item Ingolstadienses Typographi (ad) præfationem excipias; addita vero, quæ id mereri sunt visa; ordinem denique nonnullibi justis ex causis fuisse immutatum. Sed hæc magis intelligentur ex iis, quæ jam ad singula dicentur.

Oculiferium toti operi non videbatur nobilius proponi posse, quam ipsius *Autoris effigies*. Eam

(ab) Clarius hæc intelligentur e dicendis lit. *de*.

(ac) Hanc etiam ante nos omisit edit. Lipsiens. An. 1660. Nobis id magis licuit, qui summam ejus supra jam dederimus lit. *a*.

(ad) Adami Sartorii, præfixam Volum. II. Respice ad lit *q*.

sumus & nunc, uti haud ita pridem (ae) in Manutianis Epistolis factum, e Museo Historico Joannis Imperialis (af) mutuati. Qui & distichon ministravit, (ag) imagini subscribendum, incerti quidem illud Autoris, sed breve & commodum.

Quod ab hac præfatione nostra proximum legeretur, esse non immerito debuit *Vita Mureti*. Minus bene rejecta hæc alias erat in Voluminis demum Secundi principium (ah). Retinuimus autem, qualem ex Oratione funebri *Francisci Benci* collegit *Andreas Schottus*. Nam hoc satius videbatur, quam totam, quod Colonienſis Orationum editio (ai) facit, & alia item Lugdunensis (ak), Orationem Bencianam (al) transcribere. Jam & alii occurrebant quidem, a quibus vita Mureti relata esset in litteras, ut *Joannis Imperialis* (am), quem paulo ante nominavi & *Janus Nicius Erythræus* (an). Sed ab his Bencianam narrationem sede moveri, cui sua ipsi bonam partem deberent, æquum non putavi. Laudibus tamen, quibus hi Muretum affeciſſent, inter elogia reliqui locum. Poterant, fateor, vel ex Epistolis Mureti congeri plura, quæ ad ejus vitam pertinerent: sed nec ea magnopere necessaria erant, &, si qui minutias hoc in genere amant, his non erit difficillimum desiderio suo, ubi alias perlustra-

(ae) A. 1669.
(af) p. 110.
(ag) p. 112.
(ah) puta in Ingolstadiensibus & Lipsiensibus. Nam Moguntina anni 1615. Orationum Volumini primo recte præmittit.
(ai) anni 1601, in 8. Volum. II. p. 165.
(ak) anni 1613. in 12. p. 564.
(al) initium ejus: *Triste sane atque acerbum.*
(am) d. l. p. 211.
(an) Part. I. Pinacoth. p. 11.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn862961815/phys_0030
DFG

luſtrabunt eas epiſtolas, vel aliud agendo mederi. Id vero nequaquam reticendum hic nobis, non ſtudio labefactandi aliena, ſed amore verum eruendi compulſis, Benciana quædam refelli in fabulæ Burdonianæ confutatione a Joſepho Scaligero (ao). Occaſio hæc fuit: Caſpar Scioppius, ut Joſephum Scaligerum, Patri ſuo, cum Aginnum veniſſet, neminem fuiſſe, quocum ſermonem de litteris fereret, perhibentem, falſi convinceret, ad Bencium provocaverat, qui Muretum ibi habuiſſe, miſiſſet in litteras (ap). Hanc a ſe criminationem ſic amolitur Joſephus (aq), (libet enim locum integrum deſcribere): *Quam vera autem de Mureto dixerit, idque Bencii teſtimonio confirmare conetur, eum tunc Aginni degiſſe, argumento fuerit annus is, quo Oratio* (Julii Cæſaris Scaligeri Patris) *in Eraſmum, una cum ea Epiſtola*, (qua queritur, in illa litterarum vaſtitate neminem habere ſe, quocum caput conferat,) *edita fuit. Qui cum eſſet Chriſti M. D. XXXI. Muretus tunc erat tantum annorum quinque, & in Lemovicibus agebat. Bencius autem vir doctus, & amœni ingenii, qui ſi viveret, neque Amphitheatro* (Scioppii) *Tartareo, neque ejus ſtructoribus ſociis ſuis faviſſet, multa per conjecturam de Mureto dixit, tum incredibilia, quam a vero remota. Cujusmodi illud,* Muretum adoleſcentulum Aginni docuiſſe (ar). *Res ita habet: M. Antonius Muretus annos natus XVIII. Aginnum venit Julii ſalutandi cauſſa: unde digreſſus, ad Auſcios No-*

(ao) Hic enim Confutationis illius, cui alias nominis alieni *I. R. Batavi, Juris Studioſi*, (videlicet ut *Janus Rutgerſius* intelligeretur,) notas præfixerat, verus autor eſt: quem ſe ipſe Joſephus, confitetur tum alibi, tum clariſſime Epiſt. 433. quæ Grutero inſcripta eſt p. 793.

(ap) Quære in Vita Mureti lit. *d.*

(aq) Confut. Fab. Burdon. p. 450. ſeqq. Ed. Lugd. 4. 1617. cum aliis.

(ar) iterum in Vit. Muret lit. *e.*

Novempopulaniæ ſeſe contulit. Ubi in Collegio Archiepiſcopali Ciceronem & Terentium docere cœpit, quo tempore Eclogas in laudem Cardinalis Armeniaci (as) & Tragœdiam ſuam Julium Cæſarem (at) *in illa urbe edidit. Hinc profectus in oppidum Nitiobrigum, cui nomen Villanova, ditiſſimi Mercatoris de Brevant liberis præfectus, in ſchola publica illius oppidi auctores latinos interpretabatur. Anno autem ætatis ſuæ XX. cum illis pueris, diſcipulis ſuis, Aginnum ſecundo venit, Julium ſalutandi cauſſa, ſemel antea viſum, ſed ſatis notum litterario commercio: eosque pueros cum Mureto Joſephus* (au) *meminit domi vidiſſe ſe annos natum ſex. Bis aut ter poſtea exceptus hoſpitio a Julio, idque diem unum aut biduum, tantum ingenii ſui præſtantiam, cujus ſpecimen per litteras duntaxat, dederat, colloquio familiari comprobavit. Ex illo, quia eum noſſe propius contigerat, Julius amare eum cœpit, & ejus dotes animi Senatoribus Burdegalenſis curiæ per litteras commendare, ut non aliter eum quam filii nomine appellaret, quam Burdegalam, relicta ſchola Villanovana profectus, ibi in una claſſium Gymnaſii Aquitanici doceret circiter annum Chriſti M. D. XLVII. Neque ex eo unquam aut Aginnum repetivit, aut Julium poſtea vidit. Quomodo igitur Aginni, aut quando docere potuit, qui in tribus profectionibus vix ſex ſeptemve dies ibi ſubſtitit? Burdegala Lutetiam, Lutetia Toloſam petiit, ubi juris inſtitutiones quum exponeret exercendi cauſſa, ut tironibus juris mos eſt, inde abire coactus* (ax) *Venetias ſe contulit.*

Quare

(as) De his infra lit. *dr.*

(at) De qua ſupra lit. *g.*

(au) Loquitur de ſe Joſephus Scaliger in tertia perſona, tanquam de alio, quia noluit haberi Autor illius ſcripti. Recurre ad lit. *ao.*

(ax) Hac de re aliquid Jan. Nic. Erythræus I. Pinacothec. p. 13. non ſatis aperte tamen. Verum eadem & per nos lateat. Pertinent autem huc & ea, quæ ad lib. I. Poëm. p. 45. notavimus.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn862961815/phys_0032
DFG

Quare quæ Bencius de eo retulit, quia ex conjectura collegit, ea non solum falsa, sed etiam interdum ridicula sunt: ut, quod ait, Regem Henricum & Catharinam Muretum publice docentem audire voluisse (ay). *Nunquam enim in Athenæo regio, sed in Gymnasiis docuit. Neque causa erat, cur diceret,* eum Tolosæ Juris Civilis docendi primum facultatem, deinde etiam potestatem accepisse (az). *Quod quid sit, non capio. Hoc scio, si ille, ut putat Bencius, facultatem & potestatem juris publice interpretandi Tolosæ accepisset, non opus illi fuisse eam Asculo petere, ut jus Romæ publice profiteretur. Quo tempore enim Ludovicus Rupipozeus Romæ sub Gregorio XIII. Christianissimi Regis Legatus agebat, Muretum Asculum clam petiisse, & lauream juris consecutum fuisse, tam multis notum, quam mirum est, Bencium ignorasse, qui eo tempore Romæ erat. Reliqua, quæ finxit non pauca, libens omitto.* Hæc Josephus Scaliger.

A vita &, quod illi proximum est, *epitaphio* Mureti non putavimus avelli oportere *funebria duo carmina, Francisci Bencii* unum, *Philippi Pœlarii* alterum. Itaque hunc in locum ea retraximus e Volumine Poëmatum primo, cujus ea finem alioquin obsidebant (ba).

His adjungi ultro se deposcebant alia, quæ *in Mureti laudem* scripta essent *Carmina:* Toscani duo, (perperam alias divulsa, cum altero (bb) in fronte primi voluminis repositio, alterum (bc) inter poëmata

(ay) Quære in vita Mureti lit. *e.*
(az) ibid. lit. *f.*
(ba) P. 527. & 535. Edit. Lipsi. A. 1629.
(bb) Cujus initium: *Rhetora te tantum.*
(bc) Quod incipit: *Certamen, Muretti, novum.*

mata Mureti Voluminis ejusdem (bd) esset rejectum,) Thevenini tria, Bianci unum, Incerti unum. Atque ut in hoc ultimo codex Moguntinus annî 1615. (be) in Blanci Musæum Joannis Imperialis: (bf) sic in Theveninianis unice profuit nobis Ingolstadiensis editio anni 1585. despicabilis ea quidem, si cum aliis contendatur, nihil enim Mureti præter quatuor Orationes (bg) complectitur: sed quæ tamen & neglectum aliis omnibus, quarum copia nobis fuit, Pantaleonis Thevenini nomen conservaverit, & duo ejus districha, quæ sola in cæteris comparebant, auxerit tertio.

Sequentibus *Elogiis*, soluta scriptis Oratione, nomen dedimus *Testium Eloquentiæ Mureti*. Nam & hic, perinde ut in Manutio nuper, non alias Autori nostro laudes quæsivimus, quam oris diserti. Qua in re cum alter alteri palmam reddat ambiguam, non mirabitur Lector, ubi totidem prope verbis ab hoc Muretum, ab illo Manutium videbit alicubi commendari. Neque nos adeo peccabimus, si illustre quoddam *Manutii* encomium, quod post emissas demum (bh) ejus Viri e Musæo nostro epistolas lucem vidit, (bi) vel hic tandem, ceu commune utrique conspici jubeamus. Sic enim vulgata ante biennium prima Scaligerana: (bk) *Paulus Manutius, Vir romane scribens, si quis alius, hoc nostro*

(bd) p. m. 520.
(be) Post Dedicatorias Voluminis II. Orationum. Neque alibi carmen illud oblatum est nobis.
(bf) p. 112.
(bg) Eæ hic apud nos sunt Voluminis I. prima, penultima, ultima & Voluminis II. antepenultima.
(bh) An. 1669.
(bi) An. 1670.
(bk) p. 77.

noſtro ſeculo, Longolio omnino contrarius. Cum enim hic Ciceronis verbis & phraſi adeo alligatus fuerit, ut Ciceronis ſenſu, non ſuo, cogeretur ſcribere; ille contra ſuo ſenſu ſcribit, Ciceronis, Terentii, & ejusmodi excellentium virorum verbis & ſtylo utens, (bl) *quem ſuo inſtituto optime accommodare novit.* A teſtimoniis eorum, quorum in hoc opere ipſæ integræ ad Muretum exhibentur epiſtolæ, ut Nicotii, (bm) ut Cardaneti, (bn) ſimilibusque abſtinuimus de induſtria. Quorſum enim attinebat, eadem bis legi eodem in libro? In iis autem, quæ dedimus, non pauca referimus accepta amiciſſimo *Chriſtiano Daumio*, qui congeriem ſuam pro amicitia, quam annos bene multos conſtanter colimus, ultro nobis obtulit, Viro de bonis litteris jam diu meritiſſimo.

Quæ ad Scipionem Gonzagam ipſius *Mureti Dedicatoria* paſſim epiſtola præmittitur, non totius eſt operis, neque totius primi Voluminis, ut ad Epiſtolas quoque & Poëmata referri debeat, ſed ſolarum, quæ in primo Volumine legi hactenus ſolebant, Orationum. Nos quemadmodum utrumque Orationum Volumen nullo Epiſtolarum Poëmatumve interventu connectendum putavimus, ſic exemplo Colonienſis cujusdam editionis (bo) Dedicatoriæ huic Mureti jungere voluimus *Dedicatoriam* ſimilem *Franciſci Bencii*, qua Scipioni eidem, mortui jam Mureti tanquam adhuc vivi perſonam indu-

(bl) Hæc & in Muretum quadrare, intelliges ex ipſo. Quære ſupra lit. *b*.
(bm) Lib. I. Epiſt. 2.
(bn) Ibid. Epiſt. 30.
(bo) An. 1661. in 12. quæ tamen utrique Dedicatoriæ vitam interponit Mureti.

induens, alterum Orationum Volumen inscripsit. Repetenda vero ea nobis fuit ex editionibus, quibus poteramus (bp). Nam *Sartorius* Ingolstadiensis ipsam nescio cur omiserat, illi *suam ad Velserum*, cui ejusdem Voluminis Epistolas quoque & Poëmata, Mimos item Publii nuncupat substituens. Hanc nos vicissim, licet Lipsiensibus hactenus retentam, sustulimus; non ut vicem Sartorio pro excluſa Benciana rependeremus, (abest enim a nobis inimicus ille affectus, præsertim qui Sartorianæ officinæ multa debeamus,) sed quia non necesse videbatur addere, quicquid alienarum præfationum uspiam compareret. Alioqui repetere potuissemus & Jacobi Rosetti Venetam, (bq) Ingolstadiensem Joannis Crœselii, (br) Jo. Friederichi Lipsiensem. (bs)

A cortice venio ad nucleum. Quem cæteræ Lipsienses Sartorianam editionem secutæ sic repræsentabant, ut toto corpore in *duo Volumina* distributo Orationes, Epistolæ, Poëmata Voluminis primi sejungerentur ab Orationibus, Epistolis, Poëmatibus secundi. Nobis, ne sororia, ut ita loquar, vincula trium istorum scribendi generum convellerentur, placuit universa *tribus* potius *titulis*

(bp) Eæ sunt, duæ Colonienses Anno 1601. 8. & An. 1661. 12. Una Lugdunensis An. 1613. 12. Una Moguntina An. 1615. 8.

(bq) Ad M. Antonium Romitum Vicentinum, quæ perinde ut Benciana, cui & statim subnectit editio Moguntina pertinet ad Orationum Volumen secundum. Dabit eandem, sed in fine Orationum illarum, & Lugdunensis item Colonienſis Anno 1601. Rosetto interim locum aliquem inter testes Eloquentiæ Mureti assignavimus.

(br) ad Lectorem Voluminis I. in edit. Ingolstad. Anno 1599. Vide supra lit. *p*.

(bs) ad Lectorem totius operis. Respice ad lit. *a*. & *ac*.

lis distinguere, *Orationum* uno, quas & in aliis editionibus quibusdam (bt) copulatas videbamus, *Epistolarum* altero, tertio *Poematum*. Ut autem nihilo secius conferri hæc editio nostra cum iis, quas alias imitata est, commode posset. Orationum Volumina duo, libros Epistolarum tres, (duo enim olim erant in primo Volumine, unus in secundo) Poëmatum duos numeravimus: quod in Orationum quoque Volumine primo præstitum. In secundo & Poëmatibus non perinde. Sed hujus rei causa jam reddetur suis locis.

Enimvero ad *Orationes* quod attinet nefas quidem non erat, quo jam ante vulgaris numeri pristini præcise consevarentur, novas omnes (bu) in extremum locum secundi Voluminis conjicere. Verum cum nulla ipsarum esset, cui non cum certa istius Voluminis arctior quædam cognatio intercederet: dandum esse aliquid huic necessitudini sumus arbitrati, & ex ea singularum ordinem constituendum; simul tamen pristinis, quæ novarum interjectu seriem mutavissent, duos appingendos numeros, veterem & novum, ut labor hanc nostram editionem cum aliis volentium comparare minueretur. Ergo *sextam* Orationem, (bx) quam habuit Muretus libros Officiorum Ciceronis explanare ingressurus, ex novis ea statim excipit, (by) quæ ad tertium Officiorum, (ad secundum nec Orationem Mureti, nec notas

(bt) Ut in Colonienſibus duabus, Lugdunenſi item & Moguntina.

(bu) Quas una cum duabus appendiculis poſtea memorandis non aliunde, quam e Commentariis Mureti a Sartorio excuſis petere licebat. Reſpice ad lit. *r*.

(bx) p. 295.

(by) p. 302.

notas uſpiam vidimus,) fuit recitata. Quam ſequens, cum olim eſſet *ſeptima*, facta ſic eſt *octava*, & a nobis utriusque numeri præſcriptione donata. (bz) Secundum hæc nullum erit negotium, rem de cæteris intelligere: niſi quod mirari quispiam poſſit, cur *nonæ* & *undecimæ* noſtræ, (ca) quarum utraque pro argumento habet Ariſtotelis Rhetorica, *decimam* interpoſuerimus (cb) eam, quæ Ciceronis Orationi pro Rege Dejotaro exponendæ fuit præmiſſa. Sed ubi primam hujus paginam quis legerit, exſpirabit confeſtim admiratio. Cum enim primo ſecundoque Ariſtotelis Rhetoricorum libro Ciceronis illam Orationem ipſe Muretus interjecerit, exemplum ejus hic imitari & nos æquum judicavimus. Porro quæ nunc primum *appendiculæ* Orationibus *quartæ* & *octavæ* acceſſerunt, (cc) eas nec omittere voluimus, quod omnino continuarent ea, quæ Muretus in præfationibus illis reliqua feciſſet, nec numerum tamen peculiarem illis dare, quod qualiumcunque lineamentorum potius, quam Orationis figuram haberent ac modum. Utique conveniebat eas diſtingui a Continuationum illo genere, quod juſti ſermonis pondus impleret, qualis eſt Oratio noſtræ editionis XVII. (cd) priſtinarum XIV. Poſtulabat vero etiam fortaſſe appendicem ejusmodi Oratio noſtri numeri *decima quarta*, quam habuit Muretus, cum Æneida Virgilii eſſet explanaturus. Ac certum eſt quidem, quæ in ea dicturum

(bz) p. 304.

(ca) p. 312. & 323.

(cb) p. 319.

(cc) p. 283. & 310. ubi, quod *Proœmia* vocavi, factum inde, quod hac facie comparerent in commentariis p. 615. & 179. unde deſcripſi.

(cd) p. 365.

rum se promisit, (ce) horum vix ultra dimidiam partem quicquam apparere, ut merito sub finem ejus, *disiderari cætera*, & olim annotatum fuerit, & a nobis repetitum: (cf) sed dubium nobis, num ipse Autor, quod non insolens illi tuisse loci quidam (cg) demostrant, distulerit. Utrumcunque sit, perierunt nobis sive paginæ præfationis illius residuæ, sive Oratio altera, quæ priorem continuaret, sive denique, si quid e Commentariis Mureti in Virgilium, (nam & hos injuria temporum a nobis prohibuit,) agglutinari pro appendice potuisset. Itaque non voluntas hic nobis, sed fortuna defuit. Certum de hoc toto *Præfationum* genere, quod ad studiosos adolescentes sub initia certarum enarrationum habuit Muretus, monendum illud venit, distingui eas oportere ab Orationibus, quas coram Pontifice, Cardinalibus, aut in Auditorio utcunque magis illustri recitavit. Quanquam enim præfanti Mureto nonnunquam una cum discentibus honoris ergo aures præbuit Celebrium Virorum jam unus aliquis, jam copia quædam, quibus & ipse peculiares agere gratias sub finem Orationis est solitus: (ch) tamen,

(ce) p. 347. in med. *Dicam enim.*

(cf) p. 353.

(cg) Orat. XIII. p. 323. 324. *Cætera, de quibus dicere instituera*m - - *in crastinum differentur.* Et Orat. XVI. p. 365. *Quare quæ supererant* - - *in crastinum differam,* Atque hoc præstat Oratione sequenti XVII. ibid.

(ch) Ut Orat. XIII. p. 346. *Non dubito, L. C. V. P. quin, quicunque te huc honoris mei caussa venisse vident, &c.* Orat. XIX. p. 394. *Cuperem, Paule Foxi,* - - *novo quodam & minime vulgari tibi* - - *gratias agere,* Orat. IX. p. 298. *At Vobis quidem, Adolescentes, utcunque*

quod ita velut extra ordinem contigit, nequaquam sustuliſſe diſcrimen, quod illa ſermonum duo genera ſeparat, cenſeri debet. Itaque in Præfationibus iſtis, ſi non ſemper, certe nec raro, magis Profeſſorem agnoſcas Muretum, qui doceat, quam Oratorem, qui moveat. Meminerat quippe ad quos, & cujus rei gratia diceret; addo etiam, quo tempore. Fiebat enim interdum, ut eadem hora ſimul Præfationem ſuam finiret, ſimul Autoris ipſius interpretationem auſpicaretur. (ci) Nec pauca reperies in Præfationibus illis, quæ ſi a ſolennibus Rhetorum formulis ſepares, a Commentariis non diſtinguas. Qualia ſunt Quartæ orationis inchoata, eaque per integras tres paginas decurrentia, (ck) plane gemina commentariis. Neſcio quoque, annon Muretum in ſcribendarum præfationum negotio verſantem, inter extrema tempus aliquando deſtituerit, ut aut abſolvere, quæ decreviſſet initio, non poſſet univerſa, (cl) aut ea non niſi minutis quibusdam, ut ita loquar, punctis, memoriæ ſaltem gratia deſignare in charta neceſſe haberet, (cm) dilatanda fortaſſe extemporaneo ſermone,

---

cunque ſatisfeciſſe me - - confido. His autem Magnis ac Præſtantibus Viris, - - quam tandem referendæ gratiæ rationem inibimus?

(ci) Clarum id ex ultimis verbis Orat. XV. p. 336. *Sed ſatis jam verborum factum eſt. Nunc primum exponam argumentum hujus Satyræ, deinde ipſius Poëtæ verba recitabo, &c.* Adde & extrema Orationis VII. p. 304.

(ck) a p. 275. *Quare de ipſo quidem.*

(cl) Hoc ipſi dixerim accidiſſe in Oratione XIII. ubi rejicit quædam in alterum diem, ut ſupra lit. *cg.* patuit.

(cm) Vix dubium, quin hoc illi evenerit fingenti Orationem X. (ad quam vide, quæ noto p. 323.) Quæ cum ab

ne, ubi ventum esset in cathedram, & epilogo, qui plane abest, claudenda. Fuit &, cum redimendum sibi tempus inusitata Præfationis, qualem hic *septimam* (en) damus, brevitate existimaret Autor. E dictis responderi speramus posse iis, si qui forte negabunt, recte nos orationibus addidisse sive duas Appendiculas illas, sive Orationes quinque novas. Fuit enim omnino pretium operæ, quæ ab se relicta Muretus alibi exegisset, in eundem conspectum reponere, maxime in gratiam illorum, qui hoc in opere non verba tantum, sed res venantur. Neque ulla est a nobis addita Oratio, in qua, si quid tanquam ab Oratorio stilo alienum accusetur, id tueri se non queat vel exemplo simili jam ante vulgatarum, vel sermonis minime convellenda serie. (co) Ac præstabat quidem forsitan Orationum duo Volumina sic dissepire, ut in altero cæteræ Orationes, in altero solæ Præfationes extarent, quod & in Majoragianis meminimus factum. Sed ea res dissimiliorem cæteris editionibus reddidisset hanc nostram, quam conducere alia de caussa judicabamus. Et alias facile poterit Lector non penitus indoctus Classem suam cuilibet Orationi vel a solo titulo præfagire.

Venio ad *Epistolas*. His universis ordinem pri-

ab initio satis habet manifestam Rhetoricæ dictionis speciem, (quo merito ipsam, utut aliis prætervisam, his Ordinibus inseruimus,) paulatim in procursu festinantis & nihil præterquam extremas lineas ducentis calami apertissima præbet indicia.

(cn) p. 302.

(co) Ut cum p. 405. Orationi XXI. miscetur ipsa verborum Aristotelis, ad Commentarios alioqui pertinens, interpretatio.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn862961815/phys_0041
DFG

ſtinum exactiſſime conſervavi. Tametſi enim optimum eſt, ſeriem cuique ſuam ex tempore, quo nata eſt, invenire: tamen, id a me ne hic fieret, duæ prohibebant cauſſæ. Primum erant, quibus nullus, aliæ quibus non ſuus, quod non inepta prodebat conjectura, eſſet adſcriptus ſive dies, ſive annus: quæ tempora ideo mutanda alicubi ſumpſi (cp). Neque hic a librariis tantum peccatum, ut cum alius alium annum nominat (cq), ſed & ab ipſis ſcriptoribus. Itaque viſus eſt ſibi Muretus (cr) accipere Manutianas ſex aut ſeptem diebus ante, quam ſcriptæ forent. Deinde non plane diſplicere mihi debuit, quod ipſi placuit Mureto primum librum edenti, qui nullo ſe ordine aut perſonarum aut temporum eas in unum volumen ſcribit (cs) congerendas curaviſſe. Interim quod potui, in iis Epiſtolis, quas plurimas ad eundem, ut Manutium, ut Sacrarum, ſcripſit Muretus, effeci appoſitis notulis, ut quæ cui reſponderet, liquido ſciretur. Perſonarum autem Ordinem alphabeticum dabit Index. Quod ſi in Epiſtolarum illis demonſtrandis catenis aberraſſe nonnunquam deprehendar, facile feram admoneri. Fuit enim, ubi nec ipſe mihi ſatisfacerem, quod & conjecturæ ſcinderentur in partes, nec ubique legeremus epiſtolas, quales fuiſſent primum ſcriptæ, ſinceras ſatis & integras. Detexi hoc ulcus in præfatione ad Manutianas: (ct) & con-

(cp) Diem, ut in Epiſt. 7. lib. II. pag. 595. Annum ut Epiſt. 16. & 35. lib. III. p. 664. & 688. Conf. quæ noto p. 583.

(cq) Exemplum pete e lib. II. 3. p. 586.

(cr) Lib. III. Epiſt. 2. p. 648.

(cs) Lib. I. Epiſt. 1. p. 447.

(ct) b. 1. 2.

confirmavit me in sententia recensio hujus operis. (cu) Quod autem hic bene multas *aliorum* quoque legimus *ad Muretum*, ab ipso Mureto est, qui cum primo suarum libro, (hunc enim solum ab ipso procuratum fuisse apparet,) tales miscuisset, hoc exemplo secundi quoque tertiique editores provocavit. An Mureto volente accesserint etiam, quæ leguntur *aliorum ad alios*, quæ quidem non perinde multæ sunt, incertum habeo. Quanquam enim tales quædam & in primo leguntur libro; (cx) de iis tamen ipsi Mureto, cum cæteras curante se accessisse non inficietur, altum est silentium in ejus libri dedicatoria: (cy) ut suspicer aliorum opera demum adjectas repetitis ejus libri editionibus, quas constat (cz) prima Mureti copiosiores prodiisse. Ego nullam rejeci, quæ jam semel in illos editionum Lipsiensium tres libros migravisset; Libro tertio duas etiam ipsius Mureti, repertas in com-

(cu) Vide quæ noto ad lib. III. Epist. I. p. 646. Ep. 11. pag. 555. Ep. 13. p. 660. & Ep. 52. p. 710.

(cx) Quarum prima est Hippolyti Cardinalis ad A. Sorbinum n. 86. p. 576.

(cy) Lib. I. Ep. 1. p. 445. *Cum eis*, (Epistolis meis) *nonnullas ad mea Viris doctrina & auctoritate præstantibus scriptas in unum volumen congerendas curavi.*

(cz) Tum ex eo, quia Colonienſis editio anni 1580. ultra Epistolam Gilberti Malloti ad Muretum, quæ nobis est 96. non procedit, nec Ingolstadiensis anni 1584. ultra 97. quæ est Mureti ad Sinibaldum Antonium, cum hodie legantur centum: tum quia ipsa hæc centesima adscriptum habet annum 1584. cum tamen dedicatoria Mureti exarata sit a. 1579. Hoc addo, in Colonienſi, quam dixi, proxime ante Epistolam Lipsii, quæ nobis est 57. legi Græcam ad Muretum Nicolai Nathanaelis, quam nec alibi vidimus, & hic paulo serius vidimus,

mentariis officinam Sartorianam egressis, appositi, ultimasque (da) esse, ne cæterarum turbarent ordines, jussi. Poteram ex Ingolstadiensi anni 1584. etiam addere *Roberti Turneri* epistolas octo & viginti. Sed illius Angli stilus nimium recedit a Gallica Mureti venustate, nec in illa tota sartagine ulla est ad Muretum. *Appendicem* ergo dedi potius e Sacrato, scriptore satis eleganti, ut cum ejus ad Muretum in his tribus libris jam diu lectæ essent non paucæ, nunc ad eundem cæteræ omnes, quas habere potuissem, (db) hic comparerent; nec dubito, quin ea re multis ipsius Mureti major lux accesserit. De Manutianis idem eram facturus, nisi harum jam in Bibliopoliis parata esse copia. Clarorum virorum Epistolæ, quas alicubi (dc) citavi, Coloniæ anno 1582 prodierunt. Annotatiunculas ipsas meas, quas parcas esse volui, spero Lectori non ingratas fore, cumprimis eas, quibus obscura sum conatus illustrare. Cui nec illud, auguror, displicebit, quod in Epistolis philologicis (dd) singulas notas numeris marginalibus distinxi; quod universas, quæ non essent Mureti, alio typorum genere describendas curavi; quod item, quoties ad eundem plures essent ordine non interrupto scriptæ, toties cognomen ejus, ad quem spectarent, repetendum

(da) 91. & 92. Qua ratione simul factum, ne nostra editio vinci videretur ab Ingolstadiensi anni 1599. quæ & ipsa totidem Epistolas numerat, sed male duas bis repetit. Respice ad lit. *y*.

(db) Ex editione Epistolarum Sacrati Colonienſi anni 1583.

(dc) ut p. 450. 463. 646.

(dd) Qualis est, ut alias omittam, primi libri vigesima quinta, ubi vide pag. 472. seqq.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn862961815/phys_0044
DFG

tendum censui. Mihi quidem certe solitarium illud, EIDEM, cui intelligendo sæpe plusculas replicare paginas oportet, insigni tædio fuit. Quæ molestia ne aliis oboriretur, cavere sic volui.

Sequitur, ut de *Poëmatibus* dicam. Quæ haud paulo quidem pauciores, fateor, paginas hic implent, quam in editionibus nostram antegressis: adeo tamen nullo cum dispendio, ut neque desit hic quicquam, quod istæ habeant, adsit vero insuper, quo careant. Nempe quia & bis per incuriam repetita semel expunxi, (de) & quæcunque carmina non essent Mureti, sed aliorum, solo excepto Bencii lyrico, quo ille ad simile carmen Mureti respondet, (df) locum commodiorem prospexi inter ea, quæ vitam nostri proxime sequuntur. (dg) Sic ergo necesse fuit ipsis Poëmatum libris non exiguum decrescere numerum paginarum. Neque vero eum restituerunt illi versus, qui e Mureti Poëmatum editione Lutetiana (dh) translati nunc primum & hic leguntur. (di) Octo lineolæ sunt. Nec plura eo ex libello transtuli,

(de) Institutionem puerilem: *Dum tener es*, editiones pristinæ, Ingolstadienses juxta cum Lipsiensibus, bis exhibent, semel Vol. I. p. 517. (ed. Lips. A. 1629.) iterum, & quidem distichis quibusdam auctiorem, & Ant. Constantini notis illustratam Vol. II. p. 435. Nos priori expuncta libro soli posteriori reliquimus p. 113. seq. Sic Psalmi LI. paraphrasis non nisi semel apud nos legitur lib. I. p. 2. illic bis, Vol. I. p. 500. & II. 359.

(df) Lib. I. Poëm. 39. Atque hoc alias frustra quæres in ipsius Bencii carminibus A. 1595. editis Ingolstadii.

(dg) Regredere ad lit. *ba.*

(dh) Anni 1576. in 12. Titulus est: *M. Ant. Mureti hymnorum sacrorum liber. Ejusdem alia quædam Poemata.*

(di) Lib. I. p. 46. n. 61.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn862961815/phys_0045
DFG

non quin possem, sed quia nolebam vitam prorogare ἀφροδισίοις illis, (dk) quæ & ipse postea damnasset Muretus (dl) & removenda suasisset Manutius. (dm) Una cum illis deserui & elegiam ad Duarenum (dn) haud dubie juvenilem & ipsam, qua & impotentiam suæ libidinis propudiose confitetur Muretus, & miscet quædam, unde superstitionem discas citius, quam pios & honestos mores. Quæ culpa & Galliambum illum, quem nescio an alibi quærendum Commentarius ejus in Catullum (do) suggerebat, invisum reddidit mihi. Sapit ethnicismum; tinnit res amatorias: ut videri queat studio compositus, qui, si res ferret, Gentilium alicui Poëtæ, quod non insolens Mureto, (dp) supponeretur. Fragmentum vero illud ex ode quadam ad Anastasium Jusbertum, quod olim in Variis Mureti (dq) notaveramus, tanti non erat, ut, qui tota caremus oda, non etiam tribus cum dimidio versibus carere videremur posse. Nam & Eclogis in laudem Cardinalis Armeniaci scriptis (dr) æquo animo carendum est nobis. De cætero singulis utriusque libri Carminibus numeros apposui, qui antea nulli

(dk) quæ leguntur ibi p. 23. 24.
(dl) Vitam ejus vide circa lit. *h*.
(dm) Epist. ad Muret. quam hic habes lib. III. p. 655.
(dn) quam illic dare poterat p. 21. *Qui te Romani.*
(do) p. 153. edit. Lugdun. A. 1559. *Hedera comam revinctus.* Carpunt alias in eo Galliambo viri docti, quod utramque priorem in *temetum* syllabas ab Horatio productas corripuerit (p. 154.) Taubmannum vide dissert. de lat. ling. p. 93. edit. Witteb. A. 1602. & Lexic. Buchneri voce *Temetum.*
(dp) Quære supra circa lit. *e*.
(dq) Lib. V. c. 16.
(dr) Recurre supra ad lit. *as*.

nulli comparebant. Simul autem permisi mihi ordinem ipsorum paulisper mutare, in primo præcipue libro. *Hymnis* enim Mureti, piis quidem illis, (& e quibus decem dignos habuerit Clarissimus in nostris Theologus *Caspar Finckius*, quos Oratorio Christianorum, (ds) dissimulato licet Autoris nomine insereret,) non tamen nullibi Romanensi fermento aspersis, anteponi se jure quodam flagitabant *paraphrases* quorundam Davidis *psalmorum*. Ab his igitur librum primum sumus auspicati. Qui simul hac ratione concinnius quadrabit secundo, ut quem ab aliis psalmis jam ante nos veteres etiam editiones inchoaverint. Sunt & plura quædam a nobis, quod nec difficile erit animadvertere, & æquum defendere, trajecta in libro primo. Sed in Secundo nihil, nisi ultima tria Poëmata, quæ sunt, *γνῶμαι græcæ*, *Institutio puerilis latina*, & *monodia in obitum Thuani*. Quibus hic seriem dedi, si cum pristinis Codicibus compares, plane retrogradam; (dt) eo consilio, ut & gnomica Mureti, tum latina, tum græca proxime jungerentur simili argumenti Mimis Publianis, & Antonii Constantini notæ in duo distincta Poëmata, Monodiam & Institutionem Puerilem, ne divellerentur.

Sic ergo denique & ad *Mimos Publianos* proces-

sit

(ds) Frommer Christen Reise- und Bet-Büchlein, Frankf. 1621. in 12. ubi invenies §. 11. seqq. Horum vero decem hymnorum numeri apud nos, libro Poëmatum primo, sunt 9. 14. 15. 18. 19. 20. 23. 24. 25. 28.

(dt) Præcedit enim apud nos *Monodia* n. 58. p. 95. sequitur *institutio puerilis* n. 59. p. 113. Agmen claudunt *gnomæ græcæ* n. 60. p. 134.

sit oratio, ultimam totius operis nostri partem. Quos ab Ingolstadiensi editione, non quod ad Muretum proprie spectarent, sed quod eidem, cui bona pars secundi Voluminis, deberentur Marco Velsero, (du) semel admissos, ita retinuerunt Lipsienses quoque nostræ. Quibus hanc renovatam pauperiorem esse noluimus, præsertim cum prodesse scholis hi Mimi non minus queant, quam quæ scripsit Muretus. Omnino tamen existimo pretium operæ facturum, si quis eos separatis emittat chartis, quæque in iis sic, ut hactenus factum est, recusa morari docendi pariter ac discendi celeritatem possunt, aut alias corrigi merebuntur, ea in feliciorem induat faciem. Nam nos quidem hic nihil præstitimus, nisi quod e diversorum codicum collatione mendas pro virium facultate sustulimus, & in notis, quod bis positum esset, semel tantum legi jussimus, (dx) quod luxatum, suæ sedi restituimus, (dy) nonnullibi & uno alterove verbulo sensui lucem intulimus. Quibus autem modis putemus meliorem istum libellum de postero fieri posse, hæc sunt fere. Primum juvabit perficere, ut textui notæ, saltem in eadem pagina, per partes copulentur; deinde ut emendationes luculentæ recipiantur in textum; tum, ut vitium numerorum, quod a versu 406. (qui perperam inde usque a prima Ingol-

(du) Respice ad ea, quæ supra paulo ante lit. r. e Dedicatoria ad Velserum descripsimus.

(dx) Ut locum Senecæ, sic satis prolixum, qui legebatur ad versum non modo 165. sed & 558.

(dy) Ut quæ ad v. 616. cum aliis conjungenda legebantur in calce totius libri.

Ingolstadiensi 405. numeratur,) ad finem usque proserpit, tollatur, idque non in textu tantum, sed etiam in notis; quod jam nos feciſſemus, nisi festinandum fuisset. Imo vero per totum libellum alia numerandi ratio ineunda fuerit, si velis eliminare sententias, quæ metro carent, jam diu nota † signatas, vixque dubium quin intrusas ab hominibus ineptis. Verum hic & illud cavendum, ne simul ejicias qui veri sunt versus, ut illum 224. cruce quidem hic signatum, sed nullo suo merito. Est enim trochaicus, & rectissime, ut putamus, ita legetur:

Ex sæva animadversione nulla *Regi gloria est.*

Ac fortasse crux illa sequenti sententiæ pedibus solutæ destinata in hunc per errorem incurrit: quæ tamen ipsa in qualemcunque migrabit jambum, si ita constituas:

Ex spe præmi laboris fit solatium.

Vicissim providendum, ne versus idem sub diversis litteris, cum in alteram ex vitiata lectione hactenus irrepserit, bis legatur. Quales habeo duos illos sub litteris H. & I.

v. 308. *Honesta turpitudo est pro bona causſa mori,* & v. 318. *Ictum tacentem crimen facias acrius.*

Jam enim ante hi legebantur & quidem emendati sub E. & F.

v. 200. *Est honesta turpitudo pro bona causſa mori* & v. 223. *Factum tacendo crimen facias acrius.*

Neque deerit eruditis, quod hinc inde porro emendent aut illustrent. Salmasius (dz) certe versum 265. ita rescribit:

Frugalitas incerta *est rumoris boni:*

Ut

(dz) Fol. 1131. ad Solin.

Ut sensus sit, laudari eam ab his, ab illis culpari, cum alias pro *incerta*, legeretur inserta, aut *miseria*. Nos quoque versum 309. sic tentabamus:

Honeste parcas improbo, at parcas *probo*.

Illud utique, *non careas*, pro *parcas*, versum vitiat. Congruit autem sensus cum v. 436.

Malo etiam parcas, si una est periturus bonus.

Habebam de hoc genere plura. Sed hoc jam non ago. Et jam diu præfationis abunde est. Quare pausa tandem hic esto. Nam quod in *Indice* præstitimus, qui extremas pagellas occupat, nec adeo multum est, & quicquid est, ultro docebit collatio cum cæterarum editionum curta supellectile. Tu, Lector benevole, da veniam improvisæ prolixitati, & Vale. Scrib. d. 12. Sept. A. 1672.



VITA

VITA
M. ANTONII MURETI,
J. C. PRESBYTERI, ET CIVIS ROM.

Ex Scriptis ejus, & funebri Oratione Franc. Bencii (a) *Societ. JEsu Sacerdotis, ab Andrea Schotto ejusdem Societatis JESU sacerdote collecta.*

NAtus est M. Antonius Muretus anno post Christum natum clo Io xxvi. mense Aprili (b) in Gallia Aquitanica in pago suburbano Lemovici, cui Mureto nomen, loco honestissimo, patre JCto, genere perantiquo, & nobili: quippe quod & pagum illum antiquitus possederit, (unde etiam familiæ nomen) & quadringentis abhinc annis tulerit Steph. Grandimontensium ordinis antistitem, virum sanctissimum, atque hominem in corporis afflictatione singularem: cujus dies festus in Id. Febr. incurrit. Ab ipsa vero pueritia Muretus admirabili fuit ingenii magnitudine, vix

(a) Numeratur ea in Orationibus Bencii XVII. p. 219. ed. Ingolstad. Anni 1595.
(b) pridie Idus April. ut habes lib. I. Epist. 34.

vix ut ullam desideraverit disciplinam, & pæne puer discipulos prius habere cœperit, quam magistros. Nam ut primum imbutus est litteris, quibus informari ad humanitatem ætas puerilis solet, Lemovici in patria sua, deinde vero Aginni, (quæ urbs in Aquitania est pæne princeps) ea docere incepit, (c) cum esset adolescentulus aut pæne puer, quæ nunc quidem, communi more atque usitato, ea ætate si quis disceret, in summa laude poneremus. Quippe ut ingenio doctrinam, sic etiam usu præcurrebat ætatem. Aginni vero eodem tempore usus est summo duce & adjutore studiorum Julio Cæsare Scaligero, (d) viro in omni eruditionis atque humanitatis genere perfecto ac perpolito. Hunc ille parentem colebat, a quo etiam ut filius diligebatur. Admirabatur enim vir omnino admirabilis excellentissimum ingenium adolescentis, eique volens, ac lubens, rectam ac brevem, quæ ad rerum scientiam ferret, viam monstrabat, quo sua eum natura ducebat. In qua tamen bonitate naturæ, atque ingenii abundantia, tanta utebatur contentione animi atque industria, quanta utendum est homini, qui quo minus ingenio potest, subsidio sibi comparat diligentiam: ut & ingeniosos diligentia vinceret, & ingenio diligentes, & totum illud sibi tempus perire crederet, in quo non aut doceret aliquid, aut disceret. Cum igitur aliquandiu Aginni fuisset, ejusque doctrina atque ingenium omnium fama atque oratione celebraretur, ad doctrinarum domicilium, & orbis terræ Museum Lutetiam profectus est: ubi cum itidem explicaret divitias ingenii, nec latere posset in tanto orbis splendore tam illustre lumen, non magno negotio ad se omnium studia, atque ora convertit. Novus videbatur exortus Demosthenes Christianis Athenis: ita docente Mureto, & quidem adhuc peradole-

(c) De hoc videnda Censura Jos. Scaligeri, quam in præfatione nostra dedimus lit. *ar.*

(d) Vid. ibid. lit. *ap.*

adoleſcente, concurſus audiendi cauſſa ex tota urbe fiebant; magna hominum frequentia Gymnaſium celebrabatur; loci ipſi in Gymnaſio occupabantur; aditus complebantur; ne pes quidem relinquebatur præ maxima audientium multitudine, ubi pedem doctor ipſe ponere poſſet: ita per illorum humeros, quaſi per undas gradiebatur ad ſuggeſtum. Nihil ferme aliud erat Lutetiæ magis eo tempore in hominum ſermonibus quam Muretus: quem ipſe etiam Rex aliquando & Regina, (ut quod fama & auditione acceperant, re ipſa experirentur,) audire voluerunt. (e) Pictavienſes, Burdigalenſes, Auſcitani, Toloſani, (hic enim Juris civilis docendi primum quidem facultatem, deinde etiam poteſtatem (f) accepit,) juvenem tam excellentem, omnique laude cumulatum videntes, ejus voce ac doctrina fruebantur, & trajectis litteris, Mercurii filium alii, alii Mercurium audire ſe putabant. Conſequens illud erat, ut poſteaquam omnem prope Galliam illuminarat, ſuam quoque lucem diffunderet in Italiam. Itaque Venetias, cum annum ageret duodetrigeſimum, venit. A. 1554. Statim præclara ejus eloquentia, ut Phidiæ ſtatua, ſimul & perſpecta & probata eſt. Hic apud Lauredanos, Bembos, Contarenos, Sorianos, Manutios cæterosque clariſſimos viros tanto in honore & pretio fuit, ut dulcis quædam inter eos contentio naſceretur, qui maxime amarent Muretum, aut admirarentur. Paulo poſt conceſſit Patavium, ut in optimam & vetuſtiſſimam in Italia ingenuarum artium, & diſciplinarum officinam. Neque hic diu verſatus eſt: anno enim ætatis circiter quarto & triceſimo, honeſtiſſi- 1560.

mis

(e) (f) Etiam in his duobus recurre ad cenſuram Scaligerianam ſupra in præfatione lit. *ay.* & *az.*

mis conditionibus invitatus, ad ſummum illum doctorum Mæcenatem Hippolytum Cardinalem Eſtenſem ſe contulit: in cujus comitatu cum in Galliam rediiſſet, mox etiam legatione obita 1563. in Italiam revertit. Romæ tandem anno M. D. LXIII. ipſius Cardinalis ſuaſu, atque eorum rogatu, quorum conſilio res ibi litteraria regebatur, Ariſtotelis Ethicen docere publice cœpit, tanta hominum frequentia, ut Ariſtoteles quidem ipſe Romæ docere, ſed Romano ore, & lux quædam urbi Romæ reddita veteris eloquentiæ videretur. Unum vero & viginti annos Romæ docuit. Quid docuerit, breviter perſtringam: Docuit annos quatuor libros Ariſtotelis de moribus; totidem jus civile, nec vulgari ſane via, ſpinoſas illas Jurisconſultorum concertationes cum ſermonis ni- 1584. tore conjungens. Ad annum vero ætatis undeſexageſimum, Gregorii XIII. auctoritate ac liberalitate permotus, in eorum librorum, qui non ſolum acuere ſed alere etiam ingenium ſolent, ut Platonis, Senecæ, Horatii, Taciti, Ciceronis explicatione annos reliquos conſumpſit. Quo tempore a Stephano Bathorio Polonorum Rege in Poloniam ampliſſimis præmiis arceſſitus eſt: moremque geſſiſſet optimi Principis voluntati, niſi egiſſet idem Gregorius, ne diſcederet, cum ſua ſponte, tum magiſtratuum admonitu, qui Mureto ipſi aliquot ante annis ultro Romanæ civitatis jus detuliſſent. Quo factum eſt, ut tantum ei ſtipendium decerneretur, quantum haud ſcio, an unquam antea nemini. Rem ut geſta eſt, ex ipſius ad Joannem Zamoſcium regni Poloniæ Procancellarium epiſtola (g) diſcite. *Præter ſpem & opinionem meam accidit, ut cum me ad iter accingerem, atque*

(g) Lib. I. Epiſt. 81. p. 560.

atque iſtic animo, cogitationeque totus eſſem, ſubito oſtenderet Greg. Pont. Max. profectionem meam ſibi non placere, meque per viros ſumma auctoritate præditos monendum curaret, ne ex urbe diſcederem: ſibi curæ fore, ut ne in urbe deteriori conditione eſſem, quam quæ mihi in Polonia deferretur. Quin etiam ad quingentorum aureorum annuorum ſtipendium, quod mihi jampridem conſtitutum erat, ſtatim ducentos adjici juſſit, mandavitque Datario ſuo, primo quoque tempore quoque modo efficeret, ut aliunde mihi trecenti aurei nummi quotannis penderentur. Ea re factum eſt, ut coactus ſim deponere conſilium, quod ceperam: a quo nec vivam, ſi me alia ulla res, quam ſummi Pontificis voluntas, atque auctoritas abducere potuiſſet. Hactenus ille. Nunc de iis quæ ſcripſit dicamus. In quibus ejus ſpirat imago atque ingenium, ſuntque in manibus quædam, ut variæ lectiones, (ut inde potiſſimum incipiam,) quibus nil uberius, nil elegantius fingi poteſt. Sunt & orationes plurimæ Venetiis, & Romæ in conſeſſu purpuratorum habitæ. Poëmata item, quæ, Romæ cum eſſet, compoſuit: nam quæ adoleſcenti annorum circiter viginti exciderunt, & juvenili quodam calore atque impetu in Gallia profudit, atque convenienti nomine Juvenilia appellavit, ea ſæpe Franciſco Bencio, cæterisque familiaribus dicebat, ſibi adeo non placere, ut ne pro ſuis quidem agnoſceret, tantum abeſt ut probaret. (h) At ſeniles Mureti verſus pii ſunt, eruditi & jucundi, luſitque Græcis & Latinis verſibus primæ ætatis Inſtitutionem in gratiam M. A. Mureti fratris filii, Hymnos quoque ſacros Ducis Mantuæ rogatu edidit; & Ferrariæ eruditas de jure civili diſputationes in quatuor libri primi Pandectarum titulos: *de origine juris: de legibus & Senatus*

(h) Conf. quæ diximus in præfatione circa lit. *dk.*

consultis: de Constitutionibus principum: de officio ejus, cui mandata est Jurisdictio; Epistolarum item volumen ad familiares: neque enim alias, quas nimis officiosi amici cum nominis aliqua contumelia ediderant, pro suis agnovit. Commentarii item varii sunt & scholia in veteres Poëtas, Terentium, Horatium, Catullum, Tibullum, & Propertium. In M. Tullii item Catilinarias commentarius extat peregregius; Castigationes item in Philippicas. Nihil unquam (mirum dictu) bis scribebat, vix adeo bis legebat id ipsum, quod scripserat, raro interpolabat, non sæpe mutabat aliquid aut emendabat, rarius demebat, delebatve: ita cum uno quasi tenore fluerent omnia, nihil nisi aptum & accommodatum ad manum mentemque veniebat, ut multo meliora fortuito illi excciderent, quam alii, qui eandem assidue incudem tundunt, excudant labore. Ad summum singulis noctibus somno quinas horas, quaternas plerumque aut etiam ternas tribuebat. Restat, ut in aspectum proferantur in Aristotelis Ethicen, Politicen, Rhetoricen, & Platonis de Republica ac de legibus libros notata, quæque in Juris civilis Institutiones commentabatur.

Duæ de multis in illo virtutes enituere, Benignitas atque Religio. Illa enim gratus atque acceptus summis, mediis, atque infimis vixit: cujus ædes portus quidam, oraculum ac perfugium omnium erant: exteri etiam ab extremis oris ejus visendi, discendique gratia Romam confluebant, qui & ipsi profitebantur, majora si omnia re ipsa, quam fama comperisse. Docebat quæ poterat, id est, quæ discere velles omnia. Religione vero ac pietate in Deum singulari fuit: catholicam enim fidem non solum servavit, sed & pro virili defendit, cum tamen non deessent in Gallia homi-

nes

nes seditiosi, qui omnibus artibus ad suas eum partes traducere conarentur. Novem ipse annos sacerdos vixit, quo tempore tam sancte sacris operatus est, ut inter sacrificandum & lacrymas effunderet frequenter, & easdem aliis excuteret. Sacras quoque quotidianas precationes diligenter obibat. Sæpe de morte senex, tanquam de migratione, cum familiaribus disserebat, ut ex pedibus æger jam jam sibi esse migrandum domo, cujus fundamenta labarent, prædicaret. Mortuus est ornatus omni instrumento, & viatico quod christiana religio tribuere homini atque impertiri solet, quem parat ad mortem. A Xysto etiam quinto Pontifice max. privatim veniam peccatis impetravit, & ad eorum expiationem ejusdem etiam illam publicam adhibuit indulgentiam, qua qui rite uteretur, ei non liberationem solum culpæ, sed remissionem etiam pœnæ Christi Vicarius benignissime concedebat. Triduo ante mortem sacro-sanctum Christi Corpus suscepturus, omnibus qui eo convenerant præsentibus atque audientibus, supplex veniam a familiaribus petiit, lacrymantibus omnibus, qui aderant. Dum vox aderat, mixtis suspiriis identidem iterabat, o Jesu, o Deus, ut aliud nihil in mente habuisse constet. Elatus honorifice Nonis Juniis, anno hujus seculi quinto & octogesimo, laudatusque est pro funere a Francisco Bencio Societatis Jesu presbytero in æde sacra sanctæ Trinitatis, quæ est in colle hortulorum sodalium Minimorum, (ubi ad aram maximam sepulchrum ejus spectatur,) laudatus inquam coram Cardinalibus amplissimis Nicolao de Pelue Senonensi, & Carolo a Lotharingia de Vaudemont, a grato sane discipulo erga optime de se meritum præceptorem. Qui & ipse discipulo Bencio multum se debere testatum reliquit, quod humana contemnere & ad divina pleno

1585. prid. Non. Jun.

no gradu properare se docuisset, facesque ac stimulos animo suo ad pietatem subdere nunquam destitisset. *Merito igitur te amo*, inquit, (i) *& ut patrem filius, & ut filium pater; his enim nos, quæ maxima sunt, caritatis vinculis bonitas divina colligavit.* Poëtæ in ejus laudem epicedia varia conscripserunt: unum de multis Julii Roscii (k) hominis perfamiliaris, abscribere placuit:

Hic Marci caros cineres Roma inclyta servat,
Quos Patria optasset Gallia habere sinu.
Stat colle Hortorum tumulus: stat proximus astris,
Quæ propius puro contigit ille animo.
Tu sacros latices lacrimans asperge Viator,
Et dic: Heu linguæ hic fulmina fracta jacent.

(i) Lib. I. Epist. 98.

(k) Eidem, cui Orationem funebrem, h. e. Bencio tribuunt Orationum Mureti editiones duæ, una Colonienſis Anni 1601. Vol. II. p. 181. altera Lugdunenſis A. 1613. p. 582.

EPITA-

EPITAPHIUM

Utriusque Mureti.

ROMÆ AD S. TRINIT. IN COLLE HORTULORUM.

M. ANTONIUS MURETUS LEMOVIX
AD DEI MISERICORDIAM OBTINENDAM
PIORUM PRECIBUS ADJUVARI CUPIENS,
CORPUS SUUM POST MORTEM HOC LOCO
SEPELIRI JUSSIT.
ADTRIBUTIS MILLE SCUTATIS HUJUS
MONAST. SODALIBUS, IMPOSITOQUE
ONERE
PERPETUI ANNIVERSARII.
NICOLAUS DE PELLEVE CARD. SENONEN.
TESTAM. EXECUT. PONI MAND.
VIXIT ANN. LIX. MEN. II. OBIIT PRID. NON.
JUN. M. D. LXXXV.

M. ANT. MURETO MAGNI HUJUS MURETI
FRATRIS FILIO ÆTATE QUIDEM, ET
NOMINIS CELEBRIT. MINORI, SPE AUTEM
ET EXPECTATIONE PROPE PARI
IMMATURA MORTE PRÆREPTO.
LUDOVICUS RUALDUS LEMOVIX, ET
M. ANT. LANFRANCUS VERON. EJUS
TESTAMENTO AD PIAS CAUSSAS FACTO
SCRIPTI EXECUTORES POSS.
VIXIT ANN. XVI. MEN. V. OBIIT PRID. NON.
OCT. M. D. LXXXVI.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn862961815/phys_0059
DFG

EPICEDION IN
MARCUM ANTONIUM MURETUM,

Virum ſuæ ætatis ſine controverſia eruditiſſimum, ſcriptum eo ipſo die, quo elatus eſt Nonis ſcil. Junii Anno M. D. LXXXV in ſummo animi dolore, & dictum in Schola Rhetorices auditoribus ſuis a

P. FRANCISCO BENCIO, Soc. Jeſu,

Inter quem & Muretum multa extiterunt mutuæ caritatis argumenta.

NAm quid diſſimulo? quid concita corda tumultu
Mendax fronte premo? lacrymas quid in ore natantes
Mergo? quid miſero non rumpo pectora queſtu?
Flebimus. Eſt quædam mœrenti flere voluptas.
Quis ſcit, an & noſtram doleatis forte dolorem?
Heu dolor immenſus, minor ô quam cauſa dolendi.
Tuque dolore minor luctus, quid tenditis ultra?
Heu quid certatim conſcinditis hoc miſerum cor!
Cor lacerum, cor luctificis inamabile curis,
Cor ſiccum, cor luminibus cupientibus ullas
Ferre negat lacrymas, & iniqua mente reſiſtit.
Nam cur largifluo non manant omnia fletu?
Cur tonat interius pectus modo? turbinis inſtar,
Quem clauſere cavæ penitusque hauſere cavernæ,
Nec, licet indignans, cæco do carceris antro
Evomit undiſonas lacrymas, fractoque remugit
Murmure, & horrifico ſe rumpit ventus hiatu.
Muretus perit: heu periit Muretus, & omnes
Divitias linguæ ſecum abſtulit! abſtulit omnes
Delicias Muſarum, & amicas mentibus artes
Ingenuis, quicquid Grajis quicquidque Latinis
Condi-

Condiderant veterum chartis monumenta virorum,
Nam seu Socraticis sermonibus appulit aures;
Sive in Academiæ lucis, seu forte Lycei
Dulcibus alloquiis lata spatiatus in umbra est:
Proximus a primo semper fuit. Ilicet ille
Sicut apis flores & rura halantia circum
Omnibus e pratis decerpsit singula libans,
Dulciaque e foliis expressit victor amaris
Mella, quibus prisco collectum nectar Hymetto
Mirata est nostra atque omnis mirabitur ætas.
Sive etiam sacri pandentem oracula juris,
Seu morum officia & vitæ laudanda docentem
Munera, & omnigenis dulces e fontibus haustus
Instillantem animis & grandia verba tonantem,
Fluminis in morem, vel cœlo fulminis acti:
Audiit ipsa sui pendens jam civis ab ore
Gallia, mox etiam Italia & Mavortia Roma
Æmula cognovit Marci, Marci aurea verba.
Is nostram super ætatem, propiorque vetustæ
Ire videbatur, veterumque retundere fastus.
Heu quoties illum plausus populique patrumque
Dicentem excepit, nimiumque libentibus hausit
Auribus! Ille quidem magnorum nomine Regum,
Pontifici summo gratatus sæpe liquenti
Purius electro eloquium profudit ab ore,
Montanis nivibus niveoque similimus amni.
Ille Pii dudum mœstissima funera Quinti,
Mox Caroli funesta tui fera Gallia Regis,
Atque Tolosani Foxi solemnia justa
Debita deflevit duri solemnia casus,
Ille etiam immanes Turcas cum contudit armis
Classis Christicolum, & victrix dare terga coëgit,
Altaque constravit trepidantibus æquora Pœnis,
Lætitia ingenti & magnis clamoribus implens
Hanc urbem; Romæque decus columenque Quiritum,

Extulit ad cœlum divina laude columnam.
Quid? cum etiam nuper, (vox ô Cygnea tenet jam
Nunc etiam mentem, & dulcis ſonus occupat aures,)
Ad Vaticanum, patribus quos purpura velat
Hortator fuit, ex alto velut æthere miſſus,
Pontificis formam evolvens & munera ſummi,
Quem legere ipſi deſcripſit pæne legendum.
Nec modo, Roma, tibi Muretus cognitus ille,
Quem veteris ſpecimen linguæ morumque tuorum
Admirata tuis adjungis civibus ultro,
Unde etiam attonſum fers triſti fronte capillum;
Senſit eum, caput Oceano qua flammivomus ſol
Exerit aut condit tellus, quæcumque peruſta
Sole rubet, quæcunque gelu nivibusque rigeſcit.
Certe illum & bello & paci nova gloria, Rector
Sarmatidum, Stephanus, regnum quod protulit armis
Augeat ut rerum doctrinarumque repertis,
Muneribus magnis excitum accerſiit olim:
Et traheret, ſi non Romani amittere cives
Hunc veriti, ſanctusque parens migrare parantem
Et monitu & precibus tenuiſſent. Heu mihi, dicam,
Dicam aliquid, dolor invito de pectore voces
Elicit, ipſe etiam hortando & fortaſſe monendo,
Pars non magna ſui. Quid enim meus ille Magiſter,
Quid pater ille meus, nam ſera ætate creatum
Me ſibi jactabat quondam, quid filius eheu
Filius? ut Patrem tu me, Murete, colebas,
Idque etiam præ te ſemper delenda ferebas:
Ipſe ego te contra dulci certamine patrem
Dicebam, te quando hiemes certo ordine ſeptem
Audii inexpletum diſcens, & ſedulus aure

Dicta

Dicta bibi, quæ post tenui mihi fluminis alveo
Effluerent, parvæ ut possent adolescere silvæ,
Muretumque omni Muretum fonte sonarem.
Ipse mihi sensus animi curasque latentes
Concilio & dicta & facta, heu dilecte, solebas
Credere, quæ studio tegerem commissa fideli.
Sed quamvis persæpe dares mihi commodus aures,
Etmorem, ut fatear, gereres persæpe monenti,
Non tamen omnino tu nostra es dicta sequutus,
Nam, quoties quoties ignari nescius otI
Pervigili studio noctesque diesque trahebas,
Ipse laboranti contra vigilique quietem
Præteritique memor suasi, metuensque futuri.
Nunc vero infelix vates verissimus augur.
Quid quod & urgenti tandem vergente senecta
Edere curares, quæ cunctis edita prosint,
Ex utriusque opibus, poteras quæ plurima, linguæ.
Tu tua non faciens magni, quæ maximus orbis
Attonitus colit & poscit, sermone modesto:
Spem tamen haud omnem eripiens plerumque negabas.
Multa quidem sunt a Mureto & magna, sed ipsa
Credite plura adeo nec sunt fortasse minora,
Quæ jamjam affecta aut potius confecta volebat
Promere, & ante diem, ni deesset vita, volebat.
Ante diem moritur, qui viveret utilis orbi,
Nec tum etiam bis tricenos expleverat annos.
Mitto ea, quæ calidæ abreptus fervore juventæ,
Quorum & pœnituit, fudit juvenilia: namque
Vera loquar, velut immaturo tempore fœtus
(Nec satis ille pios dicebat) providus a se
Expulit expungens, quod præfert pagina nomen,
Certus enim & fluvio & rapidis committere flammis.
His missis, quantum ô puro sermone Terenti
Et quantum o Tulli, quantum o Venusine Poëta
Et Tacite, & Seneca, & sinuosa volumina juris,
Spissum

Spissum opus & propriis innectens vincula vinclis,
Quantum illi doctæ debes doctissime gentis
Doctor Aristoteles? latio sermone loquentem
Quem fecit, nostroque etiam nonnulla rogatu,
Ferme opus extremum. Sed quis numerare potis sit
Omnia, quæ pulchris apparent illita chartis?
Nam quid carminibus memorem laudesque virorum,
Et sanctorum, alta cœli quos Christus in aula
Exhilarat vultu? Tiburtinumque recessum,
Quem Pater Hippolytus priscorum æquavit honori,
Magnaque quæ pueris, tantus vir, condita versu
Argolico præcepta, dabat versuque latino.
Sunt pueris præcepta viri quæ implere docendo
Lætentur, metuant non discere. Magne Tuane
Felix morte tua, cui nominis auctor
Obtigit, ut grandi celebraret carmine vitam.
Tantum ille & versu poterat, tu Mantua testis;
Sanctorum ad laudes Mureti dulciter hymnos
Scilicet in templis sacra inter munera cantas.
Lauretana domus testis, cui nobile carmen
Quod sacrorum olim vates pius edidit, audit
Orbis, & hæretica haud potuit contemnere pestis.
Anne etiam memorem variarum illustria rerum
Doctorum contrita manu monumenta, lepore
Aspersa egregio, qualem non Itala tellus,
Ni fallor, nec fallor enim, gustaverat unquam?
Anne etiam ad caros olim quæ scripsit amicos?
Sed quid ego hæc memorem, nostro quæ cognita seclo,
Postera laudabunt, & nosscent secula, dum se
In mare præcipiti devolvent flumina lapsu?
Dicam ea, quæ multis incognita, nec mihi soli
Cognita, cum certos liceat producere testes.
Proh quantum amittis Stagiræ civis, & omnis

Historiæ

Historiæ princeps, Plato quantum tu quoque, quantum
Thucydide & Livi, & Xenophon, & grandis Homere?
Proh quantum legum rudis indigestaque moles?
O Tulli, o Crispe, o Plini, o lenissime Cæsar,
O qui multarum pandis miracula rerum,
Atque virum historias & vitas scribis, & omnes
Instruis officiis, Plutarche; & moribus ornas.
Denique quoscunque est oculis dignatus & alto
Ingenio auctores, quantum amisistis in uno?
Ille quidem maculas tergebat, & abdita sensa
Exponebat, uti foret ad consulta vocatus,
Quilibet ut calamo mentem commisit & arti.
Sed quid ego hæc miser? infelix amittere majus
Quid potui? in me omnis cecidit collapsa ruina
Et prope sum tantæ cumulatus pondere molis.
Illius haud fruar alloquio, lucemque morantem
Et matutinas consumens dulciter horas
Atque inter risus delibans seria dicta.
Hæc Murete unum Franciscum incommoda tangunt
Bencium, & agnoscit lacrymans lacrymabilis idem,
Quid merito doleat quantumque amiserit eheu.
Nam tibi jam tandem requies concessa laborum.
Quippe sacerdotem, ut spero, majora parantem
Ex animo Christus, perpendens facta, sacerdos
Maximus ætherio in solio considere jussit,
Redditus & merito socium te adscivit Olympo.
Roma sacerdotem te nonum viderat annum
Atque sacerdotem tibi rector & arbiter orbis
Poscenti veniam Xistus concessit abunde,
Nec lacrymas tenuit, quin & miseratus eundem est.
Nec minor ex isto spes est, quod tu omnibus armis
Instructus, cœli consors Ecclesia quæ dat
Militibus, ceu victor abis: quod publica Xistus

Com-

Commoda quæ tribuit, proprios convertis in usus:
Quod jamjam Christi, satiandus corpore, coram
Omnibus, ad sacrum obsequium qui accedere, quinque
Visere te poterant, multum lacrymantibus ultro,
(Insignis pietas nullum reticenda per ævum
Tam raro exemplo,) quos munere largo
Ditasti, & partem haud meritos, veniam petis. Auctor
Consilii Deus ipse fuit, noctemque diemque
Quod vidi, hoc tantum consumptum munere vocis:
O Deus, o Christe! Hunc anima fugiente vocabas,
Hunc agitans animo singultibus interruptis.
Et tamen hæc inter, memini & memorare de corum est,
Omnia cum memorem fugissent avia mentem,
Ut tua luminibus fixisti lumina nostris,
Quem dudum oraras, ne summo in tempore deessem.
Me, me cognosti & voluisti dicere patrem,
Deseruit prior heu conantem syllaba linguam
Atque pa, pa, tantum profers & brachia pandis.
Heu dolor! hinc tandem luctatus tempore longo
Spiritus invito te corpore decedebat.
Et pulchrum vultu placido lætumque reliquit.
Hinc vero ad templum, trino quod numini & uni
Addictum celebrant Galla de gente sodales,
Quos coluit semper, donisque ingentibus auctos
Quos voluit moriens, dum plures ordine cœtus
Funereas de more faces longo agmine portant,
Alternantque preces, solemni funere fertur.
Filius hunc fratris, rerum & cognominis hæres,
Prosequitur longa procerum comitante caterva.
Jam Murete vale, vale o Murete, sequar te.
Duximus exequias, & vitam ducimus? eheu!
Te sine vita gravis, sine te sine mente relinquor.

Egregii

Egregii juvenes vos, o mea maxima cura,
O vestri memores generis misereſcite vestri,
Cui ſuus abſceſſit, nec opina morte, magiſter.
O ego, ſi poſſem noſtros auferre dolores
Carminibus, nunquam facerent hæc carmina finem,
Sufficeretque dolor lacrymas, lacrymæque dolorem.
Et quantum eſt vitæ, quantum eſt in corpore robur
Efficerem, ut Mureti orbis me noſſet amantem,
Atque animi audiret teſtantem vulnera fletu.
Sed dolor haut ponit vires, creſcitque medendo
Crudeſcitque magis; nec deſit cauſſa doloris.
Muretus periit, revocari funera longo
Haut poſſunt fletu, ac lacrymæ & teſtantur amorem
Et deſiderium præcepti pignoris ingens.
Quod mihi ſi liceat ſuperis extollere molem
Atque tuis Murete æquum virtutibus addam
Hæc etiam æternum ut ſcribantur verba ſepulchro.
Muretus jaceo hic: precibus me attolle, viator.
Gallia me genuit, Veneti florente juventa
Excepere, virum venerata eſt Roma, ſenemque,
Corpus humi, ingenium in ſcriptis, mens ſedit in aſtris.
Hocque ipſo claudam lugubres omine cantus

PHILIP-

PHILIPPI POLEARII BRUGEN. FLANDRI JC.

In Obitum Eruditissimi Ornatissimique Viri

M. ANTONII MURETI,

Poëtæ atque oratoris optimi, elegantissimi omnium Philosophi, Juris interpretis prudentissimi, atque omnis antiquitatis bene periti, Civis Romani, Præceptoris ac Patroni Optimi.

ROma diu felix insuetos edere questus
Incipe; Roma novis mœrens ululatibus adde
Lamenta, adscriptum nam fata immitia civem
Eripuere tibi, qualem vix prisca tulerunt
Secula, seu Decios numeres, clarosque Camillos,
Facundo doctos seu cum Cicerone Catones.
Roma fleas, studiisque tuis qui favit, & auxit
Teque tuosque diu: ne possis barbara dici,
Qui fecit vigili cura & conamine miro,
Deseruit terras, doctissimaque ora quierunt,
Quæ Phœbi merito poterant oracula dici.
Heu quonam blando vultus condita decore
Majestas abiit? quonam facundia? quonam
Quæ ornatæ magnis fuerant virtutibus illæ,
Illæ, inquam, ingenii dotes? Prudentia quonam?
Muretum cur non servastis, dicite Musæ?
Arpinis cujus laviſſe liquoribus ora
Phœbum non puduit, sophiæ cui tradidit artes.
Quemque manu apprensum bifidi per culmina montis
Musæ duxistis, monstrantes vertice ab uno
Immensos Latii campos, felicia rura,
In quibus indomiti lusit præceptor amoris,

In

In! quibus ipsa suum spatiari Mantua gaudet
Doctiloquum civem, gaudet Verona Catullum
Versibus ornarunt & quotquot Tyberis undas;
Monstrantes alio puero de vertice largos
Grajorum campos, quos aurea copia vestit,
Frugibus & lætis ubi vatum & fronde coronat
Tempora. Nam Andinum puer hic conspexit Homerum,
Ascræique senis decorataque frondibus ora,
Estque cothurnati hic miratus carmina vatis,
Thebanique lyram, liricum non ultima Vatum
Pars fuit. Heu mœstæ lugubria dicite Musæ
Carmina; vosque novi lacrymis urgete sepulchrum
Mureti Vates. Cur illi illuxit Apollo
Nascenti? Argolici quem non facunda Periclis
Fulmina terrebant? immites dicite parcas
Turba Oratorum: cujus pendebat ab ore
Purpureus summo fasces moderante senatus
Gregorio, Orator superas concessit in auras.
Nondum primo genas flore exornabat opaco
Ætas, cum teneram majoribus applicat orsis
Mentem; sanctarum sinuosa volumina legum
Aggreditur, discitque reos servantia Jura.
In quibus ipse brevi tantum profecit, ut illum
Admirarentur cani præcepta magistri.
Tradentem cura vigili. Sed lubrica cuncta.
Cernit ut immani tua, clare Lutetia, tecta
Ardere heu belli studio nec Palladis artes
Florere ut solitæ fuerant, Phœbique remissum
Ardorem, & sacras expulsas urbe sorores,
Mavortisque feri turbari Gallica sævis
Rura armis, fictum ramum prætendere olivæ
Infestas furias, iterumque iterumque redire

Sacrilegi adversus Musas fera tempora belli
Ornatura ducum Musis invisa triumphos:
Heu sedes animosa tuas Pataræus Apollo
Gallia, cum castis tua tecta sororibus, una
Muretum abducens, liquit. Non ipsa relinqui
Digna erat, Aoniis nam fecerat otia Musis
Altrix præstantum semper facunda virorum
Gallia? Pegaseis possit locus esse puellis
Hic, ubi quæ ipse chori princeps dictavit Apollo,
Tisiphone ventis & nubibus irrita donat?
Ergo Muretus, fidi non infima nati
Absens absenti officia exhibiturus abivit.
Jam Rhodani celeres cursus superaverat, & te,
Magne Garumna, tuos fluctus post terga relinquens
Cum Phœbo, nec eum natalis linquere terræ
Dulce solum piguit. Venetum delatus in oras
Ad Phaëtontei pervenit pinguia lassus
Rura Padi, laceris quærens prata otia Musis.
Eloquii hic igitur clari dare signa coactus,
(Scire etenim nostrum nihil est, nisi nos sciat alter
Scire, (haud exiguas vires in carmine monstrat,
Seu canat aurata heroos testudine versus,
Seu moveat lyrici modulantia crusmata plectri.
Talem olim referunt miro modulamine dura
Saxa chely movisse & nigras carmine silvas
Ismarium Vatem & sævos traxisse leones.
Obstupuit præceps miratusque Adria pulchri
Oris & ipse decus, mistum & gravitate pudorem,
Hunc etiam virides circum delphines in undis
Adnarunt, parva rate dum ferretur in Urbem,
Quæ caput antiquum mediis e fluctibus effert.

Hanc

Hanc colere & vidit bene relligionis honores
Florere, & divæ hic laqueataque ſurgere tecta
Aſtrææ, clari cui immenſis ſumptibus alta
Cives marmoreis ſtatuerunt fulta columnis
Templa, deam ſacris mactantes rite verendis.
Cujus conſilia antiqui moderantur habenas
Imperii paribus, quibus eſt respublica curæ,
Auſpiciis, regere atque ſuos defendere cives.
Hic igitur placuit Mureto figere ſedes,
Eloquium cujus Veneti mirantur & ora.
Non aliter Graji celebrant Demoſthenis ora,
Cujus Palladiæ tonitru decorantur Athenæ.
Extemplo Auſonias velox it fama per urbes,
Gallum hominem, Latias doctum Grajasque Camœnas
Errantem Venetum vulgans in littore, caſtis
Nutritum a Muſis, cui Pallas tradidit artes.
Nec mora, qua trifido Dives Ferraria floret
Cincta Pado, pernix cunctis velocior Euris
Læta volat, pictis turrita pallatia peni
Intrat, Mureti cupido devincit amore
Eſtiadum mentes; inter quos maximus ille
Hippolytus, qui purpurei & fuit ipſe ſenatus
Gloria, qui Phœbo claros extruxit & hortos
Muſarumque choris, gelidi qua Tiburis unda
Labitur, exornant pomaria mille figuris.
Solus eo ſuetus miſeris facere otia Muſis
Tempore, Muretum accerſit, quem munere largus
Donatum largo, grata requieſcere in umbra,
Vatibus ut quondam Mæcenas fecit. At ille,
Hinc majora agitans, cœpit ſub principe tanto
Divini ingenii maturos edere fœtus:
E quibus, ut duro fulvos ex ungue leones

Noſcimus, eſt notus. Claram hinc accitus in urbem
In ſeptem geminis conſedit collibus. Uno,
Seu quæ in Cimmeriis tenebris natura latere
Abdita vult, tanto ſolers interprete gaudet,
Muretus celſi recolens ſpatia alta Lycei,
Seu docet inſtabilis vitæ præcepta regendæ,
Seu tradit claram Demoſthenis artem,
Seu docet auxilium oppreſſis præbentia Jura:
Sic omnes alios liquit poſt terga magiſtros,
Unius ut docto ſolum penderet ab ore
Non modo quæ ingenio claret Romana Juventus,
Quæque ſuam queritur ſublatam Gallia prolem,
Purpureique Tagi & latices qui jactat Iberus,
Danubium & te Rhene bibens, Germania dives,
A locuplete Tago Romam ut delatus Iberus,
Hiſtorici quo clara Titi olim cerneret ora:
Sic deſiderio Mureti Gallus in urbem
Venit, & ipſa ſuos natos Hiſpania miſit,
Pannoniusque ferox, & flava Britannia prolem.
Venere audaces in mutua vulnera Belgæ,
Inter quos dulcis patria ſolabar in urbe
Mureti auxilio caſtis gratiſſima Muſis
Rura relicta. Nihil ſupereſt, nunc omnibus orbo
Ah ſine te, Murete, mihi nil urbis in urbe eſt!
Ah ſilet ipſa chelys, quam tu laudare ſolebas
Nunc mea! nam lacrymans querulis ſi forte quid audet
Verſibus, ah ſolum tua triſtia fata recenſet.
Non tantum patriæ me turgida prælia curis
Exagitant, quantum me me tua funera turbant.
Perdita nec tantum jam nunc mea commoda torquent

Me,

Me, quantum ipsa ferunt hei publica damna doloris.
Plusçula vixisses Antoni tempora, summus
Ipse tuæ Sixtus claro, tribuisset honores
Virtuti, sanctus quem Petri in sede locavit
Spiritus, extrema sacrum dum voce senatum
Exhortareris. Nimium sed iniqua negarunt
Numina; quin renovas violentos ira dolores?
At nihil hic tristis luctus, nil proficit ira.
Nam nil perpetuum varia sub lampade lunæ:
Haud ulli tetricæ didicerunt parcere parcæ,
Quare age Musa modos, & tristia carmina siste.
Ultima dic bona verba, nefas contundere planctu
Pectora: Roma tibi non fas lugere Beatos.
Ille tuus civis radiantibus additus Astris
Credita Muretus sperataque gaudia carpit.

IN MURETI LAUDEM
CARMINA.

Joannis Matthæi Toscani.

CErtamen, MURETE, novum: Te Gallia civem
Asserit hinc; illinc terra Latina suum,
Quem nunc implentem Romana palatia voce
Eloquii priscum restituente decus,
Attonitus stupuit post ter sibi secula quina,
Tybris inauditos dum bibit aure sonos.

Te mea Roma suis dum nuper civibus ulero
Annumerat, gaudens talia verba dedit:
Terra mihi tales Lemovix dum mittat alumnos,
Nil te, Arpine, moror, municipesque tuos.

Ejusdem.

(id quod docuit Orationum quatuor Mureti editio Ingolstadiana A. 1585.)

RHetora te tantum si secula prisca tulissent,
Jamjam immortalis lingua diserta foret.
Secula si tantum novissent prisca poëtam,
Jamjam immortalis Musa carona foret.
Rhetora sed postquam simul hæc genuere poëtam
Secula, noster eris Virgilius, Cicero.
Te tua posteritas Ciceronem sæpe vocabit,
Teque ut Virgilium mente manuque tenet.

Pantaleonis Thevenini, Commerciensis Lotharingi.

(quod eadem docuit editio.)

DEliciæ, Veneres, gravitas simul ac majestas
Miscentur scriptis, docte Murete, tuis.

II.

TAntus es Orator, tanturque Poëta, Murete,
Ut possis dici Tullius atque Maro.

III.

INvidit rebus Gallorum Roma secundis,
Fecit te civem, culte Murete, suum.

Gui-

Guilielmi Blanci Albienſis Galli Juriſconſulti.
(e Muſeo Hiſtor. Joannis Imperialis p. 112.)

Gallia me genuit, genitum me Roma recepit;
Illa ſinu juvenem fovit, & iſta ſenem:
Illa dedit vitam, vitam mihi ſuſtulit iſta:
Illa dedit cunas, iſta dedit tumulum.
Utraque me genitum gaudet, colit utraque vivum,
Utraque defunctum flensque gemensque dolet.

Incerti.

(E Vol. II. Orat. Mureti, edit. Mogunt. A. 1615.)

Dum ferit (heu) tragico Ciceronem Antonius enſe,
Elinguata ſilent Curia, Roſtra, Forum.
Te vero veniente redux Patriæque Forique,
Roſtrorumque decus deliciumque redit.
Acciſoque olim graditur jam Roma cothurno,
Seque illam veterem Roma novella canit.
Sic Marce es Marcus, Ciceroque es magne Murete,
Seu linguam accipiat Curia, ſive manum.
Quid rear? anne tuo eſt Ciceronis lingua palato?
An tua jam dextra eſt, quæ Ciceronis erat?

TESTES
ELOQUENTIÆ MURETI.

Jac. Aug. Thuanus Hiſtor. lib. LXXXI. f. 42.

M. Antonius Muretus - - ingenio præſtanti & ad omnia nato præditus, quod in politiori litteratura præcipue exercuit, utriusque linguæ peritia clarus, ad quæ omnia acerrimum judicium attulit: - - in Ateſtini Cardinalis ac familia conſenuit,

majore semper ad eruditionis ac facundiæ præstantiam facta cum ætate accessione.

Scævola Sammarthanus lib. III. Elog. p. 148.

Quis non miretur hominem Gallum, & quidem in Lemovicibus natum *a*) suo ipsius ingenio, & absque ulla præceptoris opera eruditum; tantos in litteris fecisse progressus, ut præter exactam Græcæ linguæ scientiam, ipsis etiam Italis peculiarem illam Latini sermonis laudem unus eriperet? Neque vero id Muretus in Oratione soluta solum, sed in versibus etiam assecutus est, in quibus tam erat Catullo similis, quam ipse Catullus sibi.

a) *Hic pertinet illud etiam ejusdem Sammarthani lib. I. Epigr. p. 248. ad Lemovices:*

Qui rudis incultis Lemovix in montibus olim
Rapa modo ediderat, castaneasque nuces,
Hoc demum insolitos producens tempore fœtus
Æmula Romanis edidit ingenia.
Te quoque quid memorem, fruitur quo Romula tellus,
O decus, o secli Varro, Murete, tui?

Joannes Imperialis Musf. Histor. p. 11.

M. A. Muretus latinæ orationis facundia tantum sibi apud omnes gratiam conciliarat, ut ejus ævi quasi alter Tullius concordibus Italiæ vocibus acclamaretur. - - De ipso tandem hoc jure optimo proditum, quod in pangendis carminibus Tibullo conferendus, in prosa oratione recentiorum cuilibet præferendus, - - - Gallica præconia insigni, nec interitura laude cumulavit.

Jan. Nicius Erythræus Pinacoth. Part. I. p. 12.

Si Rhetoris sunt partes, dicendi præcepta tenere, eisque alios imbuere, quis Mureto sit dignior hoc nomine? - - Neque Poëticæ inanem operam dedit,

dit, sed utilem atque præstantem. Nam & elegos, & odas, & epigrammata, & hymnos, ad veterum Poëtarum elegantiam scripsit. At mihi eloquentiæ in eo virtus, quæ merito omnium maxima habetur, cæteris ejus laudibus videtur antestare. Quid enim ejus Orationibus inveniri perfectius potest? qui flos, quod lumen, quis naturalis, non autem fucatus, in eis nitor desideratur? quis humilia subtilius, ampla sublimius, mediocria temperatius potuit dicere? quibus virtutibus perfecti Oratoris laus continetur. Quis nostra ætate sermonis genere usus est adeo gravitatis, doctrinæ, prudentiæque refertо, & in quo præterea omnes verborum, omnes sententiarum illigentur lepores, præter hunc? quis magis latine, pure, dilucide suaviterque locutus est unquam, & quod refert, qui oris pressu & suavitate appellandarum litterarum se magis hujus civem urbis, non peregrinum, significaret? - - - Quamobrem illud assecutus videtur, ut non hujus modo seculi, sed multorum etiam superiorum, oratorum princeps habeatur.

Jacobus Rosettus Epistola ad Antonium Romitum Vincentinum: (quæ legitur in fine Colonienſis, Mureti Orationum editionis A. 1601. ante Sigonianas.)

Tractant illæ (*Mureti Orationes*) res serias, tractant res graves, nec delectant modo, sed magis docent. Cum lepore elocutionis Romanæ, quo ipse nostro tempore præstitit, conjunxit pulchrarum rerum & honestarum explicationem, quæ non tantum cognitionem mentemque ornare, sed ad agendum etiam, & ad vitæ munera tam in privatis rebus, quam in publicis conferre possunt.

M. Anton. Bonciarius præf. in Epistolas suas p. 19.

De illis institui dicere, qui non ita pridem excesserunt e vita. De quibus unus, (nisi me studium atque amor fallit,) impleſſe omnia, vel prope omnia visus est M. Ant. Muretus. Qui latinis græcisque litteris excultissimus cum soluta & vincta numeris oratione præstaret tam insigniter quam æqualiter: in una orationes & epistolas edidit, utrasque post Ciceronem elegantissimas, & doctorum judicio probatissimas; in altera omne genus poëseos ita expressit, ut cum excelluerit in singulis, dubium tamen incertumque reliquerit, graviorne in heroicis, an festivior in lyricis, an acutior in Satyricis videretur.

Franciscus Beucius Orat. XIII. p. 170.

Muretus, cujus de incredibili scientia, commemorabili ingenii magnitudine laudeque dicendi tum communis omnium opinio, tum constans illa mea ac debita ejus celebrandi consuetudo, tum denique ipsius celebritas nominis, atque scriptorum elegantia, quæ etsi carent spiritu illo & majestate dicentis, omnem tamen præ se florem ferant, & splendorem eloquentiæ, ne plura repetam, facit.

Andreas Schottus lib. IV. Tull. Qu. c. 1. p. 269.

Sic factum, ut M. Ant. Muretus, duos ipsos & viginti annos eloquentiam in Italia profeſſus ad summam bene dicendi laudem antiquorumque gloriam pervenerit.

Hierem. Drexelius Part. I. Aurif. c. 6. (Tom. II. Oper. p. 1059.)

M. Antonius Muretus in Rep. Christiana Tullius.

Justus Lipsius Cent. I. Epist. 22. p. 25.

Quis non a Turnebo aliquo doctior redeat? prudentior a Sigonio? disertior a Mureto? quorum ego non auditum solum magno emerim, sed visum.

Idem

Idem ad I. Annal. Tacit. n. 28. p. 5.

M. Antonio Mureto, cujus scripta Venus inhabitat pariter cum Musis.

Idem ad II. Annal. Tacit. n. 170. p. 66.

M. Ant. Mureto, cujus doctrina, judicium, facundia semper mihi magna.

Ludov. Carrio I. Lect. antiq. 17. p. 43.

M. Ant. Muretus, homo quot sunt hominum eloquentissimus & politissimus.

Dan. Heinsius de Tragœd. Constit. p. 156.

Muretus, quo post litteras renatas nemo sine affectatione elegantius scripsit.

Casp. Barthius animadv. ad Papin. III. Theb. p. 857.

Doctissimo, elegantissimique eloquii superioris seculi viro M. Anton. Mureto.

Joh. Caselius c. 8. de Magistro dicendi p. 56.

Romæ eodem tempore docuit M. Antonius Muretus, de cujus puro sermone, & priscæ notæ eloquentia multis verbis agere nec audeo. quod haud merito possum, nec opus est, quia per se nota res.

Christoph. Colerus epist. de stud. Polit. p. 210. (Edit. Buchn. cum Naudæ Bibliogr.)

Muretus vel perorans, vel familiarius agens coram Cicerone placeat.

DEDICATIO VOLUMINIS I. ORATIONUM.

SCIPIONI GONZAGÆ MARCHIONI ET S. R. I. PRINCIPI,

M. ANTONIUS MURETUS S. D.

Offero tibi munus, Scipio Gonzaga, si aut ex sua, aut ex tua dignitate spectetur, perexiguum; si ex viribus meis, mediocre; si ex animo, magnum. Orationes quædam sunt, variis a me temporibus habitæ: quas, cum partim dispersæ atque errantes vagarentur, partim apud me in adversariis neglectæ jacerent, nunc in unum corpus collectas ut edi ac divulgari paterer, amici quidam multo mei, hac quidem in parte, quam par est, & quam ego ipse vellem, studiosiores, impulerunt. Satis superque fuerat, eorum partim in scholastico pulvere, atque in illis eruditorum hominum umbraculis, non tantum recto, ut dicitur, stetisse talo; sed plausum etiam & ἐπισημασίας tulisse: partim in illo consessu, quo nullum habet terrarum orbis augustiorum, & silentio auditas, & principum virorum testimonio commendatas fuisse. Superarat fortuna spes meas: quam sæpius sine caussa experiri, negant esse sapientis. Neque nescius eram, morosiora ac difficiliora esse legentium, quam audientium, judicia: sæpeque accidere, ut, quæ audientes mirabamur, eadem legentes rideamus. Sed quid facerem? Cupienti mihi jam latere, amici obstiterunt; quibus parendum fuit: ne, si in negando pertinax essem, superbiæ denique id potius, quam modestiæ, adscriberetur.

tur. Cum igitur inibi esset, ut ederentur, libenter arripui occasionem diu optatam inscribendi tibi, ut nunc fit, aliquid depromptum ex studiis meis, eademque opera testificandi & judicii de te, & mirifici cujusdam amoris erga te mei. Vere enim hoc dicam, Scipio: cum omnes, qui te norant, ita te ament, ut eorum nemo sit, qui se studio atque observantia tui cedere cuiquam putet; ego tamen mihi videor diuturna & accurata notatione & observatione earum rerum, quæ te usque eo omnibus amabilem reddunt, singulare quiddam præter cæteros πεπονθέναι. Quid est enim, quod ad conciliandas ac devinciendas hominum voluntates valeat, quin id in te omni ex parte perfectum reperiatur? Nihil hic de summa atque antiquissima gentis vestræ aut nobilitate, aut potentia dicam: nihil de toto illo genere bonorum, quod ita tuum est, ut & aliorum sit. Alios & ista amatores habent. Ego in te nihil amo, nisi teipsum. Itaque ut ille Rex potentissimus ex amicis suis alium dicebat esse Φιλοβασιλέα, alium Φιλαλέξανδρον: ita tu, alios esse, qui & alia in te ament, me plane & ex animo Φιλοσκιπίωνα esse tibi persuadeas licet. Ac teipsum cum dico, ne illam quidem dico & oris & totius corporis dignitatem, quæ tibi omnium elegantiorum hominum animos primo statim adspectu conciliat, constituens, quoad ejus fieri potest, ante eorum oculos, & ingenium, & mores tuos. Quamvis enim vere dixit nescio quis poetarum, gratiorem in pulchro corpore esse virtutem: ea tamen est in te veriorum ac solidorum bonorum copia, quæ te his secundæ, ut ita dixerim, notæ bonis censeri non sinat. Ingenium excellens, & in quo, tanquam in pingui ac feraci solo, omnes te dignæ artes ita facile comprehendant, ut eas non ab aliis accipere, sed ex te ipse parere ac proferre videaris. Quo tu usus ita ut decuit, a Græcæ Latinæque linguæ intelligentia, a Poetarum, Historicorum, Rhetorum cognitione ad Philosophiam, & ad eam, quam tibi ab ineunte ætate proposue-

posueras, quæque tibi nunc in amoribus ac deliciis est, Theologiam ea celeritate properasti, ut, quæ honoris ac dignitatis præmia confecto studiorum curriculo tribui ac decerni solent, ea tu nunc meritissimo consecutus sis, cum adhuc maturum videri poterat de animo ad illas graviores disciplinas adjiciendo cogitare. Atque ut istius generis ingenium nunquam ita esse otiosum potest, ut omnino nihil agat: quod tibi dabatur a severioribus studiis excepti ac subsecivi temporis, eo tu, quasi ludibundus, eas artes, in quibus ingenui adolescentes exercerî olim Athenis solebant, ita omnes didicisti, itaque te in eis exercuisti, ut in earum qualibet cum summis artificibus comparari facile possis. Quid nunc ego mores illos tuos plane, ut Poetæ loquuntur, aureos laudem? Potuitne quisquam unquam bonus tecum biduum vivere, tuæque suavitatis partem aliquam gustare, quin, ut sibi totam ætatem tecum exigere liceret, optaverit? Ita tu, quod rarissimi exempli est, summam integritatem vitæ, cum summa comitate ac facilitate copulasti. Sed nolo nunc plura de te: ne ipsi tibi molestus sim. Equidem cum de scriptis meis non magnopere laborare soleam, tamen hunc librum præcipue cupio & celebrari nunc, & ad posteros pervenire: ut exstet aliquod testimonium judicii de singularibus tuis virtutibus mei. In quo ne forte quis eorum, qui te non norunt, (nam de iis, quibus tu notus es, nihil tale metuo,) assentationi & consuetudini datum esse, aliquid suspicetur: Deum immortalem testor, nil unquam a me verius, magisque ex animi mei sententia scriptum esse, quam ea, quæ de tuis laudibus scripsi. A te peto, ut me ames: quo me ipsi mihi efficies cariorem. Vale, Romæ Cal. Maj. 1571.

DEDI-

DEDICATIO VOLUMINIS II. ORATIONUM.

FRANCISCUS BENCIUS
Societatis JEsu

SCIPIONI GONZAGÆ
Cardinali S. P. D.

QUod facturus fuerat M. Antonius Muretus in edendo posteriore Volumine Orationum suarum, si adhuc viveret; quod post ejus obitum Fratris filius summa spe & animi & ingenii adolescens, nisi immatura morte præreptus fuisset: id mihi viri optimi tibique addictissimi, M. Antonius Lanfrancus, & Ludovicus Rivaldus, ab hoc instituti hæredes ad pias caussas, ut facerem, & valde quidem ex mea voluntate persuaserunt. Tuæ enim Amplitudini destinatus liber exit in publicum, & velut posthuma proles te tutorem requirit: hoc profecto justius, quo viginti abhinc annis germanum ejus fratrem in tuum patrocinium accepisti; hoc confidentius, quo a tua dignitate nunc ampliore majus sperare ornamentum & præsidium meritissimo potest. Neque vero tamdiu distulissemus expectatam a multis & expetitam editionem, nisi in conquirendis orationibus, quæ partim in Mureti adversariis erant dispersæ, partim ab amicis fuerunt exprimendæ, (etsi non repertæ omnes, & harum aliquot imperfectæ,) multum fuisset elaborandum. Hoc dum effecimus, quadriennium effluxit. Et sequentur deinceps alia divini illius ingenii monumenta. Utinam autem, qualis tua erit tutela commendati operis, talis mea esset commendantis facultas! Ostenderem profecto, Mureti orationes propter summam verborum elegantiam,

& copiam rerum pulcherrimarum tibi, viro eruditissimo politissimoque proprie commendatas, & te propter incredibilem magnitudinem animi, gravitatem, fidem sapienter delectum, qui earum commendationem susciperes, fuisse. Sed Mureti eloquentia laudationem meam non desiderat, & laus tua ita vere accurateque est a praestantissimo oratore viroque sapientissimo in Epistola ad prius Volumen expressa, ut ea adducti omnes, etiam qui non viderunt, singulares virtutes tuas admirari ac suspicere cogantur: quanquam mihi sunt & aliæ causæ, cum communes multæ cum meis sodalibus, quorum omnium eximia est erga te observantia, tum propriæ aliquot meæ. Tot enim extiterant tuæ erga me humanitatis argumenta, tamque illustria, ut magnopere lætatus sim, extitisse tempus, quo intelligerent omnes, & tu inprimis, Bencium Mureti discipulum hoc etiam a Magistro didicisse, ut in Scipione Gonzaga Cardinale amando & colendo nemini concedat. Utriusque rei indicium erit novum hoc munus, quod tibi ut renovet memoriam mortui, & declaret voluntatem superstitis, ipsum vero sub umbra tui præsidii nunquam intereat, offertur.

Vale, e Collegio Romano.



M. AN-

M. ANTONII MURETI

ORATIONES,

duobus Voluminibus

distinctæ.

MARCI ANTONII MURETI

ORATIONUM

VOLUMEN PRIMUM,

De dignitate ac praestantia studii Theologici,

ORATIO PRIMA;

Habita Lutetiæ Parisior.

Non. Feb. MDLII.

CUm omnes mihi singulari quadem, ac præcipua laude digni videntur, qui in assequenda honestarum artium scientia operam & industriam suam collocant, tum ii præcipue, qui veluti majore quodam numinis afflatu perculsi, cæteris omnibus posthabitis, ad divinarum rerum intelligentiam omnes cogitationes suas, atque omnia studia

contulerunt. Nam si eorum omnium, quæ in hac immensa rerum universitate cernuntur, unumquodque naturali perficiendi sui desiderio tenetur: & animus noster ad similitudinem divinitatis efficius tanto perfectior est, quanto propius ad illud, ex quo ductus & propagatus est, exemplar accedit; dubitari profecto non potest, quin ea sit omnium præstantissima facultas, quæ, quoad ejus fieri potest, cum humanis divina copulando, mortalitatem nostram, quantum illius imbecillitas patitur, divinæ naturæ arctissima colligatione devincit. De illius mihi facultatis laudibus, hodierno die, demandatum est ab iis, quorum & apud me plurimum valet, & apud omnes peræque valere debet auctoritas, non ut eas quidem sigillatim percensere omnes, ac flore orationis convestire conarer, (quod & imperare iniquum esset, & suscipere temerarium) sed ut ex earum innumerabili copia pauca quædam seligerem, de quibus ex hoc amplissimo loco, vobis audientibus, explicarem. Qua de re cum mecum initio ageretur, refugiebam equidem tanti oneris magnitudinem, veritus, ne idem mihi contingeret, quod nobili olim sophistæ apud Annibalem de rebus bellicis longa accurataque oratione disputanti contigisse dicitur: si homo adolescens, & cum a cæteris rebus satis tenuiter instructus, tum in hoc genere penitus rudis, inter tot eruditissimos viros, ad dicendum de rebus divinis aggrederer. Illud etiam me commovebat, quod præclare a Platone scriptum noveram, orationi, & iis rebus, quæ oratione tractantur, quandam inter se cognationem intercedere oportere; ex quo facile intelligebam consequi, ut ad res divinas pro dignitate tractandas divinum quoddam requireretur orationis genus. At ista quidem, re adhuc integra, fortassis majore quadam cautione providenda fuerint: nunc quidem jam semel altum ingressis, quæ nos cunque tempestas exceptura est, vela

vela nimirum facienda sunt. Illud modo, antequam ulterius provehar, a vobis summopere contendo, ut, quando omne mihi perfugium in vestra bonitate ac clementia situm est, tenuitatem meam vestro favore & silentio sublevetis, quo mea oratio his veluti secundis subvecta ventis, quem sibi proposuit, portum facilius consequatur. Atque ut hinc exordiamur, si nihil diceremus aliud, nisi eam, quæ antiquissimo vocabulo Theologia dicitur, scientiam esse quandam, quæ divinæ sapientiæ thesauros hominibus recluderet, tamen illud, ut opinor, liquido constaret, quanto æterna nativis, immortalia caducis, divina humanis antecellunt, tanto esse hanc facultatem cæteris omnibus anteponendam. Sed quemadmodum qui præclari alicujus ædificii pulchritudinem pervidere, ac penitus cognoscere cupiunt, non satis sibi esse ducunt illud uno totum aspectu contemplari, sed singulas etiam sibi partes accurate perlustrandas, ac seorsum considerandas putant: ita nos, si hujus præstantissimæ facultatis partes paulisper excutere voluerimus, tum demum, quanta illius pulchritudo sit, intelligemus. Theologia igitur, viri eruditissimi, ut a majoribus nostris accepimus, duabus præcipuis partibus continetur, quarum una in Lege posita est, altera in Evangelio. Est vero ea lex, de qua loquimur, non ab humano profecta consilio, neque similis earum, quæ hominum libidine statuuntur, in quibus multa inepte ac ridicule, nonnulla etiam impie ac nefarie sancita reperias, sed primum quidem ab illo hujus universitatis parente ac opifice, Deo, in omnium hominum impressa atque insignita animis, post etiam ejusdem Dei digito in tabulis insculpta lapideis, ne improbis ulla prætendendæ facinoribus suis ignorantiæ occasio relinqueretur. Cumque eam in duo summa capita tribuere liceat, eorum prius, quæ ad

cultum numinis, posterius, quæ ad tuendam hominum inter se societatem pertinent, omnia summa brevitate complectitur. Atque hinc vel inprimis naturæ nostræ imbecillitatem licet agnoscere, quod cum pauca admodum, eaque suapte natura facillima præcepta sint, semper tamen deficiamus alicubi, neque unquam stabilem, inoffensumque cursum perpetuo retineamus. Tremefactus itaque comparatione sui cum divinis præceptis animus, Christo se indigere cognoscit, in cujus sinum confugiat, cujus se viribus provehat, sub cujus bonitate, tanquam sub firmissimo aliquo clypeo, tutus ab iis, quæ lege proposita sunt, suppliciis deliteſcat, ut rectissime Paulus legem pædagogum, qui nos veluti manu apprehensos ad Christum deduceret, nominasse videatur. Eat nunc Lucianus aliquis: Perfricet frontem, & dicat, ullam esse legem, quæ cum hac lege ulla ex parte comparari queat. Quid enim? Quæ, Deum immortalem, portenta in omnibus omnino legibus, si ab hac discesseris, reperiuntur? Quarum aliæ furta, aliæ adulteria, aliæ etiam quædam multo turpiora permittunt, ut nihil pene tam turpe sit, quod non legislator aliquis licere voluerit. Hanc vero sapientissimus ille Moses non a Jove quodam commentitio, ut Minos; non ab Apolline, ut Lycurgus; non ab Ægeria, ut Numa; sed ab eo, qui solus veri Dei nomine censendus est, sibi per manus traditam accepit, ita numeris omnibus absolutam, ut nihil neque immutari, neque adjici, neque detrahi possit. Sed ea tamen, uti antea dixi, morbum quidem nostrum commonstrare ac detegere nobis potest: depellere eundem, ac sanare non potest. Morbi autem cognitio magnam ea quidem vim maximumque momentum ad vires recuperandas habet, neque tamen tantum, ut in ea posita sint omnia. Quare Evangelio nobis Christus aperitur, qui,

qui modo firma in ipsum fide nitamur, non vana illa quidem, & ociosa, quam multi stulte & inaniter jactant, sed solida, & bonarum actionum perpetuo fœcunda, nos, velut humeris suis impositos, tollit in cœlum. O rem omni prædicatione majorem! O nuncium vere jucundum & lætabilem! Cum humana natura primi parentis depressa lapsu pessum tota ferretur, tantam fuisse in filio Dei clementiam, ut delapsus e cœlo, humanam formam induere voluerit, ut corporatus, ac carne tectus infinitis sese laboribus, cruciatibus, ærumnis, morti denique deterrimæ, atque acerbissimæ exposuerit, quo sudore ac sanguine suo ab animis nostris durissimum jugum æternæ depelleret servitutis. Tene, Christe optime, ut nos liberali caussa assereres manu, omnium Dominus cum esses, servi formam assumpsisse? Tene nobis quietem tuis laboribus, libertatem tua servitute, vitam denique tua morte peperisse? Admirantur historiæ veteres Pythagoreum quendam, qui se pro amico in caussa capitis vadem dare veritus non est: at hoc quanto admirabilius est, Dei filium, Deumque ipsum, ut nos, merito nostro inimicos sibi, æternis eriperet suppliciis, tot, tam dira, ac vel dictu, vel cogitatu aspera, & horribilia sustinere voluisse? Et quisquam est, qui alias omnes, si in unum conferantur, scientias cum hac, qua ista tam pulchra, tam admirabilia, tam divina traduntur, ullo modo comparandas putet? Hæc vero una est omni cura, studio, contentione digniſsima. Hæc una est non tam liberalis vocanda, quam liberatrix. Hæc aurea illa catena est, qua cum cœlestibus terrestria copulantur. Hæc scala illa est, quam olim per quietem sanctissimus Patriarcha vidit, cujus gradibus in cœlum scandere liceat, atque illic Deum intueri, admirari, adorare, demittentem semetipsum ex augustissimo illo majestatis suæ fastigio, sese-

que accommodantem ad humanæ conditionis humilitatem: rursusque eundem defunctum nobili illa servandorum mortalium provincia, spoliatisque inferis (o rem omni humana cogitatione sublimiorem!) in cœlum sublimem raptum, vallatumque ac stipatum infinita tum geniorum concinentium, tum hominum de caliginosissimis illis Satanæ ergastulis erutorum multitudine, justo ac pleno triumpho cœlum ingredientem, neque disjecta muri parte, sed valvis suo sanguine reclusis, iter eodem nobis omnibus aperientem. Atque hæc quidem quamvis ejusmodi sunt, ut ad excitandum, inflammandumque quemlibet torpentem animum sufficere posse videantur: tamen ex tam ubere campo alia quædam, nisi molestum est, proferamus. Vere enim illud affirmare posse videor, eruditissimi viri, quemdmodum Platonici elementorum in corporibus cœlestibus quendam veluti florem, in hisce inferioribus quandam veluti fecem esse dicebant: ita rerum omnium cognitione dignarum in Theologia florem, in aliis scientiis fecem contineri. Namque ut hinc nostra se primum efferat oratio, quis nescit, quantopere se in perscrutandis rerum principiis veteres Philosophi torserint, quamque nihil, si res ad verum exigatur, effecerint? Dum alius mundum hunc, & quicquid in eo vel aspectabile, vel tractabile continetur, putat ex temeraria quadam minutissimorum corporum concursione coaluisse; qui si vel unam earum, quas somniabat, atomum cerebri habuisset, nunquam ista tam stulte, incogitanterque scripsisset: alius æternum esse eum, neque desiturum unquam, neque exordium ducentem ab ullo temporis principatu, non animadvertens hac ratione illam, a qua ipse tantopere abhorrebat, infinitatem induci: qui vero optime sensisse creduntur, tamen Deo veluti comitem quandam materiam adjungunt,

gunt, quasi ut artifex, ita Deus sine materia nihil possit efficere. Quid Theologi? hujus universitatis auctorem esse ac effectorem Deum, qui cum innumerabilibus seculis antecessisset, quo temporis puncto ipsi placuit, mundum hunc, & quæ illius ambitu continentur, sine ullis vectibus, sine ullis ferramentis, sine ulla materia, verbo tantum, ac nutu suo ex nihilo architectatus est: eundemque assidue sua bonitate ac prudentia continet, moderatur, fovet, omnes in eo rerum ac temporum varietates, vicissitudines efficit. Quod statos orbium cœlestium cursus, quod certas siderum trajectiones, quod constitutis vicibus insignes ac notabiles rerum commutationes intuemur, hæc & cætera omnia ad eum modum non fortunæ temeritate, aut vi ulla materiæ dirigi, sed divina providentia temperari. Contemplemur & alia. Quid de animo humano Philosophi? Alius eum cor ipsum esse dicit, alius cerebrum, alius cordi suffusum sanguinem, alius spiritum innatantem sanguini, alius harmoniam quandam, alius eum ex numeris conficit, alius ex atomis, ut mihi quidem ista consideranti certamen aliquod insaniæ suscepisse videantur. Ita ex hoc tam confuso, tam vario, tam multiplici terrimarum opinionum veluti cinno, nihil fere colligere possumus, nisi semper copiosissimam messem hominum varie insanientium fuisse. Nam nonnulli quidem ea dicunt, ut eos in re tam seria risum captare atque aucupari putes, ut apud Dicæarchum Pherecrates, qui animum nihil omnino esse contendit, veritus credo, ne quid posset tam absurde aut fatue dici, ut id nemo dixisset philosophorum. Illa vero multo etiam apud eos perturbatior, atque implicatior quæstio est, permaneatne animus corporeis solutus vinculis, an qui corporum, idem sit interitus animorum? Epicurus interire eos putat, nefas ratus,

cum tam multa sibi cum suibus convenirent, se hoc uno ab eis interesse? Stoici longam eis vitam, ut cornicibus, sed non perpetuam tribuunt. Pythagoras vero jucundus est, qui remanere illos quidem docet, sed ex corporibus in alia corpora migrare, ut idem sit forte hodie gallus gallinaceus, qui tempore belli Trojani fuerat Agamemnon. Quid Plato? Quid Aristoteles? de hoc quidem illud Homericum dici potest:

Τυδείδεω δ' ἐκ ἂν γνοίης ποτέροισι μετείη.
Ἦ ἐ μετὰ τρώεσσιν ὁμιλέοι ἢ μετ' ἀχαιοῖς.

Obscuritate enim se involvens sua in neutram partem satis aperte propendet, ut bene in legem Solonis incurrere videatur. Ille autem proxime quidem omnium accedit ad veritatem, sed ei tam multa mendacia admiscet, ut non absurda dicant, qui eum dicunt poëtice philosophari. Quid porro de iisdem rebus Theologi? Animum hominis simplicem quandam & individuam esse naturam, ad exemplar divinitatis expressam, licet ortus participem, tamen interitus expertem, quæ, corpore soluta, si se pure ac pie gesserit, in cœlum evolet, æternam illic Dei beneficio adeptura felicitatem: sin se malis, iisque inexpiabilibus cupiditatibus corrumpendam dederit, ad inferos nunquam desituris damnanda suppliciis deprimatur. Quod si quæ de Deo a balbutientibus Philosophis dicta sunt, cum solida Theologorum doctrina comparare collibuerit, reperiemus hos quidem certa omnia, & explorata, & salutaria tradere: illos vero neque satis, quid dicant, intelligere, & credula ingenia pernicioſissimarum opinionum laqueis implicare. Itaque quod Homerus de Tiresia, Cato de Scipione dixit, idem de Theologia dici potest, eam videlicet sapere solam, reliquas disciplinas, velut umbras, per inane volitantes vagari. Quod si quis eam, quæ ex levioribus studiis percipitur,

pitur, amœnitatem requirit, ne eam quidem in feraciſſimis Theologiæ campis fruſtra deſideraverit. Nam ſive Poëticis modulationibus aures demulcere meditamur, quis unquam ita in hoc genere excelluit, ut cum Davide comparatus non ſordeat? Niſi forte Orpheum, Homerum, Pindarum, de leviſſimis plerumque nugis verba fundentes audire præſtat, quam illum Deo acceptiſſimum regem, nunc Dei laudes plena hilaritatis oratione referentem, nunc ejusdem auxilium in ſummis ſuis difficultatibus implorantem, nunc inſectantem improbos, nunc commendantem probos, nunc ea, quæ multis poſtea ſeculis contigerunt, ita ſubjicientem oculis, ut nullus ea melius Apelles in tabula expingere potuiſſet. Sive hiſtoriæ cognitione ducimur, unde veriores, unde ſcitu digniores hiſtorias, quam ex ſacris litteris repetere poterimus? An vero ſuavius eſt cognoſcere, quid Crœſo in Medos, quid Pyrrho in Romanos expeditionem paranti oblique Apollo, quam quid Moſi ad Pharaonem, quid Samueli in Palæſtinos proficiſcenti, aperte ac perſpicue Deus ipſe reſponderit? quomodo Regulus a Carthaginenſibus, quam quomodo Servator & Σωτὴρ humani generis CHRISTUS a Judæis omni crudeliſſimorum ſuppliciorum genere divexatus fuerit? Jucundiusne, aut fructuoſius arbitramur intelligere, quibus artibus Aſſyrii, Perſæ, Romani cæteras nationes devicerint, quam quibus auguſtiſſimi illi religionis noſtræ principes, aliique deinceps innumerabiles eorum veſtigia ſecuti Chriſtianæ ditionis terminos ampliaverint? O hebetes & ſtupidos, aut, ut verius dicam, miſeros & perditos, ſi qui harum rerum ſuavitatem, fructumque non ſentiunt: contra vero o ter & quater beatos illos, quorum ita eſt affectus animus, ut nusquam ſuavius, quam in his ſtudiis conquieſcat? non eos aut inanium dignitatum, aut fluxarum

xarum opum adurit sitis; non eos voluptatum illecebræ molliunt, liberi & pravis omnibus cupiditatibus soluti, ex illo perenni puteo aquam æternæ vitæ effectricem hauriunt; ex illis perpetuo virentibus campis flores suavissimos colligunt, ex quibus qui odores afflantur, eorum nunquam est intermoritura suavitas; Deo serviunt, Deo adhærent, ejus tantum gloriæ velificantur, eo fruuntur, quæque olim plene percepturi sunt gaudia, ea jam nunc mente ac cogitatione percipiunt. Ergo sive domi, sive foris versentur, cum Deo assidue colloquuntur, sive prosperis rerum utantur successibus, eidem ut prosperitatis suæ auctori gratias agunt: sive quid eis adversi accidit, (quanquam quid ejusmodi viris accidere adversi queat?) sed tamen si quid eis accidit earum rerum, quas vulgus adversas vocat, neque indignantur, neque concidunt animis, sed verbo divino sese solantes, quidquid a Deo immittitur, summi beneficii loco habendum esse ducunt. Proh Deum immortalem! quid est, si hoc non est feliciter vivere; & in terris vitam cœlestium imitari? O vitæ Theologia dux, o virtutum omnium parens, vitiorum expultrix, animorum liberatrix! Quid sine te non modo nos, sed omnino vita hominum esse potuisset? tu depravatas impurissimis opinionibus hominum mentes, velut de integro interpolasti: tu distractos, dissipatosque variis idolorum cultibus homines in unius veræ religionis societatem convocasti: tu magistra morum ac disciplinæ fuisti: ac veluti sol exoriens nubium caliginem dissipat; veluti sidus, quod Castoris & Pollucis dicitur, exortu suo maris rabiem placat, tempestatesque dispellit; ita tu divinitus exorta & tenebras ignorantiæ dissipasti, & illo tuo salutari fulgore procellas veterum superstitionum dispulisti. Tu nobis velut Helice, aut Cynosura quæpiam es, ad quam universus navigationis, id est, vi-

tæ

tæ noſtræ curſus dirigatur. Tu ignis ille cœleſtis es, quem verus ille Prometheus, id eſt, Chriſtus in terras attulit, ſine quo vita conſtare non poteſt. Tu & vitæ tranquillitatem largita nobis es, & mortis terrorem ſuſtuliſti. Beatos igitur, qui ad te, tanquam ad portum, confugiunt: beatos, qui ſe tibi a teneris unguiculis penitus totosque tradunt: miſeros contra, qui, ut proci Homerici, ancillarum amoribus irretiti, te, quæ omnium artium domina es, negligunt. Tu enim earum rerum ſcientiam profiteris, quarum plena cognitio æternam beatitatem, ignoratio æternum exitium hominibus pollicetur. At vos, viri optimi, quos partim hujus præſtantiſſimæ diſciplinæ verticem conſecutos, partim illius ſacris imbutos atque initiatos videmus, macti, inquam, macti animis, neque vos aut labor deterreat, aut voluptates avocent, quo minus in ſacratiſſima illius adyta penetretis. Vobis enim vigiliarum ſudorumque veſtrorum, & magna hic inter homines præmia, & infinitis partibus majora ſunt in cœlo divinitus conſtituta.

DIXI.

De laudibus litterarum,

ORATIO II.

HABITA VENETIIS MENSE OCTOBRI

Anno cIↃ IↃ LIV.

QVæ ſingula hominibus ad dicendum accedentibus timorem facere conſueverunt, patres ampliſſimi, vosque cæteri cives ornatiſſimi, ea mihi ſeſe hodierno die objiciunt univerſa. Sive enim loci amplitudo afferre perturbationis aliquid poteſt, Venetiis dicimus: ſive audientium dignitas, magna lectiſſimo-

simorum hominum adstante frequentia dicimus: sive ipsa orationis materia, dicendique conditio, ita dicimus, ut sit nobis eodem tempore de ingenio, de doctrina, de gloria, ornamentisque omnibus in hoc litterarum certamine periclitandum. Venetiis dicere, si quisquam est, qui parum putet, eum necesse est in maximarum, earundemque toto orbe notissimarum rerum ignoratione versari. Ecquis enim est hodie tam inaccessus, tam ab omni hominum consortio remotus in terris locus, quo non hujus præstantissimæ civitatis fama pervaserit? quis populus, quæ gens, quæ hominum natio vel tam immanis atque barbara, vel tam exculta disciplinis atque artibus, quam non jam pridem florentissima Venetorum Respublica non gloria modo & splendore nominis sui, verum etiam admiratione compleverit? Hæc vero firmamenta Reipublicæ, hæc ornamenta Italiæ, hæc virtutum omnium laudandarumque artium præclarissima lumina intuentem, non commoveri, tantum id quidem est, ut, non dicam in meam hanc mediocritatem ingenii, sed vix in quenquam hominem, qui cæterorum de se judicia extimescat, cadere posse videatur. Etenim si eloquentissimos olim viros accepimus, cum ad dicendum venissent, unius Principis aspectu ita conturbatos fuisse, ut obmutescerent: quid mihi tandem animi esse oportet, qui neque comparandus cum illis omnino sum, & apud vos dico, Senatores amplissimi, ad quos cum oculorum converto aciem, totidem mihi consessum Principum videor intueri? Ac cæteri quidem sæpe ad eam excusationem confugiunt, ut se, cum tenuitatis suæ conscii essent, tamen vel necessitate, vel officio impulsos, vel amicorum sive precibus, sive tempore aliquo adductos, dicendi munus non tam appetivisse, quam detrectare non potuisse dicant; quam totam rationem nobis hodierno

dierno die ipsa rei natura, conditioque præcludit. Non enim detrectantes, sed ultro nobis deposcentes hanc dicendi provinciam, ad eam non alienis precibus impulsi, sed vestra incredibili benignitate admissi sumus: ut si minus ex aliqua parte nostra vobis approbata fuerit industria, caussa nulla sit, quin omnes accusandam potius nostram temeritatem, quam imbecellitatem sublevandam putent. Equidem cum & ab ineunte ætate, tum domesticis excitatus exemplis, tum ipsa hortante natura, honestarum artium studia coluerim, & ubi primum per ætatem licuit, quæ mihi meo ipse labore pepereram, aliis tradere ingressus, novem prope jam annos in hac dicendi ac docendi exercitatione consumpserim: tamen superiora illa considerans, ita commovebar animo, facile ut hoc potuerim abstinere consilio, nisi me huc summa de vestra singulari humanitate concepta spes, & magna quædam approbandæ vobis, si minus eruditionis, at certe voluntatis meæ cupiditas impulisset. Ac mihi quidem, &, cujus rei caussa in hunc locum adscenderim, & ad quos verba facturus sim, cogitanti, prorsus ita videtur: nullo in argumento meam commodius orationem posse versari, quam si, litterarum disciplina, quantum non ornamenti solum, verum etiam præsidii bene temperatis civitatibus afferat, tum adhibitis rationibus, tum etiam exemplis, atque ex veteribus seculis repetita memoria exponam: minime id quidem, quo vos, tales viros, commonefaciam, excellentibus a natura ingeniis præditos, a studiis liberalium doctrinarum eruditos, a diuturno assiduoque magnarum rerum usu peritos: sed quia libenter facio, ut, quarum artium percepta scientia unumquemque vestrum vehementer affici constat, earum animos vestros jucunda commemoratione delectem. Quae cum ita se habeant; mihique ipsa per se delectæ ad dicen-

cendum materiæ dignitas satis magnam audientiam factura videatur: tamen magis consuetudine, quam quod ita necessarium judicem, petam a vobis, ut mihi, res pulcherrimas brevi oratione comprehendere meditanti, exigui temporis attentionem ne denegetis. Magna omnino vis magnumque momentum positum est in litteris, viri amplissimi, ad conservandas, bonisque cumulandas omnibus civitates. Nam cum felicitas publica, ad quam humana omnia referenda sunt, e singulorum civium felicitate constet: singulorum autem felicitas in excolenda, exercendaque virtute præcipue sita sit; & ad perfectam virtutem consequendam, necessariam quandam præcursionem adhibeant litteræ: illud profecto consequitur, ut nisi in qua litterarum cultura vigeat, florere absolute civitas nulla possit. Ponite vobis ante oculos omnes ætatis humanæ partes; omnium publicorum temporum varietatem; omnes instituendæ vitæ rationes & vias animo & cogitatione percurrite: nullam omnino reperietis, quæ non ita litterarum auxilio indigeat, ut eas si quis sustulerit, solem ipsum de mundo sustulisse videatur. Eæ nos, ubi primum firmius incedere, atque articulatius loqui cœpimus, de ipso prope nutricum acceptos sinu, titillatione quadam honestissimæ voluptatis alliciunt, allectos præceptis saluberrimis complent: non tantum bene dicendi, verum etiam bene vivendi commonstrant vias: excitant in animis nostris igniculos gloriæ: quantus sit in virtute splendor, quanta in vitiis deformitas, edocent: quæ qui semel bene penitus imbiberint, ii nunquam non postea & vitii turpitudinem omni studio refugient; & officio honestatisque rationem rebus aliis omnibus anteponent. Ut autem in semente posita spes messis est, ita totius reliquæ vitæ exspectatio ab educatione pueritiæ pendet. Ut vero infirmam illam

illam ineuntis ætatulæ teneritatem robur adoleſcentiæ excepit, quæ tandem alia res, aut animum præclararum rerum ſtudio accendere, aut efferentibus ſeſe cupiditatibus, quibus ea pars inſigniter agitari ſolet, frenos injicere, præter litterarum tractationem, poteſt? Themiſtoclem olim, cum ſomnum capere adoleſcens non poſſet, dicere ſolitum tradunt, ſe Miltiadis trophæo, quieſcere volentem, excitari. Quanto eos acrius incendi, atque inflammari neceſſe eſt, qui quotidie non unius, ſed innumerabilium hominum virtute præſtantium trophæa non e marmore conſtituta ad exigui prædicationem temporis, ſed ad omnem æternitatem commendata litteris intuentur? Neque vero pertimeſcendum eſt, ne aut labore frangantur, aut voluptatis irretiantur illecebris ii, qui ætatis ſuæ florem litterarum ſtudiis dedicandum eſſe ſtatuerunt. Tanta ſiquidem eſt oblectatio paulatim acquirenda cognitione rerum ſeſe paſcentis animi, ut, ea qui fruuntur, ab iis neque laboris tædium, neque avocantium voluptatum blanditiae ſentiantur. Itaque ſapienter poëtæ, cum cæteros omnes Deos Veneris imperio ſubdidiſſent, in Minervam modo & in ſtudiorum præſides Muſas nihil ei, nihil Cupidini juris eſſe voluerunt. Quin etiam illud ab iisdem memoriæ proditum eſt, Jaſonem olim, cæterosque Argonautas, cum eam inſulam, quæ ab amœnitate, florumque copia nomen invenerat, præternavigarent, periculumque eſſet, ne molli ac delicato Sirenum cantu, quæ eam inſulam incolebant, ad exitium perducerentur, unum in Orpheo perfugium habuiſſe: qui cum aſſediſſet in puppi, ſimulque fides blandis impellere digitis, ſimul vocem illam, qua rupes nemoraque traxerat, explicare cœpiſſet, tanta ſimul aures animosque audientium voluptate complevit, ut jam Sirenum vocibus nemo navigantium moveretur. Hoc figmento,

figmento, quid tandem aliud doctissimi homines, nisi id, quod nos volumus, indicarunt? Florida videlicet illa insula iuventus est. Eam qui quasi prætervehuntur, magno in periculo sunt, ne Sirenum, id est, voluptatum blanditiis decepti, & a recto itinere abducti, in vada & scopulos deferantur. Quodnam igitur huic tanto periculo comparatum remedium est? Quod, nisi Orphei, optimi ac sapientissimi vatis, lyra? cujus suavitatem qui percipiunt, ii & Acheloidum cantus pro nihilo putant, & tandem institutum illud iter emensi, vellus aureum, id est, virtutem cum immortali conjunctam gloria consequuntur. Nimirum ut major lux minorem, ita minoris voluptatis sensum perceptio majoris extinguit. Quanto autem voluptas ea, quæ discendo sentitur, cæteris omnibus major, sinceriorque sit, vel illud indicio est, quod aliarum, etiam qui eis plurimum tribuunt, satietatem tamen quandam esse ac tædium, confitentur; hujus ut quisque percepit plurimum, ita eam acrius atque avidius concupiscit. Quod si cui forte dubium est, prodeat in medium Chrysippus, qui sæpe studio intentus tanta voluptate perfruebatur, ut eum tanquam extra se positum cibi potionisque caperet oblivio. Prodeat solertissimus ille cœlestium orbium non perscrutator tantum sed etiam imitator. Syracusanus Archimedes, qui non modo earum rerum, quas natura fert, præ ea, quam capiebat e studiis, oblectatione memor non erat; sed in illa ipsa Syracusanæ urbis direptione ita defixus erat in studio, ut prius hostilis gladii cuspidem corpore exceperit, quam urbem in hostium potestatem venisse sentiret. O rem omnium seculorum admiratione dignissimam? Diripiebatur urbs ea tempestate omnium opulentissima; effusi per vias milites, ut in quemque inciderant, sine ullo sexus, ætatis, ordinis discrimine obvios contrucidabant; undi-

undique armorum sonitus; undique cadentium tectorum fragor audiebatur; puerorum ejulatibus, mulierum lamentis, morientium gemitibus, militum clamoribus, privata publicaque omnia circumsonabant; ipsa urbs pene dimota & convulsa sedibus suis, suorum civium in cæde ac sanguine natabat: cum unius hominis mens, in media civitate, civitatis ipsius casum ac ruinam non sentiebat. Solonem vero accepimus, cum in lectulo, morti proximus, decumberet, inaudisseteque assidentes amicos de re quapiam submisse, ne ipsi molestiam parerent, disputantes, erecto, ut potuit, jam semimortuo capite, rogasse eos, ut aliquanto loquerentur clarius: sibi, si etiam moriens aliquid discere potuisset, discessum e vita jucundiorem fore. O discendi cupiditas, quid non efficis, ubi semel generosa ingenia occupasti? Tenebatur homo sapientissimus gravissima vi morbi defixus in lecto: vicinitate jam mortis ab omnibus pene corporis partibus sensus abscesserat: egregius ille animus, mox liber ac solutus futurus, e corporeis vinculis exsilire cupiebat: cum, quicquid supererat virium, eo contulit, ut deficiente lingua, vocibusque interruptis ac morientibus, suum doctrinæ, cognitionisque desiderium indicaret. Quid hunc verisimile est firmum ac valentem fecisse, qui ne mori quidem, nisi discendo, voluerit? Merito igitur tam diu floruit Athenienſium Respublica, quam diu tam præclari viri tenuit disciplinam. Sed, ut eo redeamus, unde nos facta præclarissimorum hominum mentio paulisper abduxit: dici profecto non potest, adolescentes nobilissimi; vos enim, vos mea jam compellabit oratio: dici, inquam, non potest, ea studia, in quæ nunc toto pectore incumbitis, quanto olim vobis & ornamento, & auxilio futura sint, cum vos & generis vestri nobilitas, & vestra virtus ad Reipublicæ gubernacula admoverit. Etenim quibus arti-

bus civitates præcipue conſervantur, pietate, juſtitia, fortitudine inprimisque prudentia, earum ſunt omnium artium quaſi ſemina litterarum prodita monumentis. Neque vero hæc a me ita diſputantur, ut contendam, niſi litteris eruditum, civem patriæ utilem eſſe neminem poſſe: ſed hoc dico, niſi litteris exculti ſint ii, qui, velut in Reipublicæ puppi ſedentes, clavum tenent, multis eos muneris ſui, iisque præcipuis partibus neceſſario defuturos. Nam, cum duo publicorum temporum genera ſint, unum pacis, alterum belli, quorum alterum ſemper optabile eſt, alterum nunquam optabile, nonnunquam neceſſarium; quomodo, ut hanc partem priore loco attingamus, in pace, civibus jura deſcribere, quantum cuique tribuendum ſit intelligere, civium inter ſe diſſidia componere, verba publice facere, legationes cum laude gerere, præterita tenere, futura proſpicere, quid in omnibus rebus factu optimum ſit, videre, & ex aliis alia colligere poterit, niſi qui hæc ſibi de litterarum fontibus haurienda omnia exiſtimaverit? Niſi vero eorum recipienda ſententia eſt, qui fieri putant poſſe, ut, qui Reipublicæ præeſt, quamvis litterarum ſit expers, tamen ad eas res, quas modo enumeravimus, aliena opera non incommode utatur. An vero T. Manlium Torquatum, memoriæ proditum eſt, cum conſul declaratus fuiſſet, excuſaſſe valetudinem oculorum, & ſummum imperium detrectaſſe; quod indignum duceret, ei capita ac fortunas cæterorum committi, qui alienis oculis omnia gerere cogeretur: qui alieno ingenio, alienaque lingua ad omnia uti neceſſe habebunt, ii ſatis ad gubernandos cæteros idonei videbuntur? At oculorum quidem lumine carentes, nihil prohibet acie ingenii etiam futura cernere, optimeque conſulere: quales in fabulis Tireſiam, in hiſtoriis Appium legimus: cujus vero doctrinarum luce careat animus,

mus, quid is tandem gerere, quid suscipere, quid cogitare præclarum potest? Sed sunt quidam homines, qui cum litterarum tractationem tranquillis pacatisque temporibus & honestam inprimis & utilem esse fateantur: iidem tamen cum occupata bello aliquo civitas est, latere eas, quasi perterritas metu, & inter tubarum lituorumque clangorem, nullum sui amplius præbere usum arbitrantur. Quorum nobis hac in parte coarguendus error est, & quantum vel in medio bellorum tumultu litteræ valeant, aperiendum. Etenim si corporis tantum, non etiam animi, viribus bella gererentur, tum isti fortasse aliquid dicerent: nunc quis est, qui cum mihi & maximum esse in bellis consilio ac prudentiæ locum, & eas virtutes bona ex parte litterarum studio comparari, certe quidem insigniter augeri, confirmarique concesserit, idem tamen earum scientiam in bello inutilem esse contendat? An ignoramus celebre illud regum regis Agamemnonis votum, qui ut Troja facilius potiretur, non Achillis, aut Ajacis, sed Nestoris decem similes optabat sibi? Neque temporis nobis ad vivendum a natura præscripti ea longitudo est, neque ita fert humanarum rerum ratio, ut multis admodum bellis interfuisse unus idemque possit! itaque qui unum alterumve spectarunt, multum sibi militaris prudentiæ collegisse existimantur. Quid eos judicabimus, qui hoc sibi diuturna librorum evolutione pepererunt, ut omnibus, quotquot post hominum memoriam gesta sunt, bellis interfuisse videantur? Quod si quis ita bella aliquot spectare posset, ut utriusque partis consilia teneret, rerum administrandarum viam, rationemque cognosceret, eventus animo cerneret, quid non ei postea in rebus bellicis omnium consensu tribueretur? At hæc omnia, qui versantur in litteris, aliaque plurima, ac pulcherrima otiosi sedentes

consequuntur. Taceo, quam multa expressa sint eruditissimorum hominum scriptis de virtute, de gloria, de caritate patriæ, de animorum æternitate, de præmiis, quæ post mortem manent eos, qui se pro patria animose ac fortiter gesserint: quæ tantam vim habent, ut neque qui ea ignorent, veræ laudis habere gustum, neque qui tractant, veræ ac solidæ gloriæ ullam omnino rem anteferre possint. Quid illud, an non quantivis est, quod sæpe labantes jam ac deficientes exercitus eloquentium hominum voce legimus fuisse revocatos? Citetur testis Lacedæmoniorum civitas, cujus exercitus Tyrtæi poëtæ versibus inflammatus, pulcherrimam illam de Messeniis victoriam reportavit. Dies me deficiet, si aut eruditos homines, qui bellicis laudibus præstiterunt, aut fortissimos Imperatores, qui eruditionis & doctrinæ gloria excelluerunt, enumerare instituam. Nam & Architam Tarentinum sexies exercitum duxisse comperimus, & Melissum navalibus aliquot victoriis insignem fuisse, & ter stipendia fecisse Socratem, & Platonem, & Xenophontem egregiam in bello civibus suis operam præstitisse. Quid illa propugnacula Græciæ, Periclem, Themistoclem, Epaminondam loquar? Quid illa Romani imperii columina, Scipiones, Lucullos, Fabios, Marcellos, aliosque innumerabiles proferam? quos omnes cum bellicis laudibus claros tum præstantes doctrinæ studiis fuisse, historiæ loquuntur. Nam Julium Cæsarem, quis nescit, utra laude præstaret, ambiguum posteris reliquisse? Brutus autem, quanto litterarum ardore flagraverit, vel ex eo colligi potest, quod ea ipsa nocte, quæ mortem ipsius antecessit, Platonis dialogum de animorum immortalitate legisse aliquoties, dicitur. Atque hoc præclare olim intellexisse videntur Mitylenæi, præcipuam esse in Republica vim litterarum, qui, quos populos bello devicerant,

rant, nullam eis aliam pœnam irrogabant, nisi, ut ne liberos suos litteras edocerent. Sciebant videlicet, eas tantum civitates florere posse, in quibus litterarum studia colerentur. Cujus rei cur tandem aliunde exempla repetamus? An vero, Cives, quod viget hodie vestra Respublica, quod floret, quod beata est, quod cum cæteræ orbis universi partes gravissimis bellorum tempestatibus agitentur, una hæc (quod ei Deus Opt. Max. proprium ac perpetuum faxit!) in pace atque in otio conquiescit, aliunde id fieri creditis, quam quod ei & præsunt homines cum cæteris omnibus, tum hac eruditionis & scientiæ laude clarissimi, & semper eorum simillimi præfuerunt? O divine Plato, tua sunt omnia & dicta & cogitata præclara: Tu dicere solebas, tunc demum Respublicas beatas fore, cum eas aut Philosophi cœpissent regere, aut qui regerent, philosophari. Tuum hoc sapientissimum oraculum perpetua jam mille amplius annorum felicitate Venetorum Respublica comprobavit. Equidem quo longius in altum evehor, Patres amplissimi, eo mihi amplior & patentior orationis quasi cursus ostenditur. Sed & temporis me ratio, & vestra singularis sapientia, ut vela contraham, portumque tandem aliquando respiciam, monet. Neque enim credibile est, posse aut me, aut quenquam de litterarum præstantia, fructibusque, qui ex earum tractatione capiuntur, vobiscum melius, aut copiosius, quam unumquemque vestrum secum loqui: & mihi non tam orationis conquirenda copia est, quam vestra satietas refugienda. Itaque finem dicendi faciam, si vos prius etiam atque etiam rogavero, ut si forte minus a me ornate ac copiose dictum est, quam & hujus loci amplitudo, & summa audientium dignitas postulabat, meum tamen idcirco placendi vobis studium ne improbetis. Ego quidem, si non indignus a vobis, qui

sæpius audiar, judicer, erit, quod mihi magnopere gratuler; sin forte: sed reprimam me, neque committam, ut meis ipse votis videar male ominari: qui tamen a tot, tam præclaris viris, tanta benignitate auditus fuerim, magnum mihi non hujus modo laboris, sed totius ante actæ vitæ fructum hodierno die vestro singulari beneficio videor consecutus.

DIXI.

De utilitate ac præstantia Litterarum Humaniorum adversus quosdam earum vituperatores.

ORATIO III.

Habita Venetiis postridie Non. Octob.

Anno cIↃ IↃ Lv.

PErmultos esse intelligo, qui de his litteris, quæ humaniores vocantur, eam animo imbibere sententiam, ut earum tractationem leve quiddam esse, ac nugatorium existiment: neque aut magnos admodum labores ab iis suscipi, qui eas juventuti tradant; aut eorum magnopere fructuosam esse Reipublicæ industriam: in eis denique non exquisitam ullam, ac reconditam, sed circumforaneam quandam, haustamque de triviis ac circulis requiri doctrinam putent. A quibus ego quoniam ita dissentio, ut ex omnibus, qui se aliquid docere profitentur, horum vel gravissimum munus esse contendam; neque ullos esse, qui aut laborum plus perferant, aut majores in Republica pariant fructus; doctrinæ denique a nullo hominum genere majorem aut copiam requiri, aut varietatem arbitrer: constitui hodierno die, Patres amplissimi, Vosque cæteri Viri ornatissimi, eam mihi ad dicendum materiam sumere, & nobilissimam studio-

ſtudiorum partem, quantum id quidem in me poſitum erit, a contemptu atque ab intolerabili eruditorum hominum inſolentia vindicare. Et vero quid aut huic tempori, aut omnino meo muneri facere convenientius poſſum quam ut, quæ mihi ſtudia celebritatis aliquid cum aliis in locis, tum hac ipſa in civitate pepererunt; a quorum ego veluti fontibus ad hanc quantulamcunque profluxi hominum famam: iis quoque viciſſim oratione mea ſpendoris ac claritatis afferre aliquid coner? Præſertim cum, qui hoc litterarum genus aſpernantur, facere nullo modo poſſint, quin de veſtra, Patres ampliſſimi, ſingulari, ſpectataque in omnibus rebus, ac pene divina ſapientia nonnihil eadem ſuperbia detrahant. Etenim ſi hæc tota res tam levis eſt, quam iſti eam videri volunt: quæ vos tandem cauſſa commovit, ut proximo ſuperiore anno, propoſitis publice libellis, ſtudioſorum hominum animos ad nobilem illam ingenii doctrinæque contentionem excitaretis; utque iis, qui vobis in eo certamine probati eſſent, honeſtiſſimum poſtea præmium ex ærario decerneretis? Quæ certe una res ad coërcendam iſtorum temeritatem ſatis ponderis habere debebat: ut ſi hebetiores eos natura, ſtolidioresque finxiſſet, quam ut pervidere harum rerum præſtantiam poſſent; quod tamen veſtro talium virorum judicio probatum foret, magnum eſſe aliquid, ac præclarum ſuſpicarentur. Sed quoniam cum iis, qui auctoritate non moventur, rationibus agendum eſt: adeſte animis; mihique breviter oſtendenti, quam varia, quamque multiplex eruditio requiratur in iis, qui litteras humaniores docent, eademque opera, quantos ex eorum navitate atque induſtria Respublica percipiat fructus, non aures modo, ſed mentes quoque attentas, quæſo, pauliſper adhibete. Atque adeo, ut hæc tota controverſia melius dijudicetur, ope-

ræ pretium est, initio, quænam sit istorum contemptorum humanitatis oratio, cognoscere. Qui quoniam eos, qui hasce litteras tractant, ad nullum fere majoris momenti negotium adhiberi vident, non ad judicandas lites, non ad agendas causas, non ad dicendam de rebus gravioribus sententiam: facile in eam opinionem prolabuntur, ut ab eis, præter poëticas quasdam fabulas ad puériles animos hilarandos compositas, & aliquot levia comendæ ac poliendæ orationis præcepta, nihil omnino teneri putent. Quid autem magni negotii est, inquiunt, in puerorum consessu de ejusmodi figmentis commemorare, ac modo de Thebano, modo de Trojano bello, modo de Ulixis, aut Æneæ erroribus molli, & ad inanem oblectationem composito sermonis genere differere; identidemque velut e quibusdam arculis accommodata colorandæ orationi pigmenta depromere? Ecquæ autem magna eruditio est, scire, quot navibus Græci ad oppugnandum Ilium accesserint; quot filios habuerit Priamus; Helenam rapuerit Alexander, ut Homerus, an Helenæ simulachrum, ut Euripides prodidit? quod emolumentum ex istorum omnium scientia; quod detrimentum ex ignoratione percipi potest? Nam cæterarum quidem artium professores quantum utilitatis afferant, perfacile est ad intelligendum. Sive enim Dialecticos spectes; ab iis certa quædam veri falsique in rebus omnibus cognoscendi ratio traditur: ii se, quid cuique consentaneum sit, quid repugnans, quid ex quoque efficiatur; quæ sit dividendi, quæ finiendi, quæ argumentandi ratio, & tenere, & alios docere, præ se ferunt. Quid Physici? qui rerum principia causasque tractant; qui, quomodo quidque gignatur, quoque modo intereat, edisserunt; qui nimborum, fulminum, tempestatumque causas; qui corporum cœlestium magnitu-

gnitudines, intervalla, cursus, progressionem, institutiones; qui animi naturam, qui rationem sensuum, qui animantium omnium ortus, victus, figuras, qui stirpium, qui omnium ferme rerum, quæ gignuntur e terra, naturas ita persequuntur, nulla ut pars ab eis cœlo, mari, terra, ut poëtæ loquuntur, prætermissa sit; hæc cum tractant, mediocriterne Reipublicæ prosunt? Nam si ad eos te convertas, qui eam susceperunt Philosophiæ partem, in qua de rebus expetendis fugiendisque disseritur; ii vero sunt, quorum industriæ nulla unquam poterunt præmia satis ampla reperiri. Quibus enim, quamque præclaris in rebus eorum disputationes consumi videmus? Qui hoc primum docent, qui sit finis, quid extremum, quid ultimum bonorum omnium, quod unum intueri, quo omnes actiones, omnes cogitationes, omnia consilia referri oporteat; quot sint virtutum, quotque vitiorum genera, quibusque modis illas assequi, ab his declinare possimus; quo modo exultanti, jactantique se & detrectanti rationis imperium, frenos injicere oporteat cupiditati; tum quo modo quisque se in re familiari gubernanda gerere debeat; postremo quo nihil pulchrius, nihil præclarius, nihil denique divinius ne votis quidem conceptis optari potest, quibus moribus, institutis, legibus temperandæ sint civitates; quibus illæ modis fundari atque institui, quibus augeri, atque amplificari, quibus denique copiosissimæ, locupletissimæ, uno verbo, beatissimæ effici possint. O res præclaras, & ardentissimo studio, summaque corporis atque animi contentione dignissimas! O vitæ Philosophia gubernatrix! O virtutum omnium parens, vitiorum omnium expultrix! Tuum est falsarum opinionum temeritatem diripere: tuum est omnem inanitatem & errorem amputare, ac circumcidere: tuum est vitiorum fibras evellere, stirpes eli-

dere, semina exstinguere. Merito divinus Plato nihil te præstantius hominum generi a Diis immortalibus dari potuisse dicebat. Eant nunc isti verborum magistri, fabularum interpretes, nugarum architecti: perfricent frontem, si quam habent, & se ulla ex parte cum Philosophiæ doctoribus conferendos esse prædicent. Qui si aliquod forte paulo abstrusius loquendi genus, aut aliquam voculam non ita pervulgatam, aut quampiam paulo reconditiorem fabulam reperire potuerunt, dignos se inaurata statua putant; nonnunquam etiam de ejusmodi tricis ita inter se digladiantur, ut pro aris & focis certamen suscepisse videantur. Hæc fere est, Patres amplissimi, eorum, qui studia laboresque nostros deprimere conantur, oratio: qui quod Philosophiam laudant, libentius id nobis, atque approbantibus faciunt: nunquam enim cuiquam concedemus, ut eam plus amet, plurisve faciat: quod autem nullum censent studiis atque artibus nostris cum ea esse commercium; in eo quantopere fallantur, facile ex iis, quæ dicturus sum, intelligetur. Nam primum omnium, si hoc ipsis concederemus, nihil aliquid a nobis quam poëticas fabulas & exornandæ orationis præcepta tradi: non ex eo tamen efficeretur, quod isti volunt, inanem quandam, & ludicram nostram omnem esse doctrinam, neque alio, quam ad puerorum animos vana quadam oblectatione demulcendos, referri. Etenim poëtarum fabulæ, quas isti tantopere exagitant & insectantur, non levia quædam, & frugis expertia otiosorum hominum commenta sunt: immo vero sub iis, velut involucris, atque integumentis, omnis doctrina elegans, omnis ingenuo homine digna cognitio, omnis denique sapientia continetur. Eratosthenem quendam fuisse ajunt, qui poëticen ita contemneret, ut Homerum ineptæ loquacitatis magistrum

no-

nominaret. At certe Plato ac Aristoteles, quorum non paulo major est, quam nescio cujus Eratosthenis, auctoritas, ita sæpe repetitis ex eo testimoniis utuntur ad confirmanda ea, quæ tradunt, ut eum non tantum studiosissime legisse, sed vix unquam de manibus deposuisse videantur. Itaque mirari soleo, cum quidam, qui se Philosophos videri cupiunt, & quidem ejusmodi Philosophos, ut tanquam Atlante cœlum, ita Philosophiam supercilio suo niti putent, ita despicatui ducunt poëtas, ut eorum scripta aspicere se dignari negent. Qui quidem cujusmodi Philosophi sint, ipsi viderint: cum eos contemnant, quos Philosophorum coryphæus, Plato, modo sapientiæ patres ac duces, modo Deorum interpretes, modo Deorum filios vocat. Aristoteles autem, cujus isti se germanos esse interpretes gloriantur, non tantum, ut ante dixi, in omnibus scriptis suis identidem poëtarum testimoniis utitur, verum etiam libro primo de sapientia, Philosophum omnem fabularum amatorem esse confirmat. Quod igitur Aristoteleos esse se ajunt, fortasse verius, sine dubio quidem verisimilius dicerent, si se ab Epicuro esse affirmarent: hunc enim ex omni memoria unum fuisse Philosophum accepimus, qui cum omnem elegantiam doctrinæ, tum poëtarum præcipue scripta contemneret. Quod quidem se, negligendis poëtis, ex Aristotelis disciplina ac familia censeri volunt: in eo, meo quidem judicio, faciunt & impudenter, & imperite. At enim id mihi hoc tempore propositum non est, ut de poëtarum laude dicam: quod si esset, facile ostenderem, omnia præcepta vitæ, omnia virtutum officia nihilo ab eis deterius, quam a Philosophis ipsis, doceri. Non igitur, cum poëtarum libros interpretamur, inanibus fabellis, nutricum more, animos ducimus; sed sementem quandam virtutis atque doctri-

doctrinæ facimus: non in levibus, minimeque frugiferis rebus operam sumimus; sed præcepta sapientiæ, quo facilius in animos influant, insatiabili quadam admirabilium rerum varietate condimus. Quid, cum ornate ac copiose loquendi præcepta tradimus, ludere videmur, an ea docere, quæ semper principem locum in omni bene instituta civitate tenuerunt? An nescimus, eloquentiam a gravissimis auctoribus rerum omnium reginam vocari? Hæc enim est illa virtus, quæ quamlibet in partem arbitratu suo flectit audientium animos, eosque pulchritudinis suæ splendore obstupefactos quibusdam velut habenis numerosæ orationis regit. Hæc illa est, quæ consolatur mœrentes, afflixos excitat, jacentes erigit; quæ sceleratis exitio est, innocentibus præsidio, improbis terrori, probis ornamento. Hac Cicero fretus Catilinæ furores, & nefarie in patriam inita consilia dissipavit: hac togatus superavit armatos: ut vel inimicorum confessione omnibus triumphis majorem adeptus lauream diceretur. Hac instructi qui sunt, majus omnibus Tyrannis imperium in homines obtinent. Siquidem Tyranni possunt illi quidem corpora constringere; animis nullam adhibere vim possunt: hi vero dominantur in animis, quæque ipsis honesta atque utilia videntur, ea non facere modo alios, sed etiam velle cogunt: illi invitis imperant, hi volentibus: illi & oderunt omnes, & odiosi sunt omnibus; hos in omne hominum genus beneficos perpetua omnium benevolentia comitatur. Neque vero non, qui eloquentiam contemnere se simulant, illius præstantiam intelligunt: sed quod assequi non queunt, invidiose vituperare malunt, quam ingenue de imbecillitate suarum virium confiteri. Orationis igitur meæ summa eo redit denique: etiamsi nihil aliud a nobis requireretur, quam ut explicaremus poëtarum fabulas

bulas, & juventuti quasi vias, quibus ad dicendi facultatem pervenire posset, indicaremus; tamen neque mediocriter Reipublicæ prodesse nos, neque parvis in rebus contemnendisque versari. Nunc tantum abest, ut ea solum requirantur a nobis, ut nulla sit ars digna hominis liberaliter educati studio, cujus non aliqua cognitione oporteat tinctum esse eum, qui munus hoc cum laude sustinere meditetur. Itaque hoc inter nos & alios interest, quod alii eos tractant scriptores, quorum uno aliquo de genere tota disputatio est. Non enim fere in libris Dialecticorum, Physicorumve, aut in iis, quibus medicinæ jurisve civilis scientia continetur, quidquam reperias, cujus intelligentiam non ex illis ipsis, de quibus inscripti sunt, artibus repetere possis: at nobis ii quotidie sunt explicandi libri, qui cum scripti sint a viris omni scientia excultis; ipsi quoque innumerabiles locos ex omni disciplinarum genere depromptos habent. Itaque cæteri etiamsi eam unam artem teneant, quam docent, aliarum omnium sint omnino rudes, tamen sufficere posse suo muneri existimantur; neque unquam aut medico turpe habitum est, nescire leges; aut jurisperito vel medicinam, vel astrorum scientiam non tenere. Nos uni sumus, quibus omnis illa liberalium artium varietas non pertractanda quidem, ac pernoscenda penitus, sed degustanda tamen, & delibanda necessario est. Non longe abierimus. Superiore anno Ciceronis orationes in Verrem interpretati sumus. Quam multa ibi nos explicare meminerunt, qui tum aderant, in quibus alios propemodum omnes juris civilis ignoratio fefellerat? Libros ejusdem de finibus nunc ipsos interpretandos suscipimus. Quam multa nobis ex omnibus Philosophiæ partibus depromenda erunt, quibus ignoratis, hos quoque Libros ignorari necesse est? Quid astrorum ratio? Quid ter-

ra

rarum ſitus? niſi qui hæc utraque utcumque teneat, ſatisne ſe quisquam idoneum poëtarum interpretem profiteri poteſt? Et tamen usque eo alienis laboribus iniqui homines reperientur, qui ludere nos, ac jocari, & nihil in docendo aliud, quam puerilem voluptatem aucupari putent? Nam illud quoque minime prætermittendum eſt, quod a graviorum artium doctoribus neque ornata, neque elegans, neque multis quidem in locis, latina oratio poſtulatur. Itaque ruant licet in dicendo, & impure, improprie, barbare, loquantur: ſuo id eis quodam jure licere creditur: At nobis dicentibus, ſunt, qui quosdam quaſi laqueos tendant, ut ſi quid exciderit parum expolitum, diem nobis continuo dicant violatæ latinitatis; quodque poſtremæ iniquitatis eſt, peccare nos putant, niſi in iis etiam, quæ ſubito fundimus, plurimi illigati ſint & verborum & ſententiarum lepores. Quæ cum ita ſint, quis eſt, qui non intelligat, ſi hominum exſpectationi hujus profeſſionis ſatisfacere cupiamus, infinitos eſſe nobis labores exhauriendos? Deſinant igitur, deſinant iſti alienæ induſtriæ contemptores, gloriæ obtrectatores: comprimant vocem ſtultitiæ atque invidentiæ indicem. Vos vero, Patres ampliſſimi, pergite, ut facitis, benignitate veſtra labores noſtros fovere: ut hæc florentiſſima, & bonarum artium ſtudiis deditiſſima juventus, exercitationibus hiſce noſtris ad virtutem præparata atque præculta, veſtram olim in hac feliciſſima Republica gubernanda ſapientiam facilius imitari queat.

DIXI.

De Philosophiæ & Eloquentiæ conjunctione.

ORATIO IV.

Habita Venetiis Mense Octobri
Anno cIↃ IↃ Lviii.

SI quis forte vestrum est, auditores, cui admirabile videatur, quod cum cæteri ordinis mei homines in orationis fere alicujus, aut poëmatis explicatione versari soleant, eos sibi libros, quibus abditarum retrusarumque rerum ex uberrimis illis hausta Philosophiæ fontibus tractatio continetur, interpretandi quidem caussa, vix esse attingendos putent: ego contra & altero abhinc anno quinque Ciceronis libros, quibus de summo bono in contrarias partes copiosissime disputatur, explicaverim, & hoc tempore Tusculanas mihi potissimum disputationes, in quibus hujus anni curriculum conficerem, elegerim: is, si mei consilii atque instituti caussam rationemque cognoverit, simul & id, quod facio, probabit, & me, si aliter fecissem, justam doctorum & intelligentium reprehensionem nullo pacto effugere potuisse existimabit. Ego enim, Auditores, semper in ea fui sententia, præclaram illam minime communium contritarumque rerum scientiam, quam Philosophi & tenere se, & aliis tradere profiterentur, ita esse cum facultate ornate copioseque dicendi conjunctam atque copulatam, ut eas qui distrahere ac divellere conarentur, & vel rerum cognitionem sine ullo factæ ac politæ orationis instrumento consectari se dicerent, vel verborum flosculis contenti, ne aspirarent quidem ad reconditos sapientiæ fructus, pessime utrosque tum suis, tum alienis studiis consulere & exitiale quasi corporis & animi dissidium inducere arbitrarer. Igitur & ab ipso ætatis meæ principio ita studiorum

diorum meorum rationem comparavi, ut exornandæ orationis curam cum rerum inveſtigatione conjungerem: & poſtea omnibus, qui ſe in diſciplinam mihi dederunt, auctor fui, ut eandem illam viam, quam præſertim præſtantiſſimorum omnis memoriæ hominum ſignatam atque impreſſam veſtigiis viderent, ipſi quoque toto pectore, omnique animi contentione ſequerentur. Animadverteram enim, & eos, quorum omnis in concinnitate vocum & in verbis tanquam ad normam dirigendis, quadrandis, componendis conſumeretur induſtria ab iis, quibus cor, ut ajunt, ſaperet, ut leves futilesque contemni: & eos, qui ſe ita penitus rerum indagationi tradidiſſent, ut de comparanda lautæ orationis ſupellectile non laboraſſent, quaſi agreſtes ac barbaros quosdam ab omnibus elegantiorum hominum cœtibus repudiari. Ergo ſimul atque mihi publice munus illud adſignatum eſt, ut iter vobis ad ea ſtudia præirem, quibus exculti, Reipublicæ aliquando uſum aliquem afferre poſſetis: ſtatim id conſilium cepi, ut alternis annis modo Ciceronis orationes, modo ejusdem ad philoſophiam pertinentes libros interpretarer. Itaque primus, ut meminiſtis, annus in aliquot Verrinæ accuſationis librorum explicatione conſumptus eſt. Secundo diſſidentes veterum de ſummo bono ſententias quinque libris expoſitas accurate perſecuti ſumus. Tertium Catilinariæ ſibi orationes vindicarunt. Hoc autem quarto, quem nunc felicibus ingredimur auſpiciis, quas vobis, Auditores, quam exquiſitas, quamque præclaras avidarum doctrinæ mentium epulas apparavi? Decrevi enim animos veſtros ipſa ſui cognitione paſcere, eorumque vim ab omnibus rebus externis avocatam, totam in ſe ipſam colligere, & ad naturæ ſuæ contemplationem traducere, vos denique ipſos vobis oſtendere, & illam divinæ auræ particulam,

quæ

quæ in nobis omnibus latet, considerandam, cognoscendamque proponere. Excutiendæ nobis erunt omnis veterum Philosophorum bibliothecæ, perlustranda omnis antiquitas, replicanda omnium veterum historiarum, monumentorumque memoria, ut sciamus, quid homines sapientissimi de humanis animis senserint, quibus rationibus & argumentis adducti divinos esse eos, & interitus expertes, cum sibi, tum aliis persuaserint; exagitanda & coarguenda eorum cæcitas, amentia, immanitas, qui alia in opinione fuerint; confirmandus ac muniendus animus adversus mortis metum; proferenda exempla eorum, qui mortem partim adventantem despicatui habuerint, ac pro nihilo putaverint, partim etiam cunctantem cupide arcesserint. Stulte illi quidem: sed tamen ut aperte ostenderent, se nullo modo de animorum immortalitate dubitare; ut corporeis vinculis exuti ac liberi, in illas sedes, in quibus puros a scelerum contagione animos post obitum versari acceperant, evolarent. O præclaram disputationem, & vestro omnium concursu, studio, attentione dignissimam! Etenim si vere scripsit Aristoteles, magis expetendam esse quantulamcunque præstantium rerum, & remotarum a captu vulgi cognitionem & intelligentiam, quam communium & pervagatarum quamlibet exquisitam tractationem: quis est, qui non videat, quantulamcunque cognitionem animi, quo nihil est divinæ naturæ propius aut similius, quamlibet accuratæ aliarum rerum cognitioni multis esse partibus anteponendam? Et si nemo est, quem non vel nitido concepta speculo, vel periti artificis expressa manu corporis sui figura delectet: quanto jucundius quantoque suavius esse debet, expressam doctissimorum hominum ingeniis animi sui quasi quandam imaginem contueri? Quid illud? quanti tandem faciendum putatis, quod

cum vitam nihil magis conturbet, quam mortis metus, eas nos rationes, quibus ille pellatur, allaturos esse profitemur? Non sine magnis hæc meis laboribus, sudoribus, vigiliis fient; sed mihi cum rerum ipsarum pulchritudo, tum flagrantissima cupiditas studia vestra modis omnibus adjuvandi, omnem laborem non modo facilem ac tolerabilem, verum etiam dulcem jucundumque reddit. Alios vulgaria atque obsoleta delectent: vos mecum, Auditores, ad hæc recondita & abstrusa contendite. Illos humilia, nos sublimia; illos proclivia, nos ardua; illos in promptu posita, nos a vulgarium oculis remota delectent; illos deterreat & exanimet difficultas, nos exacuat & exstimulet; illos frangat ac debilitet, nos confirmet ac reficiat labor; illi nihil sibi proponant, quod non quilibet unus e multis consequi possit, nos quidquid ignavi vel sperare audeant, nostro indignum studio esse ducamus. Sed quoniam nonnulli reperiuntur, qui quod vel erroris caligine occæcati, hæc Philosophiæ cum eloquentia conjunctio quam sit fructuosa, non vident; vel invidiæ veneno suffusi, ad quæ aspirare ipsi non queunt, ea præstare alios indignantur; vel denique, quod, si omnia aliorum consilia atque instituta reprehendant, ita se demum sibi aliquam judicii famam confecturos esse confidunt: qua in re nobis laus ac commendatio debetur, ea in ipsa reprehendere nos atque accusare non verentur, clamantque regendos esse professionum fines, suisque quamque limitibus ac terminis coërcendam, neque patiendum, ut aut Philosophi, quæ sunt eloquentium, usurpent, aut diserti philosophica attingant, ejusque rei rationes quasdam afferunt, non admodum validas illas quidem, sed quæ tamen aliquem minus peritum in fraudem inducere posse videantur: statui hodierno die, Auditores, vobis disceptatoribus atque arbitris adversus

versus eos differere, & quidem ea lege differere, ut, nisi eos, non dicam ego, sed ipsa Philosophia eloquentiæ armis instructa fregerit atque abjecerit, caussam nullam dicam, quin illi præclare sentire, nos desipere; illi considerate ac sapienter loqui, nos vaticinari atque insanire; illi studiis adolescentum optime consulere, nos iisdem vehementissime officere judicemur. Intelligitis autem, esse mihi cum duplici hominum genere negotium: quorum alii levem & ineruditam loquacitatem, alii inornatam & indisertam Philosophiam colunt. Adversus quos utrosque dum differo, peto a vobis per eas ipsas artes, de quibus dicere institui, quarum utramque vobis maximopere cordi esse novi, ut studium meum attentione vestra excitetis, attentionem silentio indicetis. Primum autem congrediamur cum delicatis istis & mollibus, quos perinde ac parvos puerulos, severa & torva quodammodo Philosophiæ facies ita deterret, ut ad eam rem propius accedere non audeant. Efficiemus enim de duobus alterum: ut aut fusi ac fugati, molesti nobis esse desinant; aut, quod malim, confirmati, ac bene sperare jussi, socios se nobis honestissimi laboris adjungant. Vos igitur alloquor, quicunque vocum illecebris tanquam aliqua dulcedine cantuum capti, ad eas, tanquam ad Sirenios scopulos, adhæresscendum putatis. Ecquid intelligitis, omnem orationem ex rebus constare & ex verbis; rerum autem copiam & ubertatem non aliunde, quam a Philosophis peti posse; idcircoque esse Philosophiæ cognitionem eloquenti futuro necessariam? Non enim ut luscinias canendi, sic hominibus loquendi facultatem oblectationis caussa natura concessit: nec tantum munus suum, tamque præclarum ad aures modo demulcendas voluit adhiberi: sed cum eos ita fabricata esset, ut eis rationis societatem cum Diis immortalibus intercedere voluisset, a-

ptosque eos feciſſet ad rerum præſtantiſſimarum cognitionem adhibito ſtudio conſequendam: inſtrumentum etiam largita eſt, quod de illis rebus inter ſe diſſerere, easque alii cum aliis communicare poſſent. Placet autem hoc loco hujus diſputationis principia paulo altius repetere, & ex ipſis Philoſophorum libris cauſſæ noſtræ firmamenta deſumere, atque iſtis Philoſophiæ contemptoribus, earum rerum, quas contemnunt, ſpecimen aliquod exhibere. Interjectum quodammodo & intermedium eſt hominum genus inter animantes conſilii expertes, & inter puriſſimas illas mentes ab omni corporis ſocietate ſecretas: ita ut illis quidem ſuperius perfectiusque ſit, his autem inferius, minusque perfectum. Nam illæ quidem ſenſibus tantum degentes, nulla prorſus ratione ad intelligentiam & cognitionem progredi queunt; hæ vero ſine ullo ſenſuum adminiculo ac miniſterio, ſimpliciſſimis notionibus, quæcunque ipſis ad intelligendum objecta ſunt, apprehendunt, homines autem poſſunt illi quidem ad rerum intelligentiam provehi, eoque ſunt mutis animantibus ſuperiores: ſed quoniam immortalis ipſorum, & ſimplex, & cœleſtis animus, mortalis & concreti, & terreſtris domicilio corporis hebetatur, eo fit, ut ad cognitionem & ſcientiam ſine ſenſuum miniſterio pervenire non poſſit. Itaque recte Plato mentis internuncios, quaſique ſatellites ſenſus nominavit, eosdemque duces ad veritatem eſſe dixit. Ejus autem auditor Ariſtoteles pronunciavit, nihil intelligi, niſi prius aliquid ſenſu perceptum fuiſſet, quod quaſi viam ſtraviſſet ad illud intelligendum. Idemque alio loco ſtatuit, ſi cui ſenſum aliquem a primo ortu natura denegaverit, eidem neceſſario aliquam eſſe ſcientiam defuturam. Cum autem duobus tanquam itineribus ad ſcientiam pervenire licear: quod alia reperimus ipſi per nos, quaſique parimus, alia vero ab aliis accipimus; quorum illam

lam inventionem, hanc disciplinam vocant; necesse erat, ad earum utramque sensum aliquem accommodari. Sed cum cæteri ad eam rem minus apti forent, oculorum quidem sensus ad rerum præstantissimarum indagationem, aurium vero ad earundem, cum ab alio traderentur, perceptionem ab ipsa natura constitutus est. Instrumentum autem communicandarum participandarumque animi notionum eadem natura orationem esse voluit: cumque cæteris animantibus sonos modo quosdam dedisset, quibus voluptatem, dolorem, desideria naturæ, affectus denique indicarent: dictinctam hominibus, articulatamque tribuit vocem, (unde eos Homerus, μέροπας nominavit,) quam cum ipsi arbitratu suo flexissent atque variassent, qualique compacto statuissent, quam cuique voci vim esse vellent, tum eo instrumento ad ea, quæ animo concepissent, patefacienda uterentur. Sic fit, ut res quidem ipsæ singulares percipiantur sensibus: qua ex perceptione existunt in animis rerum universarum notiones: ad eas vero evolvendas & in medium proferendas adhiberi debeat oratio: cujus usus cum ad eos tantum, qui eodem tempore, iisdemque in locis viverent, pertineret, hoc amplius machinata est hominum solertia, litteras, quæ, ut voces notionum, sic hæ vocum ipsarum essent notæ; efficerentque, ut & absentes cum absentibus, & ii, qui multis ante seculis floruissent, cum omni posteritate quasi colloqui possent. Ex hisce liquido constare arbitror id, quod in hujus sermonis ingressione posueram: orationem non oblectandarum aurium caussa nobis esse a natura tributam, sed ut animus, cum se rerum cognitione saturasset, haberet, quo modo alios ad earum communicationem vocare posset. Quomodo autem poterunt aut quidquam communicare cum aliis, qui nihil ipsi, nisi loqui didicerint: aut quidquam egre-

gium discere, nisi qui Philosophorum monumenta contriverint? Etenim qui sunt tandem scriptores illi, qui distincte ordinateque dicendi præcepta tradunt? Philosophi. Qui rerum admirabilium, quæ in terris mundoque fiunt, causas aperiunt? Philosophi. Qui herbarum, qui stirpium, qui animantium, ortus, progressus, naturas, vires, utilitates prosequuntur? Philosophi. Qui de officio, qui de virtute, qui de ratione instituendæ vitæ, qui de moderandis affectibus disputant? Philosophi. A Philosophis omnis doctrina liberalis, a Philosophis omnis historia, a Philosophis omnis artium varietas sumi potest: ab his oratores, ab iis Imperatores, ab iis Rerumpublicarum rectores exstiterunt: neque quisquam unquam aut in dicendo, aut in rebus gerendis excelluit, qui non prius in Philosophorum officina politus ac limatus fuisset. Ac mihi quidem sæpenumero permirum videri solet, reperiri nonnnullos usque eo excordes, ut oratoris munus ab homine Philosophiæ ignaro sustineri posse credant. Nam cum illi ipsi fateantur, tria esse, quæ orator dicendo efficere debeat: ut fidem faciat iis, qui audiunt; ut eos suavitate perfundat; & ut eorum animos aptis & accommodatis ad obtinendum id, quod vult, affectibus concitet: nullum est horum, quod mihi sine Philosophiæ auxilio perfici posse videatur. An vero faciendæ fidei erit idoneus, qui non illos a Philosophis propositos fontes animo & memoria contineat, ex quibus ad omnem disputationem incredibilis argumentorum copia emanat? Ratiocinationes autem contexere; & id, quod probandum susceperis, acute circumscripta conclusione conficere, tum ea, quæ ab adversariis allata sint, subtiliter dissolvere, quorum tandem est, nisi Philosophorum? Neque vero video, quomodo delectare, nisi forte pueros, aut homines puerorum simillimos,

mos, queat inanis, & nullo librata sententiarum pondere oratio. Quid ita? nempe quod, ut præclare docet Aristoteles, is demum motus efficit voluptatem, qui perducit id, quod movetur, ad statum naturæ ipsius accommodatum & congruentem. Itaque corpora cum aut exinanita sunt, aut redundant, tum perceptione cibi ac potionis, tum depulsione & ejectione superfluentium rerum lætantur; & in animis idem usu venire credendum est. Quid est autem, quod natura duce concupiscat animus, ad quod feratur, cujus perpetua quasi fame sitique teneatur? Doctrina nimirum atque cognitio: hic illi cibus, hic pastus proprius ac naturalis est: eo alitur ac reficitur, eo saturatur ac gliscit. Ergo illi tantum concionis animos insatiabili oblectatione devinciunt, quorum omnis sermo cum urbanitatis sale perspersus est, tum distinctus & illuminatus doctrinæ notis, quorum ex ore, tanquam ex perenni quodam fonte, nunquam interrmittente, nusquam insistente fluxu, novarum usque & admirabilium rerum copia incredibilis profluit: ii demum modo clamores faciunt, modo auditores admiratione percussos silere, & uno in obtutu defixos hærere cogunt. Illud vero, quod in oratoris officio tertium ponitur, concutere audientes omni genere affectuum, eorumque pertractare intimos sensus, & quocunque collibuit flectere, quis unquam nisi Philosophia munitus consequetur? An vero vel accendere, vel restinguere iracundiam, vel incutere, vel excutere timorem, vel conflare invidiam, vel levare, vel ad misericordiam adducere, vel a misericordia abducere audientes, & eos quasi gubernaculo quodam linguæ impellere arbitratu suo poterit is, qui non horum omnium affectuum causas rationesque pernoverit? Sed increbuit sermo quidam hominum imperitorum, qui ita dictitant, ut ne inspiciantur quidem Philosophorum li-

bri, satis magnam tamen earum omnium rerum uberemque notitiam ex ipsis Rhetorum scriptis posse desumi. Quod si ita est, quid, quæso, commovit veteres illos, qui dicendi laude cæteris antecelluisse perhibentur, ut tantam curam tantumque studium in audiendis Philosophis & in perscrutandis penitusque cognoscendis eorum præceptis consumerent? Quid Periclem illum, cujus in labris persuadendi Deam sessitavisse dictum est, quem fulgurare, quem tonare, quem permiscere Græciam Comici veteres, tradiderunt? Quid igitur illum impulit, ut Anaxagoræ se Physico erudiendum daret, eumque assectaretur, si ad illam, ad quam adspirabat, eloquentiæ laudem, nihil in illius doctrina intellexerat esse momenti? Quid Demosthenem, quid M. Tullium commemorem? tantam in utroque dicendi copiam fuisse censeremus, nisi ille Platonem, hic Philonem, Diodorum, Possidonium, aliosque permultos nobiles Philosophos studiose ac diligenter audisset? Qui si ea, quæ ab illis accipiebant, a dicendi magistris accipere potuissent, non ab alienis illa mutuari & corrogare potius, quam domo & a suis petere maluissent. At queruntur asperam quodammodo & salebrosam esse Philosophiam, inamœnumque illius studium, quodque nulla dulcitudine aut allicere, aut allectos detinere animos possit. O molles ac voluptuarios homines? Vos igitur in tanta rerum præstantia ac dignitate etiam delicias quæritis? & quo vobis itinere ad sapientiam aditus patet, suscipere illud abnuitis, nisi viam videatis tum mollissimam & planissimam, tum rosis & violis constratam, quamque viridantes omni ex parte opacent patularum arborum comæ? At etiamsi perpetuo per Athonis & Caucasi nives, si per ferventes Lybiæ arenas gradiendum foret, tamen, si viri essetis, omnem laborem omnemque difficultatem contemneretis. Sed non patiar

tiar vos diutius in errore versari. Scitote enim, hoc studium, quod vos asperum & inamœnum putatis, ita esse dulce, itaque jucundum, ut nihil suavius, aut jucundius ne votis quidem conceptis expeti possit. Cui rei vel illud argumento sit, quod, qui se illi semel penitus tradiderunt, ii postea neque rei familiaris cura, neque honorum cupiditate, neque corporearum voluptatum blandimentis ab eo avocari queunt. Possem hoc loco evagari latius, & id quod dixi, tum repetitis e vetere memoria, tum vivis ac spirantibus exemplis confirmare, nisi me temporis ratio brevem esse admoneret. Nunc igitur, quam poterimus brevissime, eorum refutemus errorem, qui se ita Philosophiæ studio contentos esse ajunt, ut omnem orationis cultum penitus negligant. Quorum non unum genus est. Quidam enim nihil aliud dicunt, nisi verborum elegantiam Philosopho minime necessariam esse. Quidam etiam indecoram esse contendunt. Sunt, qui, cum eam non indecoram esse fateantur, fieri tamen negant posse, ut unus idemque in utroque excellat, & tum rerum scientia polleat, tum dicendi facultate præstet: idcircoque nullo se in sequendo eo, quod assequi nunquam possint, operam perdere. Cum primis illis non multum nobis negotii est. Nam ne nos quidem dicimus ita necessariam esse Philosopho eloquentiam, ut, ea si careat, nomen suum tueri ac retinere non possit. Sed profecto sordida hominum, planeque misera vita sit, si studia nostra necessitate tantum, non etiam commoditate & ornatu dirigantur. Casis contectis stramine & angustis tuguriis, ac gurgustiolis, opertis etiam plaustris, ut Scythæ, aut, ut Cynici, doliis cœli defendere injurias possumus, idque ad necessitatem satis est. Num idcirco ædificandi artem repudiemus? In vestitu cultuque corporis, si nihil spectemus aliud, nisi ut imbres, ut nives,

ut ventos, ut solem, ut frigus arceamus, satis fuerit, vel pellibus animalium corpus amicire: an quisquam propterea honestior civilem ea in reconsuetudinem negligit? Sic & in hoc genere studiorum non in iis modo, quibus nullo modo carere, verum etiam in iis, quibus satis commode carere non possumus, elaborandum: neque tantum necessitas, verum etiam dignitas, & pulchritudo spectanda est: præcipue cum omnibus propemodum in rebus decorem & elegantiam summa utilitate natura ipsa copularit. Hos igitur sine ulla contumelia dimittamus: tantum moneamus, ut, si in omnibus vitæ partibus ornatus rationem habendam esse ducunt, in studiis quoque eam omittendam non esse, facto refellendi fateantur. Isti nobis acrius insectandi sunt, vehementiusque repellendi, qui dedita opera barbariem in loquendo diligunt, & non aliter se Philosophos visum iri putant, quam si dictione inquinatissima utantur, & ut sues in luto ac cœno, sic ipsi in orationis sordibus volutentur. Antiquis temporibus quoddam stultorum genus fuisse proditum est, qui pedore ac squalore horridi, pannis obsiti, semper illoti, semper intonsi, semper impexi, illo ipso incultu, ac neglectu corporis, Philosophorum nomen in vulgus assequebantur. Non valde dissimilis est eorum amentia, qui orationem nullo studio excultam, nulla diligentia expolitam, nullo artificio elaboratam Philosophiæ professoribus convenire ajunt. Atque illi tamen eo tolerabiliores, quod corporis colendi curam multi, ornandæ orationis studium nemo olim, qui aliquo inter Philosophos loco haberetur, neglexit. Nisi forte quis Epicurum & eos, qui ab eo sunt, objiciat: quos ego vix in hominum, in Philosophorum quidem numero nullo modo, habendos esse censeo. Est autem operæ pretium audire, quomodo hanc suam tam præposteram,

tam-

tamque absurdam opinionem confirment. Gravis alicujus & severæ matronæ Philosophiam similem esse ajunt, quam omnis fucus dedeceat; quæ nativa pulchritudine contenta, augere eam pigmentis & lenociniis non laboret. Ut incultos & horrentes solitariosque lucos plus habere majestatis ac venerationis, quam nitidas & viridicatas, & digestis in quincuncem arboribus consitas sylvas: sic squalentem, &, ut ita dixerim, impexam, nescio quo modo augustiorem & majestatis pleniorem videri, quam comptam, & quasi unguentis delibutam orationem. Quibus nos ita responsum volumus: non si calamistro intortus capillus, & buccæ minio ac cerussa fluentes, & vulsa supercilia, & quæsitus arte dentium candor matronam dedecent: continuo illuviem & situm, ac sordes decere. Est & suus non modo matrifamilias, verum etiam viro cultus. Et, ut reprehendendus sit, si quis quotidie radatur ad speculum, quod tamen Africanum feciſse accepimus, & facie feminibusque lavatis in publicum prodeat: sic si quis Patroclem illum imitari velit, quem cavillans Aristophanes nunquam in vita laviſse dicit, ita ut nunquam os, nunquam manus abluat, nunquam sudorem detergeat, nemo sit, qui non fœdum illius adspectum, & tetrum ac virulentum, qui ex eo afflabitur, odorem abominetur. Neque vero nos a Philosopho exigimus, ut verborum paritatem ac similitudinem aucupetur, neque ut in rotundandis periodis occupetur, neque, si agrestem esse illius & inconcinnam locutionem nolumus, effœminatam & canticorum similem volumus: neque tam ut rerum præstantiam verborum splendore illuminet, quam ut ne illam orationis impuritate contaminet, postulamus. Tu mihi, cum de rebus cognitu dignissimis dicere ingressus sis, ea verborum portenta evomas, ut, qui aderunt, non hominem loqui, sed asinum

asinum rudere existiment: & tamen ea fatuitate atque impudentia sis, ut homines polite dicendi cupidos despicias, & istud, quod tu facis, voces philosophice loqui? Nam illud, quod in eo majestatem quandam, & quasi religionem inesse vis, vide, ne potius impium sit, ut vasa Deo dicata impuris manibus, ita Philosophiam impuro sermone tractare. Enimvero, si ea demum sacra ac religiosa sunt, quæ ornatu carent: removeatur aurum a templis: gemmæ, signa, tabulæ, donaria denique omnis generis removeantur. Sin hoc vel cogitare nefarium est: fateamur id, quod ratio quodammodo ipsa præscribit, neque opes usquam melius, quam in Dei cultu, neque dicendi copiam præclarius, quam in excolenda exornandaque Philosophia collocari. Supereſt, ut iis satisfaciamus, qui negant Philosophiam cum eloquentia posse conjungi; necessarioque qui alteram ex animo colat, ei esse alteram deserendam: qui ad utramque animum adjecerit, ne utraque excidat periculum esse. Qui cum hæc dicunt, si de sui tantum ingenii imbecillitate loquerentur, ferendi essent; nunc, cum ex se ipsis alios metiantur, & quod se præstare posse diffidunt, id universe ac generatim fieri non posse pronuncient, in eo quam vehementer errent, admonendi videntur. Usque eo ne rerum veterum, & ejus ipsius, quam profitemini, Philosophiæ imperiti estis, ut summam in Philosophis veteribus extitisse dicendi vim ac copiam nesciatis? Ecquis unquam Platonem, aut Philosophiæ scientia, aut dicendi facultate superavit? de quo Cicero bonus inprimis æstimator eloquentiæ ita magnifice sentiebat, Jovem ut ipsum, si Græce loqui vellet, non alio quam Platonis sermone usurum esse diceret. Quid Aristoteles? non & ipse dicendi præcepta unus omnium optime tradidit, & ea dicendi copia fuit, ut eum idem Cicero auro fluentem flu-

fluvium nominarit? non Xenophontis ſummi Philoſophi ore Muſas quaſi locutas ferunt? non Theophraſtus a loquendi divinitate nomen invenit? non poſterioribus ſeculis eam in Carneade vim fuiſſe proditum eſt, nullam ut unquam rem confirmandam ſuſceperit, quam non probaverit: nullam impugnandam, quam non everterit? Sed quid vetera & externa exempla conquirimus, cum recentium & domeſticorum copia ſuppetat? Hæc civitas quam multos & olim protulit, & quotidie profert, qui ut nemini, quin utraque laude præſtiterint, ita omnibus, utra potius præſtiterint, ambiguum relinquunt? Quorum vos adoleſcentes, per DEUM immortalem, exemplum imitamini, neque committite, ut Veneta civitas, quæ ſemper toto orbe terrarum habita eſt fœcundiſſima virorum omni virtutis & doctrinæ laude præſtantium parens, per veſtram ignaviam atque deſidiam iſta tam præclara laude ſpolietur. An vero vos, illis orti majoribus, qui nihil unquam ſibi dulce præter virtutem & eruditionem putarunt, quidquam virtuti, quidquam eruditioni anteponendum eſſe ducetis? At exteræ nationes, non alio potius, quam Venetorum hominum exemplo, ad eas colendas excitari atque inflammari ſolent. Hic ſedem virtutis, hic domicilium litterarum, hic ſeminarium quoddam præſtantium virorum eſſe omnes uno conſenſu gentes exteræ confitentur. Hanc vos tam præclaram, tamque magnificam laudem, quæ ad hunc usque diem ſemper & crevit, & floruit, veſtra culpa decreſcere ac defloreſcere patiemini? non per illos Contarenos, Barbaros, Bembos, Donatos, cæterosque heroas, conſecrata ad omnem poſteritatis memoriam nomina, qui nunquam in cœlum hominum prædicatione conſcendiſſent, niſi, quamdiu vixere, illam, ad quam mea vos adhortatur oratio, Philoſophiæ cum eloquentia conjunctionem,

ctionem. posthabita omni alia cogitatione coluisſent. Hos ſpectate adoleſcentes, hos intuemini, horum de gloria dies noctesque cogitate, & ad eam veſtra induſtria exæquandam contendite. Habetis in hac civitate publice conſtitutos homines eruditiſſimos, qui vobis in illo itinere duces optimi eſſe poſſint. Quorum me in ſocietatem, licet valde ipſis omnibus imparem, quando ipſa Respublica vocavit, & eo me collocavit in gradu, unde poſſem in ipſius civitatis oculis voluntatis erga vos meæ quotidianas ſignificationes dare: equidem non parcam labori, abjectisque aliis omnibus curis, quantum conniti atque efficere potero, tantum conferam ad ingenia veſtra omni in genere diſciplinarum liberalium, quantum quidem in me fuerit, excolenda.

DIXI.

Pro Franciſco II. Galliarum Rege ad Pium IV. Pont. Max.

ORATIO V.

Habita Romæ Poſtridie Kal. Maj. Anno cIↃ IↃ Lx. *

OMnes quidem Chriſtianos Principes, Pie Pontifex maxime, credibile eſt, accepto delati tuis maximis virtutibus honoris ampliſſimi nuncio, admirabili quadam lætitia perfuſos

---

* Eſt hæc Oratio ex iis, quibus *obedientiam præſtare* (ut loqui amant) ſummo Pontifici ſolent Principes ſacris Romanenſibus addicti. Ejusdem generis eſt & ſequens, item XIma XII. XIII. XIV XXII. XXVta. Adde, ſi placet, ex *Lunigii Orationibus Procerum Europæ* Orat. VIII. (T. I. p. 26.) *Bernh Juſtiniani* Ducis & Senatus Veneti nomine, ad Sixtum IV. Orat. XI. (T. I p. 64.) *Jo. Camerarii Daſburgii*, nomine Philippi Ingenui Electoris

fusos esse: nec eorum fuisse quenquam, quin, sublatis in cœlum manibus, omnium

---

ctoris Palatini ad Rhenum, ad Innocentium VIII. Orat. XII. (T. I. p. 77.) *Hectoris Flisci*, Genuensis Reip. Oratoris, ad eundem; Orat. XV. (T. I. p. 113.) *Jasonis Maini*, Oratoris Mediolanensis, ad Alexandrum VI. Orat. XVI. (T. I. p. 133.) *Angeli Politiani*, Senensium Oratoris, ad eundem; Orat. XVII. (T. I. p. 140.) *Jacobi Spinolæ*, Oratoris Genuensium, ad eundem; Orat. XXXVI. (T. I. p. 152.) *Nicolai Tygrini* Lucensium oratoris ad eundem; Orat. XXXVI. (T. I. p. 291.) *Petri Victoris*, Ducis Florentini Legati ad Julium III. Orat. LXVIII. (T. I. p. 557.) jussu Legati Hispanici ad Urbanum VIII. habitam; (cui sequenti Oratione LXIX. respondetur a *Joanne Clampolio*.) Orat. LXXII. (T. I. p. 599.) *Georgii*, Ducis in *Ossolis*, Legati Polonici, ad eundem; Orat. CXXXIV. (T. II. p. 263.) *Antonii Malagonelli*, nomine Helvetiæ Catholicæ ad Clementem IX. Oratio CLXIX. (T. II. p. 452.) *Michaelis* Principis a *Radzivil*, Legati Polonici, ad Innocentium XI. (ad quam proxime sequenti Oratione CLXX. respondetur;) Oratio CCXVII. (T. III. p. 84.) *Josephi Isoardi*, nomine Avenionensium ad Alexandrum VIII. Conferri etiam possunt in eodem opere Gratulatoriæ, quæ aliis Principibus sub auspicium regiminis dictæ sunt, ut Oratio XXV. (T. I. p. 206.) *Bernh. Wurmsers*, nomine Electorum ad Carolum V. Oratio CXIV. (T. II. p. 152.) *Nic. Avancini* S. I. nomine totius Austriæ ad Leopoldum; Oratio CCLXXIII. (T. III. p. 565.) *Pauli Christophori de Schlutern*, nomine Academiæ Vindobonensis ad Carolum VI. Imp. Orat. XIII. (T. I. p. 91.) *Hermolai Barbari*, Oratoris Veneti, ad Maximil. I. Regem Romanorum electum; Orat. CLVII. (T. II. p. 385.) *Andreæ Lilienhackii*, Legati Svevici, ad Joannem III. Regem Poloniæ; cui statim additur *Andr. Olszorii* Responsio; Orat. CLXXX. (T. II. p. 483.) *Angeli Politiani* nomine Reipubl. Florentinæ ad Alphonsum V. Siciliæ Regem; Oratio XXXVII. (T. I. p. 302.) *Cynthii Joannis Baptistæ Gyraldi*, Ducis Ferrariensium Legati, ad M. Ant. Trivisianum, Ducem Venetum; Orat. XXX. (T. I. p. 311.) Ejusdem ad Franc. Venierium, Venetiarum Principem, &c.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn862961815/phys_0131
DFG

um rerum moderatori Deo singularibus verbis gratias egerit, quod sacrosancto Cardinalium Collegio eam mentem dedisset, ut te potissimum deligerent, quem in ista dignitatis sede celsissima concordibus suffragiis collocarent. Sed quanto nostri Reges observantia erga Romanam Ecclesiam, & insigni atque assiduo defendendæ ornandæque illius studio cæteros ex omni antiquitate superarunt: tanto Francisci II Regis, te Pontifice declarato, majus quam pro virili parte gaudium fuit. Quare, etsi non dubitabat, quin tu de clarissimo viro, Episcopo Engolismensi, Oratore apud te suo, cujus fidem & integritatem tibi plane perspectam esse novit, animum suum erga te, & erga hanc orbis terrarum principem Ecclesiam, & optime, & libentissime cogniturus esses: tamen ut illustriorem etiam, & expressiorem significationem voluntatis suæ omnibus hominibus daret, judicavit, sibi faciendum esse, ut ad te ex suis eo proprio nomine ejusmodi quempiam mitteret, in quo & dignitas inesset ea, quæ ad tantum munus obeundum requiritur, & aliæ præterea causæ, propter quas eum tibi unum ex omnibus gratissimum atque acceptissimum fore confideret. Misit igitur clarissimum, & nobilissimum equitem, Joannem Babonem a Burdæsia, ejus quem modo nominavi Episcopi fratrem, arcanorum regni, & regiorum omnium consiliorumque participem, cujus in maximis rebus gerendis virtutem & fidem exploratam habet, quique præterea pietate & observantia erga hanc Sedem neque fratri, neque cuiquam mortalium cedit. Quorum ego amborum permissu, regiæ voluntatis hodierno die apud te constitutus interpres, gratulor non tam equidem tibi, Beatissime Pater, quam universæ Christianæ Reipublicæ, quæ pristinum illum splendorem suum, qui magno bonorum omnium mœrore, apud plerasque gentes, pravis opinionibus

nibus corruptas, magis ac magis in singulos dies obsoleſcebat, brevi ſe, tuo ductu atque auſpiciis recuperaturam, non dubitanter ſibi de tua præſtanti bonitate ac ſapientia pollicetur. Summa plane omnia, ac prope divina in eo requiruntur, qui clavum in Eccleſiæ navi teneat; cujus a nutu pendeant leges; cujus ad pedes Reges ipſi ſe abjiciant; cujus arbitrio pandatur cœlum; qui denique ſupra omne humanæ dignitatis faſtigium evectus, Dei perſonam inter homines ſuſtineat. Nam ſi divinæ litteræ a quolibet Epiſcopo tantam integritatem ac virtutis perfectionem exigi volunt, nullus ut in omni ejus vita reprehenſioni pateat locus; neque gravitatem ejus muneris digne a quoquam ſuſtineri poſſe tradunt, niſi quem pietas, prudentia, juſtitia, uno verbo, virtus ſuis omnibus numeris abſoluta commendet: quid in eo, qui omni tempore cum ſummo imperio tractare gubernacula Eccleſiæ debeat, cujus vita cæteris omnibus pro exemplo, voluntas pro lege, vox pro oraculo futura ſit, quanto hæc omnia requiri majora, & divinitati propiora cenſemus? Itaque, ut alia, ſic hoc quoque ſancte ac ſapienter inſtitutum eſt a majoribus, ut quoties de ſummo Pontifice in demortui locum eligendo ageretur, interea dum ea de re ampliſſimus Cardinalium ordo deliberaret, nullus intermitteretur dies, quo non omnes, & privatim & publice precarentur a Deo, ut eum ipſe gregi ſuo præficeret, quem digniſſimum, quem ad publicam concordiam, & tranquillitatem aut conſtituendam, aut conſervandam aptiſſimum, quem denique, quantum humana conditio fert, ſui ſimillimum judicaret. Quod ſi ejusmodi Pontificem ulla unquam tempora deſiderarunt, noſtrorum certe is ſtatus eſt, ut nunquam magis ex iſtius Sedis auctoritate univerſi orbis ſalus pependiſſe videatur, Non enim Petri navis, ut ſolebat, placido mari, ſecundis

conspirantium ventorum flatibus impulsa fertur. Horribiles eam procellæ, & turbinum vis, vel exercitatissimis metuenda rectoribus, agitat: ut, quanquam a naufragio quidem nullum periculum est, non mediocris tamen animos teneat metus, ne tam sæva tempestas multos mortales, novarum opinionum fluctibus involutos, in ea brevia præcipites abripiat, unde postea nec enatare ipsi, nec evadere atque emergere alieno auxilio possint. Quo nos omnes divinæ bonitati majores agere gratias convenit, quæ, deploratis prope jam rebus, certe quidem in summum discrimen adductis & extrema spe pendentibus, eum gubernatorem dedit, quo meliorem, & ad hæc omnia in melius convertenda accommodatiorem, non dicam reperire, sed ne optare quidem, aut etiam cogitando informare poteramus. Jam nunc igitur præcipimus mentibus ejus diei lætitiam, quo gentes illæ, quæ tum fallacibus improborum hominum sermonibus in laqueos erroris inductæ, tum fortassis etiam, quorundam e nostris licentiori & dissolutiori vivendi genere offensæ, abscíderunt seipsas a corpore Ecclesiæ, & adversus eam impium ac nefarium bellum susceperunt, mutato consilio, ad sanitatem redeant, & erroris sui veniam petentes, depositа omni contumacia, sanctissimis pedibus tuis osculum figant. O præclarum illum triumphum, & cum omnibus, tum iis præcipue, de quibus agetur, optabilem! Non enim tu illos opprimere, sed oppressos erigere; non in servitutem abducere, sed a teterrima servitute in veram libertatem asserere; non perdere, sed servare vis; non eorum sanguinem fundere, sed, ne sanguis JESU Christi frustra pro eis effusus sit, efficere; non retortis post tergum manibus, collo catenis gravato, ante currum ducere, sed iis ipsis vinculis, quibus impediti tenentur, exsolvere meditaris. Quibus igitur ipsis, nisi in

eo

eo ut vincantur, nulla spes salutis est, credimus usque eo præfractos ac pervicaces fore, ut ad extremum perire, per obstinationem animi malint, quam cedendo, & obsequendo servari? Immo vero certa spes est, cessuram tandem aliquando rationi temeritatem, luci tenebras, mendacium veritati. Quantam ille dies non terris modo, sed cœlo ipsi hilaritatem allaturus est. Nam si, cum unus aliquis, qui a recto vivendi tramite deflexerit, in viam redit, innumerabiles illas legiones Angelorum exsultare ac gestire gaudio credimus: quid tandem facturas esse auguramur, cum tot hominum miserabiliter nunc in suam perniciem ruentium millia resipuerint, & unde Satanæ instigatione discesserant, eo se sancti Spiritus afflatu instincta receperint? Age igitur, optime maxime Pontifex, præripe posteris tuis hanc gloriam, &, quod aliquando fieri necesse est, id ut te potissimum Pontifice fiat, enitere! Addatur decus hoc annalibus nostris, ut in eis olim legatur, pestilentissimas opiniones, quæ, quasi contagione quadam paulatim serpentes, per omnes propemodum Christiani nominis provincias pervaserant, auctoritate tua disjectas, dissipatas, exstinctas, exterminatas fuisse. Damnentur votorum suorum per te omnes veræ pietatis studiosi, qui multos jam annos nihil ardentius a DEO, quam concordiam, & harum dissensionum finem efflagitant! Signetur hoc præcipue titulo Pontificatus tuus, ut, si quis quondam non expresso nomine Pium quartum intelligi velit, eum Pontificem dicat, qui affectis & ægrotis Ecclesiæ membris tam salubrem medicinam adhibuerit, ut etiam ea, quæ desperata videbantur, integra & incolumia conservarit! O nos beatos, cum illa, ut speramus, evenerint! O te Pontificem modis omnibus maximum ac beatissimum! Quæ futura est tam barbara, aut tam longinqua natio, quo non

tam divini beneficii, a te in totum hominum genus collati, fama perveniat? Quæ tam ingratæ litteræ, quæ de tuis laudibus conticeſcant? Quæ tam ſurda poſteritas, quæ clamores noſtros admiratione virtutis ac felicitatis tuæ excitatos non exaudiat? Magnam vero tam præclaræ rei, & ſuſcipiendæ occaſionem, & ex animi ſententia conficiendæ ſpem tibi offerre tempus ipſum videtur. Nam ſuperioribus annis, cum duo Chriſtianorum maximi potentiſſimique Reges gravi & diuturno bello inter ſe contenderent; cæterorum autem Principum non fere quisquam eſſet, qui non ad alterutram partem aut ſuapte voluntate inclinaret, aut aliqua officii ratione adduceretur, aut etiam neceſſitate traheretur; cum undique armorum fulgor, ſtrepitus, terror, omnium oculos, aures, animos perſtringeret, obtunderet, conſternaret; cum quibusdam locis pauciores jam reperirentur, qui fructus ex agris perciperent, quam qui agros ipſos aut ſua, aut aliena cæde quotidie cruentando pinguiores efficerent: eveniebat, ut in illa rerum omnium perturbatione & improbi & conſcelerati homines opinionum ſuarum venena per omnes populos fidentius atque impunius ſpargerent, & Principes, aliis cogitationibus occupati, ad coercendam illorum audaciam animum convertere non ſatis commode poſſent. Habet in ſe bellum cum alia mala plurima, tum illud inprimis, quod & male animatis hominibus affert peccandi facultatem, & plerumque principibus connivendi neceſſitatem. At nunc, cum, divino Numine, atroces illi bellorum impetus reſederint; cum illa tam diu exoptata pax, cœlo demiſſa, eorum animos, qui odiis, ut videbantur, implacabilibus diſſidebant, æterno, ut ſperamus, fœdere conjunxerit: quis non intelligit fore, ut Principes, aliis curis ſoluti, ad purgandas provincias ſuas, & ad omnes impiorum dogmatum fibras

bras elidendas, omnes radices evellendas, atque excidendas toto pectore incumbant? Quod quidem Franciscus, Rex Christianissimus, & jam nunc diligentissime facit, & diligentius atque animosius indies facturum se esse profitetur. Meminit enim, eis se majoribus editum, qui, ut sectas religioni nostræ inimicas exstirparent, ut Christiani nominis fines quam longissime propagarent, ut Apostolicæ Sedis auctoritatem sanctam atque inviolatam præstarent, nullam sibi unquam difficultatem pertimescendam, nullum periculum detrectandum, nullam dimicationem refugiendam putarunt. An ille cum vetera illa Christianæ pietatis columina, Childebertos, Marcellos, Pipinos, Carlomannos, aliosque innumerabiles heroas, hæresium exstinctores, veræ fidei assertores, Pontificiæ dignitatis vindices ac propugnatores memoria repetat; eorumque se sanguinem ac progeniem esse cogitet, quorum pro Christi doctrina expeditionibus, bellis, victoriis totus terrarum orbis nobilitatus est; &, ut vetera taceantur, cum se Francisco primo prognatum, Erico secundo natum recordetur, duobus post hominum memoriam præstantissimis Regibus, quorum utriusque tanta tamque insignia exstiterunt in ecclesiam promerita: maximo animo majorum suorum vestigia non persequatur? Ille vero faciet, nec adæquare modo eorum gloriam, verum etiam, si fieri possit, superare conabitur; quique se principem inter Ecclesiæ filios locum obtinere intelligat, ut illo se honore dignissimum præstet, omni studio elaborabit. Tu modo, Pater Beatissime, pro tua singulari & eximia sapientia, quid ad compescendos tumultus, & ad statum Ecclesiæ componendum utilissimum sit, statuito. Notum est, maximas sæpe, & pernicioſissimas in Ecclesia dissensiones rite convocato ex omnibus Christianæ ditionis partibus Episcoporum Con-

cilio sedatas fuisse. Eodem remedio si tibi nunc quoque ægrotis exulceratisque rebus subveniendum esse videatur: nihil est, quod Regi gratius aut optatius possit accidere: neque tibi dubium esse debet, quin ipse omnes vires suas eo collaturus sit, ut quæcunque ab ejusmodi Concilio decreta fuerint, pie inviolateque serventur. Omnino autem, Beatissime Pater, quæcunque obedientia ab optimo & obsequentissimo filio præstari potest, eam tibi Rex summa fide, summaque constantia præstiturus est, idque se semper facturum esse, per hos clarissimos & ornatissimos viros, oratores suos, sanctissime pollicetur. Tu vicissim perge, ut facis, & Regem ipsum, & universum Galliæ Regnum paterna caritate complecti. Multæ sunt caussæ, quæ te, ut id facias, excitare debent. Primum ipsa muneris amplissimi, quod te Deus in terris sustinere voluit, ratio. Deinde ardentissimum illud studium, quod semper usque a Clodovæo viguit in Regibus nostris, adjuvandi Romanam Ecclesiam: ut, quoties ita tempora tulerunt, se, regnumque suum in apertum discrimen objicere maluerint, quam Ecclesiæ laboranti deesse. Qua ex re illud assecuti sunt, ut & ipsis, & eorum posteris primus inter Ecclesiæ filios locus, nemine dissentiente tribuatur. Valere etiam apud te debet illa nominis sanguinisque conjunctio, quæ inter te, & lectissimam, omnique laude ac prædicatione dignissimam fœminam Catharinam, Regis matrem, intercedit. Nam cum ei, neque quidquam unquam optatius fuerit, ut tu ipse omnium optime nosti, quam ut te tertium e gente sua summum pontificem videret: neque majorem lætitiam attulerit, quam cum intellexit, se id, quod tantopere optaverat, consecutam: æquum est, tanto illius erga te studio parem a te voluntatem referri. Possemus & alia eodem pertinentia proferre, nisi ea jam mutuæ inter te,

te & regem voluntatis testimonia utrinque data essent, quæ neminem dubitare patiuntur, quin & ipse tibi dicto audiens futurus sit, & tu eum paterna benevolentia prosecuturus.

Hæc habuimus, Beatissime Pater, quæ tibi Francisci II Christianissimi Regis nomine exponeremus. Nunc, cum idem Scotiæ regnum obtineat, una ipse cum Maria uxore, a qua illud dotis nomine accepit, omnes tibi ejus & opes, & copias deferunt, seque omnibus in rebus auctoritati tuæ libentissime obtemperaturos, omnemque tibi, quæ a filiis debetur, obedientiam præstituros pollicentur. Nos, ne rursus orationem a capite arcessere necesse sit, quæcunque de Galliæ regno diximus, eadem, ut de Scotiæ quoque regno dicta esse existimes, obsecramus.

DIXI.

Pro Antonio Rege Navarræ ad Pium IV. Pont. Max.

ORATIO VI.

Habita Romæ Postridie Id. Decemb. Anno cIↃ IↃ Lx.

Quo tempore Joanna, Regis Uxor, missis ad summum Pontificem litteris sua manu subscriptis, se & Catholicam esse profitebatur, & se nunquam a S. R. E. obedientia descituram pollicebatur.

SI quantum lætitiæ Pontificatus tuus Antonio Regi Navarræ, & Joannæ, ipsius uxori, attulit, Beatissime Pater, tantum eis commoditatis ad eam lætitiam, nulla interjecta mora, tibi significandam, tempora tribuissent: nihil omnino habuissent antiquius, quam ut ad te statim mitterent, qui tibi summum honorem, huic amplissimo Cardinalium Collegio summam prudentiæ ac judicii laudem, universæ Christianæ Reipublicæ

magnam & prope exploratam antiquæ dignitatis recuperandæ ſpem ſuo nomine gratularetur. Sed quoniam, quantum ex optimi, & ad ſedandas horum temporum diſcordias aptiſſimi Pontificis creatione gaudium caperent, in ipſorum probitate, ac fide poſitum fuit; quam vacuum tempus, & ad legationem ejus rei cauſſa ſubito decernendam idoneum haberent, non fuit: judicarunt, ſi temporibus ſuis parerent, & quod recenti re facere, cum magnopere cuperent, non ſatis commode poterant, id in diem differrent, nihilominus ea cauſſa teſtificationem voluntatis ſuæ aut ſibi honorificam, aut tibi jucundam atque acceptam fore. Et vero, Beatiſſime Pater, ſi apud te, & apud hoc ſanctiſſimum, auguſtiſſimumque concilium non ex vulgi opinionibus, ſed ex veritate unaquæque res penditur: gratulatio paulo ſerius facta, non tam propter tarditatem aliquid de illa novitatis ſuavitate ac dulcedine deperdere, quam propter maturitatem aliquid auctoritatis ac fidei acquirere videtur. Etenim qui tibi, cum primum ad iſtum cœlo proximum in terris locum divino conſilio ſublatus es, gratulabantur, eam tantum gaudii ſui cauſſam afferre poterant, quod certo ſperarent fore, ut qui te per totam vitam omnibus maximis honoribus digniſſimum præbuiſſes, eum conſecutus, quo nullus amplior exoptari poteſt, tantam dignitatis amplificationem pari virtutis acceſſione cumulares. Magna prorſus illis, & illuſtria ſuppeditabant argumenta, cur ita crederent: neque non firmiſſimis fundamentis nitebatur incredibilis illa ſpes, quam de futura Pontificatus tui felicitate conceperant. Sed quantum intereſt inter ea, quæ futura creduntur, & ea, quæ jam ſunt; quanto experta jam & explorata, quam ſperata, & expectata, majorem lætitiam in animis hominum commovent; quanto certius & verius homines præterita, & præ-

præsentia commendare, quam de futuris affirmate pronunciare possunt: tanto plus ponderis ac fidei habere habet ea gratulatio, quæ tibi fit, annum prope jam integrum ex ista sanctissima sede universum orbem sapientissime gubernanti, quam illæ, quæ tum fiebant, cum homines, qualem esse te plus plusque indies experiuntur, talem futurum esse prospicerent, quasique augurarentur. Neque vero hæc in eam sententiam idcirco a me disputantur, quod non libentissime facturi fuerint Antonius Rex & Joanna Regina Navarræ, ut quemadmodum nulli Christianorum Principum concedebant, qui majus ex tua dignitate gaudium percepisset: ita nemini, quantum per locorum intervalla licuisset, concederent, qui tibi citius de illius adeptione gratularetur: si quam solutæ ipsis & liberæ voluntates, tam soluta etiam, & nullis impedita difficultatibus tempora fuissent. Sed ita cogitarunt: si rerum suarum incommodo maturarent id facere, ipsi tibi, cui maxime probare studium suum cuperent, pro tua in se paterna caritate, ubi rem cognosses, insuavem fore celeritatem sine ulla necessitate cum ipsorum incommodatione susceptam. Nunc autem miserunt ad te clarissimum & spectatissimum virum, Petrum Albertium, propinquum suum, qui genibus tuis suppliciter advolutus, tibi, vero JESU Christi in terris Vicario, certissimo Petri Apostolorum principis successori, communi totius Ecclesiæ Christianæ pastori, ac gubernatori, debitam obedientiam suo amborum nomine præstaret, atque exhiberet: tibique atque huic Sacrosancto Collegio confirmaret, Antonium Regem, & Joannam Reginam Navarræ, uti veros Ecclesiæ filios decet, tibi semper dicto audientes futuros neque ullam evenire posse rem, tantam, quæ ipsos ab hujus sanctæ & Apostolicæ Sedis observantia, & ab ea, quam sibi per manus a majoribus

traditam, summa firmitate ac constantia perpetuo retinuerunt, persuasione divellat. Hic ego, Beatissime Pater, si orationis vela pandere, & quasi aperto invectus mari, per eorum Principum laudes, quorum nomine apud te verba facio, decurrere instituam, vereor, ne, cum dicendi principium vel facillime reperero, exitum reperire non possim. Nam quæ tandem nominari potest ullo in genere virtus, quæ non in eorum utroque ita emineat, ut ad quamcunque se quis animo & cogitatione converterit, ea demum excellere ac præstare videantur? Sed quoniam & ipsi nos hoc tempore suæ modo voluntatis interpretes, non etiam suarum laudum explicatores esse voluerunt, & eorum virtus excelso atque illustri sita loco, satis ipsa per se, nullo adhibito alienæ prædicationis lumine, in oculos omnium incurrit: laudandis ipsis, quod verissime ac copiosissime facere possem, supersedebo: tantum ex veteribus historiis nonnulla proferam, ex quibus intelligatur, & ab iis illos ortos esse majoribus, & in eorum opes atque imperia successisse, qui sibi posterisque suis amplissimam gloriam nulla re magis quam frangendis ac domandis nostræ religionis hostibus, defendendaque Apostolicæ Sedis dignitate pepererunt. Quis est enim ita veteris memoriæ ignarus, ita in superiorum temporum historiis peregrinus atque hospes, qui non Divi Ludovici Gallorum Regis optimi ac sanctissimi res pro Ecclesia fortiter gestas, si minus e scriptorum monumentis cognoverit, at auditione certe aliqua acceperit? Cujus viri per omnem vitam domi forisque spectata virtus, & vivum maxima laude cumulavit, & confecto hujus vitæ curriculo in cœlestium concilio collocatum ad divorum religionem & sanctimoniam consecravit. Ab eo igitur & Antonius Rex, & Joanna Regina Navarræ, duobus quasi rivis ex eodem capite manantibus originem

nem ducunt: ut non sine divino consilio sancti Regis soboles in plures familias sparsa atque deducta, post trecentos propemodum annos matrimonii fœdere copulata, in unam eandemque domum denuo coaluisse videatur. Etenim & tanti herois progeniem quam latissime fundi ac propagari oportebat, ut a stirpe generis ac seminis quamplurimis populorum rectoribus integra illa & incorrupta religio, quæ in eo fuerat, ingeneraretur; & æquum erat, ex ea profectos tandem aliquando rursum inter se conjungi, ut exstarent, qui utraque stirpe possent Divo Ludovico generis sui auctore ac Principe gloriari. Quod si mihi fas est, Beatissime Pater, audiente te, in hoc augustissimo religionis antistitum consessu res divinas attingere, & de divorum sensibus ac cogitationibus aliquid dicere: credo equidem Divum Ludovicum, pro caritate illa, quæ beatos ne tum quidem deserit, cum spes, & fides, finem suum consecutæ deficiunt, credo, inquam, eum e cœlo in suos intuentem, horum, de quibus loquimur, Principum conjunctione lætari, & assiduis hoc a Deo precibus exorare, ut a se orti per sua vestigia gradiantur, utque in vero Dei cultu non tantum ipsi se, populosque suos contineant, verum etiam illius propagationem primam sibi omnium rerum putent. Inde fit igitur, ut & Galliarum Reges ejus gloriæ, quæ conservanda & propaganda religione paritur, principatum sibi præter cæteros appetant: & qui eis genere proximi sunt (arctiori autem eos, quam Navarræ Rex, & Regina, necessitudine attingit nemo) nulla in re magis elaborent, quam ut se perpetuo ejusdem laudis societate dignissimos præstent. Nam quid ego nunc Ludovicum, Philippi & re & cognomine Animosi Galliarum Regis filium, D. Ludovici nepotem, Eburovicum Comitem, Regem Navarræ, a quo per multos gradus nunquam interru-

terrupto ſucceſſionis ordine, hæreditas regni ad Joannam Reginam pervenit; eum igitur cur mihi pluribus verbis commendandum putem? Quid ejus Philippum filium? Qui non tantum regni, verum etiam patriæ atque avitæ virtutis hæres, pro Chriſtianæ pietatis defenſione cum Granatæ Rege, acerrimo per id tempus Chriſtianorum hoſte, magnum & diuturnum bellum, ſumma & fortitudine & prudentia adminiſtravit. Theobaldi vero Campaniæ Comitis, qui & ipſe Navarris regio imperio præfuit, virtutem quis ſe unquam ſatis pro dignitate laudare poſſe confidat? qui cum totam prope ætatem in oppugnandis Chriſti adverſariis conſumpſiſſet, ejusque rei cauſſa, usque in Africam invictum exercitum duxiſſet, multa prælia commiſiſſet, multas victorias reportaſſet, tandem e ſacro bello, ad quod D. Ludovicum comitatus fuerat, rediens, paucis poſt eum diebus ad Superos evolavit. Fuit, fuit illa ſemper, & adhuc eſt, in Navarrorum Regibus virtus, ut religionis defenſioni alia omnia poſthaberent: pro ea, quoties ita res ferret, non fortunas modo ſuas, verum etiam ſua capita ſine ulla cunctatione in quodlibet periculum offerrent. Neque vero ita eos animatos eſſe mirabitur quisquam, qui cognoverit, nunquam eos ipſa regni ſui inſignia adſpicere poſſe, quin recordentur antiquæ majorum ſuorum virtutis, & laborum, quos illi pro religione noſtra maximos maximeque memorabiles pertulerunt. Ita enim memoriæ proditum eſt, Caſtellæ regnum in Hiſpania quondam a triginta barbarorum Regibus, Duce atque Imperatore Smaragdo, occupatum fuiſſe. Unde cum illi magnum omnibus Chriſtianis terrorem injicerent, brevique ſe tota reliqua Hiſpania, quæ Chriſtianorum erat, potituros eſſe confiderent: Sanctium Navarrorum Regem, collecto forti magis quam numeroſo exercitu, adverſus

versus eos profectum esse, cum prius pulcherrimum clarissimumque jusjurandum jurasset, nunquam se ex bello, nisi parta victoria, reversurum. Excogitaverant barbari cum alia multa ad prohibendas nostrorum incursiones aptissima, tum catenas quasdam ferreas, quibus ita vias omnes occluserant, ut equitatui, quo plurimum valebant nostri, omnis adempta spes faciendæ in hostem irruptionis videretur. Sed nihil virium habent adversus prudentiam subdola & astuta consilia; debiles sunt omnes adversus constantiam machinæ; imbecilla & inutilis adversus fortitudinem multitudo. Deo duce per medios hostes sibi & suis viam ferro faciens Sanctius non prius destitit, quam barbaros fusos, fugatos, castris exsutos docuit, victoriam non in munitionibus operibusque bellicis, sed in caussæ bonitate positam esse; qui pro Christi nomine dimicarent, eorum impetum non posse ne collatis quidem in unum aliorum omnium viribus sustineri. Superatis igitur, & in potestatem redactis hostibus, omnium nostrorum & imperatorum & militum incredibilis concursus ad Sanctium factus est: alius amplexari eum, alius ad genua accidere, alius fortem illam dexteram Barbarorum domitricem, Hispaniarum liberatricem, victoriæ confectricem, exosculari; qui propter multitudinem propius accedere non poterant, vultu, oculis, manibus, corpore, quascunque poterant, animi sui significationes dabant; una omnes voce & bellatorem fortissimum, & imperatorem invictissimum consalutabant. Inde cum de dividenda præda agi cœptum esset: quæ tanta erat, quantam triginta potentissimorum Regum collatæ unum in locum opes coacervare potuerant: nemo erat in universo exercitu, qui non ita sentiret, itaque prædicaret, quantamcunque sibi partem ex ea vel deposceret, vel etiam suo jure sumeret Sanctius, nun-

nunquam tantum ad eum perventurum esse, ut non multo plus ipsius virtuti præclarisque factis deberetur. Erat in castris Barbarorum auri, argenti facti, infectique permagna vis; gemmarum maximi pretii admirabilis multitudo; multum tapetium, multum conchyliatæ vestis, multum peristromatum, ut est illa etiam in bellis luxuriosa gens; armorum omnis generis optimorum & exquisitissimo artificio fabricatorum infinitus prope numerus; equi præstantes permulti; phalerarum, ephippiorum, cæterorumque ornamentorum equestrium incredibilis copia, captivi longe plurimi; ex quibus ingens pecunia confici posset: quibus omnibus ex rebus Sanctium, ut quantum vellet sibi ipsi sumeret, summo omnes consensu obsecrabant. Ille, alacri vultu, cum gratam sibi esse illam exercitus voluntatem significasset: Non me, inquit, barbaricarum opum cupiditas, ut in hoc bellum ingrederer, aut in prima acie stans corpus meum telis hostium objicerem, induxit. Christianæ mihi pietatis ardor, & hujus pulcherrimæ regionis ab injusto immanium belluarum dominatu vindicandæ studium, faces ad eam rem, & stimulos subdiderunt. Nunc, cum id, quod volui, divino beneficio, & vestra milites virtute consecutus sum: non committam, ut majori animo videar armatorum & stantium copias, quam inermium & jacentium spolia contempsisse. Ornamento sint ista primum immortalis Dei nostri Divorumque templis ac delubris: ut partim in sacrariis reposita, partim e tholis pendentia, propagent in omne tempus memoriam nostri: posterosque nostros ad suscipiendam semper magno animo religionis nostræ defensionem excitent. Ditent cætera egenos & exhaustos, pro suis quemque meritis, milites: ut, cum juventutis suæ firmitatem in periculis & laboribus consumpserint, habeant olim, quo senectu-

tis

tis infirmitatem in tranquillitate atque in otio sustentare possint. Ego quidem, quod ad me attinet, præter has catenas, quas spectantibus adjuvantibusque vobis perfregi atque perrupi; & præter illam gemmam, illam quam meis manibus dejectam, illic jacentem videtis (hæc autem dicens, ostendebat illis prostratum, & in sanguine suo involutum exanimem Smaragdum) nullam omnino mihi mercedem, nullum præmium, aut postulo, aut appeto. Ergo ad conservandam tam nobilis victoriæ memoriam, simulque ad incitandos successorum suorum animos, & ipse postea catenas pro insignibus gestavit; & instituit, ut iisdem insignibus cæteri post se Reges uterentur. Ac quoniam eo in prælio præcipuum quem dixi barbarorum ductorem Smaragdum sua ipse manu obtruncaverat: ejusdem nominis gemmam medio illarum catenarum complexu voluit contineri. Quin etiam propter hanc aliasque similes victorias, Regibus Navarræ honoris ergo tributum est, ut inungantur, coronentur, consecrentur. O beatum illud seculum, cum christiani & Principes, & populi sine ullis discordiis, sine ulla opinionum varietate & discrepantia, summo consensu, omnes vires suas ad proferendos Christianæ ditionis terminos conferebant. Nostra ætas & Christianos Principes alios aliorum viribus collisos attritosque vidit, & in populis, ne quid abesset miseriis nostris, gravissimas pestilentissimasque seditiones ab improbis hominibus, qui cupiditatibus suis falso religionis nomen prætexerent, concitatas. Quibus malis finem per te impositum iri, PIE Pontifex optime & sanctissime, omnes ita confidunt, ut, si hæc spes fefellerit, omnia, quæ possunt evenire, miserrima maximeque detestanda vereantur. Erexisti animos omnium, indicto, quod tanto opere optabatur, universali Concilio. Injecisti

jecisti spem, fore, ut, hæresium peste sublata, sacrosanctum JESU CHRISTI nomen eodem animo, eadem voce, iisdem ritibus ab omnibus invocetur. Agedum, Beatissime Pater, ita te Deus ille, cujus tu personam in terris sustines, quam diutissime, & quam felicissime Ecclesiæ suæ præesse velit, urge constanter, ut facis, istud propositum: omnemque diligentiam adhibe, ad prohibendum, ne tam tetri mali contagio latius serpat. Memento, te nostrum omnium communem patrem, & pastorem esse: nostram omnium salutem ab eo tibi commissam, ac creditam, qui cum Deus esset, humana natura assumta, quin sanguine suo viam nobis in cœlum panderet, non recusavit. Omnia speramus a te excitatum iri, quæ jacere sentis, tantis tamque diuturnis dissensionibus perculsa atque prostrata. Videre jam videmur illud tempus, cum per te constituatur Ecclesiastici ordinis auctoritas, confirmentur veteres ritus, pravæ opiniones aboleantur, concordia, ne unquam postea dissolvi possit, severis legibus vinciatur. Multa perdidit Ecclesiasticus ordo & ornamenta dignitatis, & præsidia stabilitatis suæ, quæ nisi per te recipiat, a nemine sibi restitui posse censet. Ad ea autem recuperanda cum cæteros Principes christianos tibi affuturos esse credimus; tum Antonius Rex, & Joanna Regina Navarræ, se Regnumque suum, & Bearniam, & quascunque denique summo cum imperio obtinent provincias in tua potestate semper fore, seque, ut par est, obsequentissimos Ecclesiæ filios, auctoritati tuæ nunquam non libentissime obtemperaturos esse, sanctissime pollicentur.

DIXI.

De

De Moralis Philosophiæ laudibus:

Cum eam docere inciperet.

ORATIO VII.

Habita Romæ XVI. Kalend. Decemb.
Anno cIↃ IↃ Lxiii.

VEteri consuetudine receptum est, ut omnes, qui artem aliquam publice docendam suscipiunt, eam primam habeant concionem, qua rationem instituti sui cum ejus, quam se traditu-ros esse profitentur, artis laude conjungant, eoque quicquid habent in dicendo virium conferant, ut in ea cum utilitatis & emolumenti, tum dignitatis & amplitudinis longe plurimum ineſſe confirment. Quæ consuetudo etsi minime reprehendenda mihi quidem videtur, quod omnia laudanda sunt, quæ ad amplificandam honestarum artium dignitatem & ad excitandum in hominum animis earum studium pertinent: tamen illud habet incommodi, quod, dum omnes promiscue iisdem fere afficiuntur laudibus, ejusdemque rei gloriam diversarum artium homines ad suam quisque traducere ac transferre conantur: fit, ut in vulgus elevetur omnium auctoritas; & ut, quoties aliquis de quacunque arte quippiam honorifice ac splendide dicere ingressus est, circumfusa multitudo ita eum loqui opinetur, non quod ita sit, sed quod eam tunc artem ornandam celebrandamque susceperit, idem de alia dicturus, si alia sibi extollenda & exaggeranda esset. Ergo, ut qui comœdias aut tragœdias spectant, cum histrionem aliquem in proscenio auro ac purpura fulgentem viderint, facile intelligunt, illa ornamenta ipsius propria non esse, sed futurum, ut æque illis indueretur quilibet alius e grege, qui ad tempus eam personam su-

ſtineret: ita, qui ejusmodi orationes audiunt, cum hanc aut illam artem magnificis & exquiſitis exornatam laudibus vident, ſtatim judicant, nihilo magis eas in hanc, quam in illam, convenire; futurumque, ut eadem de qualibet alia dicerentur, cui orator, tanquam choragus, eas quaſi partes mandare atque imponere voluiſſet. Quæ cum mihi de principio in mentem venirent, propemodum in eam me ſententiam adduxerunt, ut eam Philoſophiæ partem, quæ ad confirmandos mores, inſtituendæque vitæ rationem pertinet, quotidianis diſputationibus, quantum meæ vires ferent, illuſtraturus, nihil initio, quo dignitatem ipſius vobis commendarem, dicendum arbitrarer; verentem, ne cum ſuis eam modo ac propriis laudibus extuliſſem, communes tamen illæ nonnullis ac tralatitiæ viderentur. Simul autem illud cogitabam, ſi qui nondum pervidiſſent, aſſidua & diligens harum præceptionum tractatio quantum momenti habeat ad bene beateque vivendum, fore, ut brevi eis pro me res ipſa loqueretur: ex qua multo id eos melius, multoque perfectius, quam aut ex mea, aut ex cujusquam oratione cognituros. Sed ab ea me ſententia abduxit amicorum aliter ſentientium auctoritas, qui cum alia multa, tum hoc argumentum attulerunt: cum hæc ipſa Philoſophia præcipiat: non eſſe cuiquam temere a publica conſuetudine diſcedendum, minime convenire, qui eam ſe traditurum profiteretur, eum in ipſo quaſi veſtibulo illius præcepta migrare. Quocirca dicam hodierno die breviter & modice de moralis Philoſophiæ laudibus, deque fructibus, quos illa ſuis cultoribus pollicetur: ſed philoſophico magis, quam oratorio more: non ut ei quidquam alieni affingam, aut quæ ipſius propria ſunt, amplificandi cauſſa in majus extollam; quorum alterutrum ſi coner, ipſa mihi Philoſophia, ut eſt veritatis amans, tanquam

quam Achilli Homerica Pallas, manum injiciat: sed ut nudo ac simplici orationis genere, quale veritatis proprium esse ait Euripides ea, quæ ad rem facere videbuntur, exponam. Primum igitur non artium modo, sed omnium omnino humanarum rerum dignitatem, atque præstantiam ex fine, ad quem earum quæque dirigitur, quemque sibi proponit, pendi ac spectari arbitror oportere: ut, quanto cujusque finis præstantior ac divinior est, tanto ipsa cæteris excellere judicetur. Quo posito (est enim ita perspicuum, ut probationis non indigeat) quis unquam reperietur tanta vi præditus ingenii, tanta eloquentiæ copia instructus, qui se de Philosophia, pro ipsius dignitate, verba facere posse confidat? Non enim illa sibi opes ac copias, qui & sæpe possessoribus suis exitio sunt, & tam multis casibus eripi possunt; non honores & imperia, quæ, quod concupiverint multi, quod aspernatus sit, nemo unquam vituperatus est; non quidquam denique proponit ejusmodi, quo & carere sine probro, & abundare sine gloria liceat: sed eam, ad quam omnes adspirant, quam sibi votis omnibus expetunt, ad quam omnes suas actiones, omniaque consilia referunt, felicitatem. Quanto igitur cæteris omnibus bonis antestat felicitas, tanto Philosophia cæteris artibus antecellit. Quod si tanto studio coluntur artes quædam, quæ nihil sibi aliud, quam lucrum, & rei familiaris amplificationem tum incertam, tum laboris ac periculi plenam proponunt: quanto hæc studio digna est, qua parantur veræ illæ opes animi, quæ non furto eripi, non incendio absumi, non naufragio absorberi possunt, quæque certam rectamque viam commonstrant ad persequendum id bonum, quo cætera omnia continentur? Si tanto in honore medicina est, quod habere levationem morborum, quibus tentatur corpus, bonæque valetudinis ac firmita-

tis tum effectrix esse, tum conservatrix creditur? qui tandem honores excogitari poterunt ea arte digni, quæ se in animis idem effecturam esse profitetur? Nam & præstantior corpore animus est, & hujus, quam illius, multo plures morbi, multoque periculosiores. Quod si cui forte dubium est, excutiat ille paulisper intelligentiam suam, secumque reputet, quam sæpe unius hominis ambitio, avaritia, libido integras funditus everterit civitates. His autem & similibus morbis medetur Philosophia, eamque in suis efficit animi firmitudinem, quam non voluptatum illecebræ, non dolorum faces, non divitiarum splendor, non obscura & contempta paupertas, non honorum sitis, non ignominiæ metus, non vitæ cupiditas, non mortis terror convellere ac labefactare possit. Ut enim Olympi cacumen Poëtæ semper quietum esse ajunt: propterea quod altius sit, quam ut eo vis ventorum tempestatumque perveniat: sic Philosophorum animus sublimior & excelsior est, quam ut istos flatus sentiat furentium, & de rebus abjectissimis inter se humi digladiantium cupiditatum. Stat ille, ut in medio mari edita & altissimis defixa radicibus rupes: cujus summa fluctus ne attingunt quidem; infima sic verberant, non ut eam commoveant, sed ut ipsi frangantur. Novit Philosophus vulgarium voluptatum blanditias partim puerilium oblectamentorum similes esse, indignas non modo, quas consectentur, sed quas respiciant viri; partim cum dedecore ac turpitudine conjunctas, ut satius sit, quovis dolore lacerari, quam venenata ac pestifera earum suavitate mulceri. Habet alias ex sese proprias ac perpetuas voluptates, easdemque sincerissimas, nullaque, ne minima quidem permistione molestiæ contaminatas, quas ex ipsa virtute, & ex honestis actionibus carpit: iis fruitur, iis mentem pascit, iis se oblectat, eas solas caras ac jucun-

cundas habet. Nam ut in beatorum insulis dicuntur esse arbores quædam adspectu jucundissimæ, quarum in ramis toto anni tempore cernere est alios fructus mites jam, & ad maturitatem perductos, alios matureſcentes, alios pubentes adhuc, & in primum se florem induentes: sic in eorum, qui vere ac serio philosophantur, animis toto vitæ tempore aliæ actiones honestæ ac laudabiles confectæ jam sunt, & absolutæ; aliæ in eo sunt, ut absolvantur; aliæ inchoantur adhuc & informantur, primisque, ut ita dixerim, lineis designantur. Itaque aliarum recordatione ac conscientia, aliarum tractatione ac præsentia, aliarum meditatione & prospicientia sic afficiuntur, nihil ut sibi præterea jucundum aut amabile existiment. Immensa etiam illa & inexplebilis accumulandarum opum aviditas, quam, incertum est, copia an inopia magis incendat, radices agere in animo Philosophiæ præceptis consito & exculto non potest. Quid ita? Nimirum quia hæc id vel præcipue in suorum animis inserit, naturales opes & terminatas esse, & facile parabiles? eas qui adeptus sit, nihil ei amplius appetendum, non qui plurimum habeat, sed qui minimum desideret, ditissimum esse; nihil magnificiendum, quod æque pessimus atque optimus quisque consequi possit. Neque tamen eorum consilium probat, qui aut aurum in mare abjecisse, aut possessiones suas incultas ac desertas reliquisse memorantur: hæc enim aut ignavorum hominum videntur, aut pecunia uti nescientium: quorum utrumque in vitio, non in laude ponendum est. Ac fuere quidem ii, de quibus illa narrantur, Philosophi: sed rudior, illa quædam, & simplicior Philosophia tum fuit: politior nostra hæc, & ad usum civilem accommodatior: quæ docet, opes, si quis aut a parentibus acceperit, aut industria sua quæsierit, aut alia quapiam honesta ratione

ad eas pervenerit, non adſpernandas aut rejiciendas eſſe, ſed ita habendas, ut virtutis, non ut luxuriæ, adminiſtras. Nam illud mihi quidem permirum videri ſolet, quid ita veteres illi judicarint, non poſſe ſe ſimul & rem habere, & in ſapientiæ ſtudia incumbere: qui mihi etiam videntur, quo facto ſummam divitiarum contemptionem ſignificare ac præ ſe ferre voluerunt, eo ipſo indicaſſe nimiam quandam erga eas naturæ ſuæ propenſionem, ſi nummos in arcam condere non poterant, ut non omnes cogitationes ſuas in eandem arcam includerent: neque, quamdiu patrimonium habebant, imperare ſibi, ut aliis rebus contemplandis ac cognoſcendis vacarent. Equidem nunquam eum militem laudaverim, neque fortem habendum duxerim, qui adverſarium a ſe quam longiſſime amoveat, ne cum eo manus conſerat: ſed eum potius, qui & congrediatur, & vincat. Neque vero video, qui minus impedimento ſit egeſtas ſtudiis, quam divitiæ. Neceſſe eſt enim, qui unde vivat, non habet, eum ſibi vitæ ſubſidia aliunde quærere: in quo quantum temporis ponit, tantum de ſapientiæ ſtudiis detrahit. Melius igitur Philoſophia, cui, qui ſe regendos permittunt, ii opes, ſi non habent, non requirunt; ſi habent, utuntur ut decet: neque unquam torquentur, aut augendi cupiditate, aut amittendi metu. Quid ego nunc de perturbatrice humanarum rerum, optimi cujusque ingenii corruptrice, concitatrice bellorum omnium, ambitione, quam ſemper virere in eorum, quos ſemel occupavit, animis, neque unquam conſeneſcere, graviſſimus auctor ait Thucydides, verba faciam? Nunquid illius unquam facibus accendi poterit pectus, quod infuſa prius Philoſophiæ præcepta irrigaverint? Imo vero etiamſi antea ſubjecti ab ea ignis aliquid forte conceperit, id totum inſtillata Philoſophia reſtinguet: Ea enim magiſtra ac præceptrice

ce cognoscimus, verum decus, veramque gloriam in sola virtute positam esse: eam qui consecutus sit, quid alii de se judicent, non admodum laborare oportere: præcipue vero despiciendam levis & imperitæ multitudinis temeritatem, quæ ad mandandos honores cæco sæpius & inconsiderato impetu, quam certo & explorato judicio fertur. Præclare & sapienter Cato: malle se, dicebat, quærere homines, cur sibi posita non esset statua, quam si quærerent, cur posita fuisset. Eodem animo sunt veri omnes Philosophi: esse se, ut de Amphiarao ait Æschylus, quam videri optimos malunt; honores autem & Magistratus aut non petunt, aut alienæ, non suæ utilitatis caussa petunt; neque si adepti sint, exsultant: neque, si repulsam tulerint, anguntur animo, sed placate & moderate ferunt; aut, si quando dolent, Reipublicæ dolent vicem, non suam. Cæsarem ferunt, cum Pontificatum petiturus ad comitia descenderet, matri dixisse, illam eo die aut pontificem habituram filium, aut exulem. Jam tum præsagire ac præcognoscere licebat, ambitionem illam ingens aliquod malum civitati daturam. Itaque quid postea effecerit, videmus. At Cato, in petitione Præturæ etiam Vatinio posthabitus, æquissimo ac moderatissimo animo tulit. Ita sunt Philosophi. Maximam voluptatem in prætermittendis voluptatibus, maximas opes in quiete, ac contento suis animo, maximam gloriam in non ambienda gloria ponunt. Satis honoratum putant esse, qui honore dignus sit; satis magnum Regem, qui se ipsum regere; satis potentem Imperatorem, qui cupiditatibus suis imperare possit: qui vero eis plane domitis ac subactis jugum rationis, quod illæ ne conentur quidem unquam excutere, imposuerit, ab eo omnes aliorum victorias triumphosque superatos. Quod si libidinem, avaritiam, ambitionem pestes quasdam ac

furias esse novimus, quæ funditus humanam vitam conturbent: quantus honos habendus est Philosophiæ, quæ se omnes earum conatus repulsuram, omnes igniculos repressuram, omnia semina elisuram, non magnificentius, quam verius, polliçetur? Videre vos opinor, quam se latus orationi meæ campus ostendat, si, quæcunque hoc loco se offerunt, persequi, & in singulis insistere atque immorari velim. Nam cum virtus nulla sit, de qua non splendide, & ornate dicere; nullum vitium, in quod non graviter & copiose invehi liceat: quidquid de eorum utrolibet dici potest, idem ad Philosophiam laudandam accommodari potest: quam virtutis indagatricem, vitiorum expultricem Latinorum omnium eloquentissimus vere ac merito nominavit. Sed non committam, ut cuiquam videar transilire eos terminos, quos initio pepigi; potiusque reprehendi me patiar, quod multa, quæ fusius explicare licuisset, compresserim ac coarctaverim, quam quod in ulla re dilatanda evectus sim longius justo, neque satis mihi temperare potuerim. Nunc illud mihi etiam atque etiam considerate: cæterarum omnium artium fines, neque eos modo, sed omnia prorsus, quæ bona putantur in vita, nisi quis Philosophiam vitæ ducem habeat, pestifera ac pernicioſa esse. Da homini non Philosopho opes ac copias; da honores atque imperia; da firmam valetudinem; da gladiatorium totius corporis robur; da multarum magnarumque rerum cognitionem ac scientiam; da flexanimam illam, ut Poëtæ vocant, & omnium rerum reginam eloquentiam; da quidquid in filiis parentum votis optari solet: quo ejusmodi plura in talem hominem congesseris, eo illum magis & in suam & in aliorum perniciem armaveris. Opibus abutetur ad suam libidinem explendam; imperiis ad alienam libertatem opprimendam; firmitate & robore

bore ad obeunda facinora; scientiam copiamque dicendi ad circumveniendos cives suos, ad perturbandam Rempublicam, ad omnia denique tum sacra, tum profana permiscenda, & evertenda convertet. Da hæc eadem vero, minimeque fucato Philosopho: Deum quendam ad benefaciendum humano generi e cœlo demissum esse dices. Atque hoc illud est, quod in Alcibiade minore sive Plato, sive Xenophon disputat, ea quæ suapte natura bona sunt, sine scientia ejus quod optimum est, quam eandem & Philosophiam esse statuo, ad perniciem, non ad salutem, valere. O præclaram laudem Philosophiæ, cujus ope ne mala quidem nocere; qua detracta, ne bona quidem prodesse possunt. Merito dixit Plato, nullum a Diis datum esse hominibus ea majus aut præclarius donum. Merito Cicero, unum diem ex ejus præceptis actum immortalitati anteponendum. Neque vero non illud ad ejus, de qua proprie sermo nobis institutus est, Philosophiæ laudem ac commendationem facit, quod omnia propemodum, quæ a veteribus de Philosophia honorifice dicta sunt, ad hanc pertinent, quæ in vitæ ac morum emendatione versatur. Non enim Plato, cum illam nobilissimam vocem, tanquam ex oraculo, edidit, tum demum beatas civitates fore, cum aut regnarent Philosophi, aut Reges philosopharentur, intellexit, tum id eventurum, cum Reges aut in differendi subtilitate, aut in pervestigandis rerum naturalium caussis occupati essent: quæ, quanquam præclara sunt, longissime tamen absunt ab eo, ut beatas Respublicas efficere possint: sed, cum virtutis pulchritudine incensi omnes vires suas ad eam non cognoscendam modo, sed exercendam, excolendam, propagandam contulissent. At contra quidquid inanibus imperitorum ac maledicorum sermunculis adversus Philosophiam jactatum est, quoscunque in

eam aculeos scurrilis quorundam libido conjecit, quidquid ad minuendam ipsius dignitatem veteris comœdiæ licentia effutiit, id omne, si diligentius excutiatur, ad Dialecticos potius, & ad Physicos, quam ad Politicos, pertinere videbitur. Quod si ullus in orbe terrarum locus est, ubi politicen florere, suamque dignitatem obtinere deceat, Romæ id, Romæ potissimum fieri debet: cui urbi a primo ipsius ortu divino permissu datum est, ut aliis imperaret; unde leges, unde jura, unde religionem cæteræ nationes & olim petierunt, & nunc petunt: unde quondam exstiterunt tam multi clari viri, qui hæc præcepta, quæ nos tradituri sumus, exemplo suo comprobarunt. Nolite enim putare, illa lumina, Camillos, Curios, Fabricios, Fabios, Scipiones, Lælios, cæterosque præstantes viros, quos olim hæc urbs innumerabiles tulit, quorum quotidie nomina auditis, facta legitis, monumenta cernitis, statuas tanta cum admiratione intuemini, quod de Philosophia neque disputarunt fere, neque scripserunt, eo minus Philosophos fuisse. Vita illi, non oratione; factis, non dictis; moribus, non sermonibus philosophabantur: quod pulcherrimum ac verissimum est philosophandi genus. Integritatem, justitiam, fidem, fortitudinem, omnem denique virtutem & colebant ipsi, & alios colere jubebant: Eo ad tantam majestatem atque amplitudinem pervenerunt, ut pleræque gentes, quod ipsæ olim a talibus viris subactæ ac superatæ sint, quam quod ipsæ alias devicerint, præclarius sibi ac glorioſius ducant. Quantam oportet gloriam fuisse vincentium, cum victi tot post seculis glorientur? Eorum ego potissimum exemplis, adolescentes, incitabo vos quotidie atque exacuam, neque ullum ex Aristotele præceptum proferam, cujus non ex hac urbe plurima maximeque illustria exempla repetantur. Constitui enim,

enim, quando PIUS optimus ac sanctissimus Pontifex, qui ipse omnis virtutis perfectissimum exemplar est, eum mihi honorem detulit, ut a me virtutis & officii præcepta vobis proponi atque explicari voluerit, modis omnibus eniti, ut ea non arido, & inculto, & molestis implicato quæstionibus orationis genere prosequar: sed quantum id quidem in me erit, florido, & ubere, &, quasi stellis quibusdam, ita petitis ex vetere historia exemplis illuminato atque distincto. Peto autem a vobis, ut, si & in iis rebus, quas tractare instituí, summam dignitatem inesse cernitis, & me nullis vigiliis, nullis laboribus, nulli denique rei parcentem, ut vestris commodis consulam, videbitis, industriam meam diligentia ac benevolentia vestra adjuvetis.

DIXI.

De Moralis Philosophiæ necessitate:

Cum in ea docenda progrederetur.

ORATIO VIII.

Habita Romæ VII. Id. Novembr.

Anno cIↃ IↃ Lxiv.

SUperiori anno, cum injunctum mihi Pontificis auctoritate munus obire inciperem, multa dixi de laudibus Philosophiæ, cohortatusque vos sum quam potui diligentissime, si tranquillitatem vitæ, si libertatem, si dignitatem atque honestatem, si salutem denique & vestram & publicam caram haberetis: ut, quæ ars tranquillaret animos, quæ eos a teterrima vitiorum servitute in justam plenamque libertatem assertos, ad verum decus, quod in virtute positum est, traduceret, quæ denique & singulos privatim & publice totas civitates conservaret, ejus in studium toto pectore, alia omni cogita-

gitatione posthabita, incumberetis. Quam cohortationem meam etsi non prætervectam esse aures vestras, sed in animis plurimorum penitus insedisse vel ex eo probabiliter intelligi potuit, quod mihi postea ex hoc ipso loco Philosophiæ præcepta tradenti satis frequentes assiduam operam dedistis: facere tamen pro meo erga vos amore non possum, quin vos hoc quoque tempore non adhorter tantum, sed obsecrem etiam & obtester, qui jam iter illud ingressi estis, ut constanter persequamini; qui nondum, ut id vobis, primo quoque tempore ingrediendum esse statuatis. Nulla enim vitæ pars, nulla vivendi ratio, carere fructu, qui ex eorum, quæ nos quotidie tractamus cognitione percipitur, sine maximo incommodo potest. Magnum est, fateor, rerum naturalium principia causasque nosse: siderum cæterorumque corporum cœlestium situs, magnitudines, intervalla, scientia comprehensa tenere, præclarum; illa vero etiam, quam in hæc inferiora vim habeant, quidque ad quamlibet multos annos effectura sint, sine ullo errore posse prædicere, prope divinum. Sed certe, quod ne illi quidem ipsi, qui ea se docere profitentur, negaverint, eorum, in quibus nostra exercetur industria, & fructuosior cognitio est, & pernicioſior ignoratio. Itaque ut nos iis, qui abdita illa & retrusa tractant, & ingenii acumine, & doctrinæ magnitudine, & rerum admirabilitate non inviti cedimus: ita ipsi nobis, nisi valde iniqui sint, ea, quæ disputantur a nobis, & magis necessaria esse, & uberiores hominum generi fructus afferre fateantur necesse est. Nullus enim unquam, quod illa aut non teneret aut etiam negligeret, minus propterea vir bonus, aut minus utilis patriæ civis existimatus est: hæc aut ignorata, aut neglecta non singulos modo perdiderunt homines, sed integras funditus afflixerunt & everterunt civi-

civitates. Nos, quæ adoleſcentum, quæ conſtantis ætatis, quæ ſenum officia ſint, quærimus; nos quid domi, quid militiæ, quid a privatis, quid ab iis, qui cum imperio ſunt, præſtari debeat, diſputamus; ex nobis intelligit pauper, quomodo tolerare inopiam; dives, quomodo uti divitiis debeat; a nobis quid inter patrem & liberos, quid inter virum & uxorem, quid inter fratres, cognatos, amicos, cives, quid denique inter omnes homines obſervari par ſit, explicatur; nos fortitudinis, nos temperantiæ, nos liberalitatis, nos juſtitiæ, cæterarumque virtutum vim atque naturam diſputationibus noſtris patefacere atque illuſtrare conamur. Sine horum præceptorum cognitione muta conticeſcet eloquentia; manca & mutila erit juris legumque cognitio; illa ipſa domina & regina artium Theologia animos requirit diligenti harum rerum tractatione præparatos atque præcultos. Quæ cum ita ſint, quamcunque quis vitæ viam ingredi parat, ita ſtatuere debet, cæterarum Philoſophiæ partium cognitionem ſibi & utilem & honorificam, hujus plane neceſſariam eſſe. Sed ſunt quidam perverſo homines ingenio, qui cauſſas, propter quas & ipſi a pulcherrimo ſtudio abſtineant, & ab eodem cæteros avocent, comminiſcuntur. Partim enim communia & contrita eſſe dicunt, quæ hic docentur, ut ad ea percipienda doctore nihil opus ſit; partim non habere eam vim, ut ad virtutis ſtudium excitent: cujus rei argumentum capiunt ex eo, quod innumerabiles & olim fuerunt, & hodie ſunt, qui cum hæc omnia ſe ſcire profiteantur, nequiſſime tamen & flagitioſiſſime vivunt. Quibus utrisque breviter reſpondere inſtitui: & efficere, ſi poſſum, ut ii, qui iſta temere jactant, cognoſcant errorem ſuum: cumque ſe nihil dicere videant, ſententiam mutent; ſin minus (nihil eſt enim difficilius, quam vincere pertinaces)

ces) certe quidem, ut ne alii ſtultitiæ & malevolentiæ plena eorum oratione moveantur. Primum igitur agamus cum iſtis, qui, ut ad cibos nimium dulces, ita ad diſputationes nimium apertas & faciles nauſeare ſe dicunt. Ex quibus libenter quæſierim: qui tandem fiat, ut, quibus rebus omnes ad alia ſtudia invitari atque allici ſolent, iisdem ſe ipſi ab hoc ſtudio averti abſterrerique dicant. Certe enim, cum ea, quæ docentur, utilia & præclara ſunt, ſi eodem accedit, ut clara, perſpicua, aperta, cognitu facilia ſint; eo majores concurſus ad eos, qui illa docent, fieri conſtat. Quid igitur cum illis agas, qui, quæ res ad concilianda cæterorum ſtudia plurimum valere conſuevit, ea ſe ipſi tardari ac retrahi ajunt? Ego vero, etiamſi præcepta virtutis quamlibet multis obſtructa difficultatibus forent, laborandum tamen, & ſudandum, & nunquam niſi eis cognitis ac comprehenſis conquieſcendum, putarem: nedum ea, quia, ut iſti volunt, a quolibet non tardiſſimo atque inertiſſimo percipi poſſunt, omittenda aut minoris facienda cenſeam. An de rebus ad vitam nihil pertinentibus inter homines eruditiſſimos ſumma contentione diſputabitur; in eisque, quia involutæ & prope inenodabiles ſunt, opera præclare collocari videbitur: hæc, quæ vitam omnem continent, ut nimis obvia & in medio poſita, negligentur? Quanquam quid diutius ita diſputamus, quaſi eis concedamus, quod volunt, nihil hic doceri, quod non aut etiam vulgo notum ſit, aut quivis ſine doctoris opera facile conſequi poſſit? Ergo ille omnium, qui tunc erant, mortalium, ut creditum eſt, ſapientiſſimus Socrates, qui nulla unquam alia de re, quam de virtutibus & vitiis diſputavit, vulgaribus & ſatis per ſe notis in rebus ſpatium ætatis omne conſumpſit; quid Plato? quid Xenophon? quid Ariſtoteles? quid cæteri, ſuæ quisque ætatis prin-

principes viri? Quid erat cauſſæ, cur tam multa in hoc genere ſcripta poſteritati relinquerent, ſi nihil egregium, nihil exquiſitum, nihil excellens, ſed ea tantum, quæ quilibet e populo ſatis per ſe intelligeret, litteris mandaturi erant? Videlicet, quia juſtitiam, fidem, temperantiam, liberalitatem omnes aſſidue in ore habent, neque quisquam eſt, ne ex ima quidem fece vulgi, quin ſe de ejusmodi rebus optime judicare poſſe confidat, idcirco, nullam magnam eruditionem in eis cognoſcendis ſitam eſſe arbitrantur. Quod tamen longe ſecus eſt, intereſtque nimium quantum inter eos, qui tantum tenent nomina, & eos, qui ex eruditorum hominum ſcriptis ac ſermonibus de rebus ipſis vere judicare didicerunt. Plena eſt exemplorum vita communis, ex quibus facile intelligi licet, quam ſæpe vulgus hominum in judicandis virtutibus vitiisque fallatur. Quod ni ita eſt, cedo cauſſam, cur qui mimis, lenonibus, paraſitis, adulatoribus plurima largiuntur, & ſuo & multorum judicio ſint liberales; cur multi reſtricti, tenaces, ſordidi, qui facilius patiantur ſibi dentem unum ex ore excuti, quam nummum unum ex arca moveri, parſimoniæ ac frugalitatis nomen ferant: cur tam multi ad audendum projecti & temerarii commendentur pro fortibus, tam multi timidi & ignavi pro cautis & conſideratis prædicentur. Quid? Jurisconſultorum vigiliæ in quo conſumuntur, quid ſpectant eorum labores, qua in re eorum acutiſſima exercentur ingenia, niſi ut videre ac dijudicare poſſint, quid in quaque re juſtum injuſtumve ſit? Non igitur, ut nimium facilis, deſpicienda eſt ars ea, quæ virtutum omnium vim naturamque pertractat, cum in una virtute cognoſcenda videamus tam diu, tanta diligentia, ab hominibus ſummo ingenio præditis laborari. Informavit quidem natura & impreſſit in animis noſtris adumbra-

bratas quasdam virtutum & vitiorum omnium notiones: sed illæ tantam vim non habent, ut quisquam eis fretus confidere debeat, se sine disciplina vere de rebus expetendis fugiendisque judicaturum. Quid si nos nihil aliud, nisi hæc tam utilia, tamque salutaria, quamlibet nudo & inornato dicendi genere traderemus, calumniari tamen nemo nos posset, nisi alienæ nimis iniquus æstimator industriæ, ut in rebus nimium pervulgatis & facilibus occupatos. Nunc cum & ad salubres animorum epulas condimentum sermonis, quantum in nobis est, adhibeamus: & res suapte sponte pulcherrimas, tum præstantissimorum omnis ævi scriptorum testimoniis fulcire ac corroborare, tum insatiabili quadam veterum exemplorum copia exornare atque illustrare soleamus: tamen ne inveniantur, qui elevare labores nostros audeant: quæque præstantur a nobis iis sudoribus, ac vigiliis, quarum ipsi nobis conscii sumus, ea quemlibet unum e multis ludibundum perficere posse contendant? Qui si periculum facerent ipsi, quam non quarumlibet virium sit munus hoc ita, ut nos facimus, sustinere & exequi, fortassis, experientia edocti, minus de se elate ac magnifice sentirent, minus de aliis maledice contumelioseque loquerentur. Sed omittamus istos. Nescio enim quo modo factum est, ut de re dicere ingressus, de me plura, quam volueram, dixerim: quod ipsum ut facerem, quorundam me hominum, quos nominare nihil necesse habeo, iniquitas coëgit. Difficilior cum eis luctatio est, qui negant, sermonibus nostris quemquam ad virtutem incitari, idque ex eo colligunt, quod sæpissime contingit, ut, qui optime loquuntur, pessime vivant. Nos vero si diceremus, eam in disputationibus philosophicis inesse vim, ut ex audientium animis vitia radicitus evellere, virtutesque eisdem ingenerare possent, merito ut vani

atque

atque inepte glorioſi reprehenderemur. Multas magnasque mercedes, ut ait Theognis, ferrent Philoſophi, ſi, quemadmodum Circe herbis & cantibus ſuis homines ſtatim convertebat in feras, ita ipſi ſuis ſermonibus ex feris homines facerent, id eſt, homines ferarum ſimillimos ad virtutem a vitio, ad rationem a furore, ad humanitatem ab immanitate revocarent. Et tamen aliquid ſe aliquando ejusmodi effeciſſe Philoſophiæ gloriari licet. Producet enim Polemonem, ab infami vita moribusque perditiſſimis ad bonam frugem & ad ſeveritatem, unica Xenocratis diſputatione revocatum. Sed ut non peræque in omnibus campis agricultura: ita non in omnibus animis Philoſophia idem efficit. Illud quidem certe negari non poteſt, aut nullam omnino eſſe artem, quæ medeatur animis, quæ quanta ſit in vitiis deformitas, quanta in virtute dignitas, doceat, quæ ab illis avertat, ad hanc incitet; aut eum honorem Philoſophiæ potiſſimum eſſe tribuendum. Quod autem objiciunt, plerosque Philoſophorum factis dogmata ſua evertere, neque ignem aquæ magis contrarium eſſe, quam eorum mores orationi: ita enim loqui, ut vitio; ita vivere, ut virtuti bellum indixiſſe videantur. Utinam tale eſſet, ut id nobis inficiari liceret. Eſt enim acerbiſſimum negare non poſſe, quod ſit turpiſſimum confiteri. Sed quoniam iis, quæ omnibus nota ſunt, fidem abrogare velle dementiæ eſt: non negabimus verum eſſe, quod objicitur; tantum deprecabimur, ne propter hominum vitia res ipſa in invidiam vocetur, neve, quorum facta merito averſamur, eorundem ſermonem immerito repudiemus. Ut enim quorundam ex Epicureis dogma reprehenditur, vita laudatur: ſic horum vitam reprehendere, doctrinam amplexari debemus. Polycletum, inſignem ſtatuarum opificem, tradunt librum de artificio ſuo ediditſe,

quem Canona, id est, Regulam inscripsit: quo libro omnia, quæ in statua hominis fingenda observari conveniret, quæ singularum partium, minimarum, maximarum figura esset, qui situs, quæ inter se proportio, subtilissime & accuratissime persecutus est. Eodem autem tempore statuam a se factam publice proposuit, in qua ea omnia diligentissime observata erant, ne quid præcipere aliis videretur, quod non ipse præstaret: quam statuam ipsam quoque Canona nominavit. Vellem eandem rationem Philosophi teneremus: neque tantum traderemus aliis præcepta, ad quæ vitam suam dirigerent, verum etiam vitam nostram ad ea conformatam ostenderemus. Magna sine ulla dubitatione præceptis nostris ex eo accederet auctoritas. Sed, quando id optandum potius, quam sperandum videtur, quod in frugibus, in fœtibus arborum, in corporibus animantium, quibus vescimur, facimus, ut resectis & amputatis iis, quæ inutilia sunt, iis, quæ prodesse possunt, utamur; idem in hoc genere Philosophorum faciendum est, ut, rejecta eorum turpi flagitiosaque vita gravem severamque doctrinam non auribus tantum, sed multo magis animis combibamus. Non enim, si qui ex medicis cibo se & potu aliquando ingurgitant, eo illis continentiam præcipientibus, qui sapiunt, minus parent: sed illi quidem quid agant, non laborant, artis autem ipsius placitis & decretis obtemperant. Nam cum alicujus mores & præcepta congruunt: tunc aut utraque laudanda sunt, aut utraque vituperanda; cum discrepant & dissident: causa nulla dici potest, quin alterum retinendum sit, alterum rejiciendum. Horum a dictis facta ita distare constat, ut non cœlum a terra longius distet: sunt autem facta turpissima: igitur sermones, quibus ea ipsa facta damnantur ac reprehenduntur, dignissimi qui audiantur. Atque ut medici, quo majorem auctori-

ctoritatem arti suæ concilient, solent interdum enumerare quosdam e præcipuis auctoribus disciplinæ suæ, qui, quod ita se compararunt, ut præcepta sua non ostentationem scientiæ, sed legem vitæ putarent, diutissime saluberrimeque vixerunt: ita nos nihil, si volumus, impedit quamlibet multos Philosophos nominare, qui quod decretis suis paruerint, quasque leges aliis proponebant, ipsi servaverint, merito sunt apud omnes populos nunquam intermorituram gloriam consecuti. Illi fortassis nominabunt Hippocratem, Asclepiadem, Galenum: quorum primus usque ad annum centesimum quartum ætate provectus est; alter eo processit, artis suæ fiducia, ut ausus sit cum fortuna sponsionem facere, ne medicus haberetur, si ullo unquam morbo tentatus esset: & victor cum ad extremam senectutem sine ullo morbo perveniisset, scalarum lapsu exanimatus est; tertius cum imbecilliori valetudine usus esset adolescens, ita eam arte correxit, ut ad septuagesimum annum pervenerit. Nos e Philosophiæ castris ad repellendos ipsius vituperatores primum quidem in aciem educemus illud honestatis, illud modestiæ, frugalitatis, innocentiæ, fortitudinis, omnis denique virtutis specimen & exemplar Socratem: qui ita locutus est, ut ex ejus sermonibus omnes, quæ postea consecutæ sunt, Philosophorum disciplinæ fluxerint; ita vixit, ut hodie quoque nomen illius non hominis, sed integritatis & innocentiæ nomen putetur. Cui succedet par illud nobile in eodem institutum ludo Xenophon & Plato: quorum uterque summam in dissimili genere eloquentiæ laudem pari vitæ gravitate cumulavit. Proxime hos Xenocrates; de cujus eloquentia dicit Polemon; de continentia Phryne; de frugalitate & contemptione pecuniæ Alexander; de fide & justitia universus populus Athenienſis, qui eum, dicto

publice testimonio, ad aras jurandi caussa accedentem, una voce revocavit, ac jurare vetuit: parum sibi decorum ratus, tam spectatæ fidei viro, nisi jurato, non credidisse. Inde æternum Alexandri crimen Callisthenes, unoque verbo tota vetus Academia, & Lyceum, & illa non tam Myconis & Polygnoti picturis, quam Zenonis & Chrysippi disputationibus nobilitata porticus, quibus ex omnibus quasi virtutis & doctrinæ officinis innumerabiles viri, incertum doctiores, an meliores, prodierunt. Agmen claudent Epictetus, Plutarchus, Musonius, ceterique illi ætati suppares, quos ita philosophatos accepimus, ut iis, quibuscum vivebant, ad omnia recta & laudabilia non voce magis quam exemplo præirent. His copiis facile speramus fore, ut eorum, qui Philosophiam maledictis incessere audent, retundatur audacia. Qui si ita victi erunt, ut deinceps in nostrum se numerum aggregari velint, & in ejus ipsius, quam oppugnabant, castris stipendia facere incipiant, victoriam adepti erimus longe ei dissimilem, quam veteres Cadmeam nominabant. Illa enim & victori luctuosa erat, & victo: hæc & victoribus erit lætitiæ, & victis saluti. Sin, cum se fractos ac perculsos videant, permanebunt tamen in eadem pravitate atque obstinatione animi, &, ut ignavi canes, Philosophiam, ad quam propius accedere non audent, eminus allatrabunt; vos tamen, optimi adolescentes, quorum caussa hic a me institutus est sermo, quibus mei labores serviunt, quorum ad utilitatem omnes mei conatus, omnes vigiliæ, omnia studia referuntur, urgete constanter propositum: neque patimini vos cujusquam sermonibus a suscepto studio abduci. In ea ætatis parte constituti estis, in qua & ingenium ad omnia percipienda docilius, & corpus ad tolerandos studiorum labores firmius esse consuevit. Videte ut eam iis in

studiis

ſtudiis collocetis, quæ vobis olim maximo & uſui & ornamento futura eſſe cognoſcitis. Atque ut obtrectatoribus noſtris eripiatis omnem cauſam maledicentiæ, connitimini, quantum poteſtis, ut virtutis & officii præcepta, quæ ex me quotidie auditis, non tantum excipiatis animo, verum etiam vita & moribus exprimatis.

DIXI.

De Juſtitiæ laudibus.

ORATIO IX.

Habita Romæ Poſtridie Non. Mart.

Anno cIↃ IↃ Lxv.

Cum quintum librum Ethicorum Ariſtotelis inchoaret.

QUod principio me, cum hos libros explicare ingrederer, dicere meminiſtis, accuratam eorum tractationem & intelligentiam cum ad omnes vitæ partes utiliſſimam, tum iis, qui in jure civili excellere, locumque aliquem, non inter circumforaneos iſtos clamatores, ſed inter veros & graves, & veterum illorum ſimillimos Jurisconſultos obtinere meditarentur, neceſſarium eſſe: id & aliqua jam ex parte, quam verum ſit, judicare potuiſtis, & ex iis præcipue, de quibus in hoc libro diſputabimus, intelligetis. Ingrediendum enim nobis eſt duce & quaſi myſtagogo Ariſtotele in auguſtiſſimum & religioſiſſimum juſtitiæ templum; luſtranda oculis omnia illius adyta; contemplanda inprimis ipſius Deæ forma; & tum quæ quantaque vis illius poteſtasque ſit, tum quibus ipſa ſe rebus, quibus ritibus coli gaudeat, cognoſcendum eſt. Hæc illa eſt, Auditores,

omnium domina & regina virtutum: a qua in omne hominum genus leges & jura manarunt; quæ benefactis honores & præmia, melefactis ignominias & supplicia proponens, studia bonorum excitat, malorum improbitatem coërcet; qua sublata, non domus ulla, non civitas, non hominum inter se societas, non ipsa denique universitas rerum stare ac tueri se punctum temporis posset. Etenim quoniam hodiernus dies cæteræ disputationis prolusionem modo quandam habiturus est: dabitis mihi hanc veniam; ut, paulo altius hujus sermonis principia repetens, percurram ea, quæ, priscis temporibus, summa sapientia præditi homines de justitia tradiderunt. Justitiæ originem a cœlo esse dicebant; illic eam & vigere, & ex omni æternitate viguisse; certo illic ordine atque immutabili quadam lege gubernari omnia: ideoque æterna atque immortalia esse. In iis autem, quæ sub orbem lunæ subjecta sunt, absolutam quidem illam & omni ex parte perfectam justitiam materiæ vitio cerni non posse: esse tamen aliquam cœlestis illius imaginem, alibi expressiorem, alibi minus expressam; futurum enim alioqui, ut permiscerentur ac corruerent omnia. Atque ut quæque res plura & certiora illius vestigia retineret, ita esse eam perfectiorem, stabiliorem, immortalitati viciniorem: ut pauciora minusque certa, ita minus perfectam minusque constantem, pluribusque casibus atque interitui denique obnoxiam. In elementis hoc primum notari volebant, eaque dupliciter considerabant: quatenus unumquodque eorum totum quiddam atque integrum est; & quatenus ad compositionem quasique coagmentationem cæterorum corporum particulæ quædam illorum assidue permiscentur ac temperantur. Tota igitur elementa nisi sedes ac regiones sibi a natura datas atque attributas obtineant; si irruere in alienas & migrare

migrare conentur; si ignis proxime sibi suppositam animalem spirabilemque naturam depascat, & absumat; si aqua non contenta iis terminis, quos pepigit Deus, terram operiat & obruat: quis non intelligit, peritura funditus omnia, & talem quandam confusionem, qualem Poëtæ ante orbem conditum fuisse fingunt, consecuturam? Quid cum partes eorum copulari ac coalescere ad alia corpora progignenda & constituenda oportet, nonne justitia quadam temperationis illius moderatrice opus est: ut tantum cujusque pro rata portione, quantum satis est, admiscеatur? In illa etiam quadripartita tempestatum varietate, qua distinctus est annus, idem observari posse dicebant. Quæ cum ita eunt, ut quadam ipsius naturæ quasi lege sancitum est: hoc est, cum & tellus conceptis seminibus hiberno frigore adstringitur, & vernis modicis imbribus ac tepore laxatur: cum & fruges fructusque arborum æstivo calore probe percoquuntur, & eodem sub autumnum remittente se paulatim ac frangente mitescunt: tum & saluberrimus annus est, & maxima rerum ad victum necessariarum ubertate ac copia insignis. Cum contra fit, tum & caritas exsistit annonæ, & variis morborum generibus omne genus animalium tentari solet. Cumque unusquisque nostrum duabus ex partibus conjunctus concretusque sit, corpore & anima: earum partium ex utraque, quæ justitiæ injustitiæque vis esset, liquido perspici posse adseverabant. Omnia enim mala, omnia damna, omnem perniciem & corporibus & animis ex injustitia evenire: justitia salutem, incolumitatem, bona denique omnia effici ac contineri. Nam cum in corporibus quatuor sint, quæ quatuor elementis proportione respondeant, igni flava bilis, aëri sanguis, aquæ pituita, bilis atra terræ: quamdiu hæc cum æquabilitate quadam inter se permista sunt, valemus

lemus ac vigemus; cum eorum aliquod aut potentius, aut infirmius, aut plus, aut minus justo est, aut se a communione cæterorum segregavit: conflictamur variis morbis, tandemque interimus. Qua de re principis medicorum Hippocratis in libello de natura hominis hæc verba sunt: *Corpus hominis habet in se sanguinem & pituitam & bilem duorum generum, flavam & nigram: ex iis omnibus ipsius corporis natura est: eis sit, ut & doleat, & bene valeat. Bene igitur valet, cum ea moderate inter se affecta sunt & temperatione & potestate & copia: maximeque si permista sint; dolet autem, cum eorum aliquod aut plus aut minus est, aut in corpore secretum, neque cum cæteris omnibus temperatum.* Hæc Hippocratis verba ipsa expressi: ex quibus intelligimus, in æquabilitate, cujus effectrix justitia est, sitam esse bonam corporis constitutionem. Sed ne ali quidem corpus utiliter ac salutariter sine aliqua imagine justitiæ potest. Nisi enim vis aliqua sit, quæ & siccum & humidum alimentum, ubi jam coctum atque confectum & in succum ac sanguinem conversum est, æquabiliter distribuat ac dispertiat, atque id, quod cuique parti aptum & accommodatum est, & quantum opus est, tribuat, neque alias partes tumidas & redundantes, alias exhaustas & enectas esse patiatur: facile intelligimus, hæc tam admirabilis fabrica corporis nostri quantum deformitatem habitura & quam cito ruitura sit. Atque hæc in corporibus. Quid in animis? quantum bonorum a justitia, quantum malorum ab injustitia effici creditis? In quibus cum pars una sit, qua intelligimus, qua ratiocinamur, qua proxime ad divinam naturam accedimus; altera, quæ rationis ipsa quidem per se particeps non est, sed obtemperare tamen rationi potest; cum quod fieri jus est, id fit, hoc est, cum pars illa superior imperat, & tanquam habenas tenens, currum regit;

paret

paret altera, & quo illa cumque ducet, sequitur: tum omnis honestas, omnis dignitas, omnis officii ac virtutis splendor elucet. At cum excusso ac depulso rationis jugo, cupiditas, quasi seditiosus aliquis ac turbulentus civis, fasces arripit, in arcem invadit, mentem de sua sede contra jus fasque deturbat: tum ut navis discordibus acta ventis: sic hominis vita contrariis & inter se pugnantibus fœdissimarum libidinum flatibus agitata, in omnem scelerum ac flagitiorum turpitudinem præceps ruit. Ipsis igitur & animorum & corporum nostrorum inter se partibus, ut utrisque bene ac beate sit, justitiam quandam intercedere necesse est. Sed idem in societatibus convictuque hominum multo evidentius, multoque illustrius cernitur. Quomodo enim patrifamilias cum uxore, cum liberis, cum servis, quæ primæ conjunctiones sunt, convenire poterit: quæ eis omnibus vita erit, nisi & ille juste imperet, & hi juste pareant? Si vir in uxorem injurius ac contumeliosus esse velit, neque eam pro comite individua vitæ, pro divinorum humanorumque omnium socia, sed pro scorto, aut pro ancilla habere; si uxor sua domestica curatione non contenta, implicare se aliis rebus & viri partes præripere conetur; neque se ei morigeram præbeat; si uterque liberos in servorum, servos in pecudum loco ac numero habeat, duriorique eos, quam jus est, imperio premat: si liberi parentum, servi dominorum imperium detrectent, eisque obtemperare ac dicto audientes esse abnuant: quis non videt nullam in domo ita instituta concordiam, nullam benevolentiam, nullam animorum voluntatumque consociationem, plena perpetuo omnia rixarum, discordiarum, querelarum, contentionum fore? Ut in qualibet solitudine, in quamlibet vastis ac desertis, & ab omni hominum cultu ac consortio remotis locis suavior vita, quam in ea domo, unde justitia

exulet, esse videatur. Ita omnem fructum, omnem dulcedinem, omnem amabilitatem vitæ, vitam denique ipsam tollit e vita, qui justitiam tollit. Egrediamur, si videtur, domo, & in forum ac publicum prodeamus. Quis est omnium, qui eum, quem injustum esse opinetur, aditu, congressione, sermone dignum judicet? quin eum, quasi maleficum aliquod & noxium animal, refugiat, aversetur, odio habeat? quin ejus concursum dirum sibi ac tetrum atque ominosum putet? Quamvis enim omnia vitia bonis viris odiosa atque inviſa sunt: tamen injustitia præcipue alienat ab iis, in quibus est, aliorum animos, omniumque cibi odia conflat, conciliat, colligit. Cæteris vitiis affectos aliquo modo ferimus; quibusdam ignoscimus; quibusdam non nimis offendimur; quibusdam in hac vita ac morum corruptione etiam oblectamur: prodigos multi amant; avaros tolerant; multos aliena intemperantia non offendit; qui voluptates nimis refugiunt, etiam severitatis ac castimoniæ laudem ferunt; audacium in bello interdum aliquis usus est; timidis & nimis cupidis vitæ ingnoscitur: injustus communi omnium mortalium odio flagrat; suis, alienis, civibus, peregrinis, notis, ignotis juxta omnibus inviſus, exosus, intolerandus est. Itaque etsi illud omnibus hominibus a natura tributum est, ut raro sua vitia agnoscant, eaque modis omnibus tegere & occultare conentur, aut etiam eis virtutum nomina imponere, ut se prodigi pro liberalibus, avari pro parcis ac frugi, timidi pro cautis ac consideratis, audaces pro fortibus haberi & prædicari velint: facilius tamen reperias, qui se avarum, timidum, audacem, libidinosum, quam qui injustum esse fateatur. Quin etiam cæteris vitiis suis hanc aut defensionem aut excusationem prætendere ac prætexere consueverunt, se in neminem injurios esse. *Avarus sum fateor: sed ita, ut mea con-*

conservem, suo neminem fraudem. Prodigus: sed cui, ut largiar, eripio? in quem contumelioſus ſum? Indulgeo voluptati, hilare vivo, quidquid animo meo collubitum eſt, facio: ſed quid tum poſtea? meæ libidines nemini nocent.

Leno, inquit, *ſum, fateor: pernicies communis adoleſcentium:*

Perjurus, peſtis: tamen tibi a me nulla eſt orta injuria.

Videte, quam odioſa, quamque abhorrens a natura ſit injuſtitia: quam turpe atque invidioſum injuriam facere: cum qui negare non poſſunt aliis ſe vitiis implicatos atque illaqueatos teneri, dum hoc careant, ferri ſe non poſſe tantum, ſed propernodum etiam debere arbitrentur. Civitates vero & regna & imperia, quæ res alia niſi juſtitia aut initio fundare ac conſtituere, aut poſtea tam multa ſecula conſervare ac propagare potuiſſet? Nam & convenerunt homines, & vitam una colere decreverunt, cum ſe æquo jure uſuros, & quod ſuo ſibi labore peperiſſent, eo ſine metu fruituros eſſe, neque mœnibus magis, quam legibus a vi atque ab injuria tutos fore confiderent; & quamdiu id obſervatur, tamdiu amice inter ſe ac concorditer vivunt; ſimul atque ab æquitate diſceditur, partes, factiones, ſeceſſiones, ſeditiones & bella civilia exſiſtunt. Præclare, ut omnia, Euripides;

Cuſtodia legum civitates continet.

Idemque alio loco ait juſtitiæ neglectum plerisque civitatibus exitioſum eſſe. Juſtitia civitates a parvis & humilibus profectæ principiis brevi tempore ad magnam potentiam pervenerunt: injuſtitia florentiſſimæ & opulentiſſimæ breviori tempore funditus conciderunt. Neque enim adamantinis illis vinculis, quæ Dionyſius ſenior crebro in ore habebat, vi atque metu, ſed juſtitia & æquitate magna imperia retinentur. Quare ſapienter Perſæ ei ex regiis liberis, qui natu maximus erat, quique

in

in ſpem regni educabatur, cum alios ad virtutem magiſtros dabant, tum unum imprimis, a quo juſtitiam doceretur. Pædalios etiam Indicam gentem litteris proditum eſt in ſacris publicis nihil aliud a Diis, quam juſtitiam petere ſolitos eſſe: quod eam ſi conſequeretur, affatim ſibi honorum omnium putarent fore. Juſtitiam enim, & perpetuas illius, ut poëtæ loquuntur, ſive comites, ſive ſorores, veritatem & fidem, pax & amicitia, & bonarum artium cultus, & omnium rerum expetendarum abundantia conſequitur. Eam ſi colerent omnes, nunquam tubæ, nunquam litui audirentur; arma aut exederentur rubigine, aut in ligones ac vomeres conflarentur; belli, diſſenſionis, inimicitiarum ne nomina quidem hominibus cognita eſſent. Quod ſcite ſane, & ex patriæ ſuæ conſuetudine Ageſilaus expreſſit: ex quo cum quæſitum eſſet, utra eſſet virtus præſtantior, juſtitiane an fortitudo? hæc, inquit, ſine illa tantum ad perniciem valet: at, illi ſi pareant omnes, hujus uſus nullus futurus eſt.

Tutus bos etenim rura perambulat;
Nutrit rura Ceres, almaque Fauſtitas;
Pacatum volitant per mare navitæ;
Culpari metuit fides.
Nullis polluitur caſta domus ſtupris:
Mos, & lex maculoſum edomuit nefas;
Laudantur ſimili prole puerperæ;
Culpam pœna premit comes:

quemadmodum ſuaviſſime cecinit Horatius. Ubicunque juſtitia dominatur, illinc fraudes, illinc doli, illinc perjuria exulant: non adulteri, non raptores, non fures, non ſicarii, non venefici, non latrones, non teſtamentorum ſubjectores, non obſeſſores itinerum reperiuntur: ea denique propemodum eveniunt, quæ aureæ ætatis homi-

hominibus eveniſſe memorantur. Nam ne tum quidem aliam ob cauſſam

Ver erat æternum, placidique tepentibus auris
Mulcebant Zephyri, natos ſine ſemine flores,
Nec renovatus ager gravidis canebat ariſtis,

quam quoniam homines

Sponte ſua ſine lege fidem rectumque colebant.

Neque enim debemus illa poëtarum figmenta tanquam inania modo quædam aurium oblectamenta accipere: ſed ex eis diſcere, Deum ipſum favere hominibus juſtis; eorum labores fortunare; eorum conatus ac conſilia ad bonos exitus ducere. Nam neque dictu, neque cogitatu fas eſt, eum, qui ſumme juſtus eſt, aut ipſa potius juſtitia, non eſſe amicum, benevolum, propitium iis, qui ad juſtitiam omne ſuum ſtudium conferunt, eamque toto pectore ſequuntur. Itaque Heſiodus quoque, non tantum aureus & ad verbum ediſcendus poëta, verum etiam Philoſophus inprimis bonus, multis verſibus perſequitur ac percenſet ea bona, quæ a Deo tribuuntur cultoribus juſtitiæ, contraque eas, quæ ab injuſtitia civitatibus inferuntur, calamitates. Illorum enim urbes lætas florere populis, nunquam bello, nunquam fame, nunquam aliis ejusmodi peſtibus conflictari: hos & fame, & peſte, & bello, & aliis innumerabilibus malis injuſtitiæ ſuæ pœnas dare. Recitarem verſus ipſos, niſi græca quidem huic ſermoni admiſcere nollem; latine autem me inaffectatam quandam illorum jucunditatem pari gravitate conjunctam aſſequi poſſe diffiderem. Quod ſi hæc non eſſent, ſique injuſti quidem abundarent omnibus copiis, in ſumma opum atque honorum affluentia viverent, fortunam ſibi arbitrio ſuo fingerent ac temperarent; juſtos autem odium, contemptus, egeſtas, exilia, orbitates, damna omnia ſequerentur: tenere tamen mordicus debe-

remus

remus id, quod a Platone divinitus & religioni noſtræ convenienter traditum ac diſputatum eſt, juſtos, etiamſi omnes fortunæ acerbitates excipiant, ſemper beatos; injuſtos etiam in maximis proſperitatibus ſecundiſſimisque rebus infeliciſſimos eſſe. Dixi de juſtitia, non quæcunque poteram, (neque enim id tempus tuliſſet, neque omnia in unum locum congerenda ac ſemel effundenda erant) ſed ex infinita copia eorum, quæ dici poſſunt, quantum ſatis eſſe hodiernæ diſputationi judicavi: quotidie autem, ut ſpero, plura & meliora dicentur. Nunc, quod interdum diſertos homines facere animadverti, ut cum ad clauſulam orationis ventum eſt, illa, de quibus egerunt, breviter ac ſummatim colligant, quo ea in uno conſpectu poſita altius in audientium animis ac memoria infigant: id ego quoque facere cupio; ſed quia ejus artis magiſtri ſingularis cujusdam artificii eam rem indigere ajunt, quod mihi deeſt, ab alio mutuabor, recitaboque vobis verba quædam Poli Lucani nobilis Philoſophi, unius ex illis veteribus Pythagoreis, qui tenuerunt eam partem Italiæ, quæ magna Græcia vocabatur: quibus verbis ſumma eorum omnium, quæ a me hodie dicta ſunt, continetur. *Juſtitia*, inquit, *cæterarum omnium virtutum parens & altrix vocanda mihi videtur: neque ſine ea fieri poſſe, ut quisquam aut temperans ſit, aut fortis, aut prudens. Eſt enim harmonia quædam & pax totius animi cum apto & compoſito motu. Illius autem quanta ſit vis, magis e cæterorum habituum inſpectione cognoſci poteſt. Nam cæterorum utilitates ad unum modo pertinent: hujus ad omnia, quæ compoſita ſunt & ad multitudinem. Ea igitur in mundo quidem providentia vocatur, & harmonia, & judicium, & mens Deorum, qui ita ſtatuerunt. In civitate autem pax & bona legum conſtitutio merito dicitur. In privata domo, viri quidem & uxoris mutua concordia, ſervorum autem in dominos*

minos bonus animus, & viciſſim in dominis amica & benevola ſervorum procuratio. In corpore autem & animo, primum quidem ea, quæ omnibus cariſſima ſunt, vita, & bona valetudo & integritas virium: tum autem ſapientia omnisque ſcientia. Quæ igitur una & totum & partes ita regit & ſervat, efficiens omnia inter ſe concordia & amica, quidni communis omnium parens & altrix omnium ſuffragiis prædicetur? Hæc ille. Ego autem ad hujus virtutis tractationem & cognitionem, & ad has pulcherrimas animorum epulas nobis omnibus ab Ariſtotele paratas vos, auditores, voco. Cogitate, quid agatis. Virtus, qua de agitur, præſtantiſſima eſt. Qui de ea ſcripſit, Philoſophus præſtantiſſimus. Utinam ex me quoque tertium argumentum ſumi poſſet ad animos veſtros excitandos. Sed quo minus doctrina & ingenio valeo, eo plus laboris ac diligentiæ afferam. Nullus autem eſt, quin adhibito labore efficere aliquid & navare poſſit. Multum a me operæ jampridem in hoc libro poſitum eſt; multæ noctes vigilatæ, ut ad illius intelligentiam pervenirem, præcipue olim, cum in juris civilis ſtudia incumberem, ad quæ hunc librum mirifice utilem eſſe intelligebam. Non puto, me usque adhuc valde fefelliſſe veſtram de me opinionem: neque ſæpe id, quod pollicitus ſim, non præſtitiſſe. Mihi credite: ſi quantum ego ad docendum, tantum vos ad diſcendum diligentiæ afferetis, efficiam, ut multos magnosque fructus ex hujus libri cognitione capiatis.

DIXI.

De

De sui cognitione, deque omnibus humani animi facultatibus.

ORATIO X.

Habita Romæ IV. Id. Novembr.
Anno cIↃ IↃ Lxv.

Cum sextum librum Ethicorum Aristotelis inchoaret.

CRœsum olim Lydorum Regem opulentissimum, petendi oraculi caussa, Delphos misisse accepimus, qui sciscitarentur ex Deo, non leve quiddam & nugatorium, ut antea, cum clam in eodem aheno testudinem simul & agnum coquens, experiri voluerat, nunquid eorum quæ agerent homines DEUM lateret; neque quid se facere oporteret, ut ex se procrearet liberos: neque ecquid adversus Persas bellum susciperе deberet, neque denique quidquam simile eorum, quæ prius quæsierat: sed rem omnium multo maximam, multoque dignissimam, in qua cognoscenda plurimum ab omnibus operæ ac studii collocetur: quomodo felicitatem consequi, & quid agens, id quod supererat ætatis beatissime transigere posset. Sapienter hoc quidem, & non pro ea, qua plerisque in aliis rebus usus est, inconsiderantia & temeritate: quod de via, quæ ad summum bonum ferret, neque statuendum sibi ipse, neque cujusquam hominis fidendum consilio, sed Deum consulendum judicavit. Responsum autem ei redditum est plane præclarum, & illa, quæ tum de Apollinis sapientia erat, opinione dignissimum: non si maximos auri argentique acervos exstrueret, non si multos exercitus aleret, non si terminos imperii sui longe lateque proferret: sed si seipse cognosceret, ita demum beatum fore. Jam etsi apud nos, qui vera religione imbuti sumus, nihil Apollinis valere debet auctoritas: tamen ejusmodi oracula, quæ

quæ præceptum aliquod utile ad instituendam vitam continent, amare & magnifacere debemus. Constat enim, ea nihil esse aliud, quam insignes quasdam & eximias sapientissimorum hominum sententias, quæ quoniam divinitus immissæ in eorum animos videbantur, ad Deum referebantur auctorem. Quoties igitur audimus Apollinem respondisse Crœso, beatum eum fore, si se cognosceret; quoties præceptum eadem de re in templo Delphico inscriptum fuisse legimus: toties illud cogitare debemus, magnum quoddam bonum esse cognitionem sui: cum inter omnes omnium ætatum sapientes viros convenerit, in eo positum esse fundamentum felicitatis: neque ulla re unumquemque nostrum in plura aut graviora mala, quam sui ipsius ignoratione, prolabi. Quod cum ita se habeat, omnibus viribus elaborandum est nobis, ut cognitionem nostri, quandò tantum in ea momenti ac ponderis ad beatam vitam situm est, consequamur. Sed in hac re illud primum videndum est, quid sit nosse se: ne, eo secus, quam oportet, accepto, errore aliquo implicemur. Fieri enim prorsus non potest, ut recte id faciamus, quod jubemur, nisi prius, quid jubeatur, intelligamus. Hoc autem non alius melius nos, quam Plato, docuerit, apud quem Socrates in Alcibiade primo multa disputat, quibus hominem animum esse, non corpus ostendit; semper enim id, quod aliqua re utitur, ab eo, quo utitur, aliud esse; uti autem homines & partibus corporis sui, ut manibus pedibusque, & toto corpore; ex quo effici, ut, quantum inter artificem & instrumentum interest, tantum inter hominem & corpus intersit. Quam sententiam & Aristoteles libro decimo Ethicorum comprobavit, & apud Ciceronem libro sexto de Republica his verbis Africanus expressit; *Mens cujusque is est quisque, non ea figura, quæ digito demonstrari potest.*

Quod si homo non corpus est, sed animus: qui jubet, ut nos ipsos noscamus, illud videlicet jubet, ut noscamus animum nostrum. Atque hoc a Platone acceptum ita extulit idem Cicero, libro primo Tusculanarum disputationum: *Est illud quidem vel maximum, animo ipso animum videre: & nimirum hanc habet vim præceptum Apollinis: quo monet, ut se quisque noscat. Non enim, credo, id præcipit, ut membra nostra, aut staturam, figuramve noscamus: neque nos corpora sumus: neque ego, tibi hæc dicens, corpori tuo dico. Cum igitur, Nosce te, dicit, hoc dicit, Nosce animum tuum: nam corpus quasi vas est aliquod animi aut receptaculum.* Duo sunt, quæ hactenus probare studuimus: eximium quoddam bonum esse cognitionem sui, & nosse se nihil esse aliud, quam nosse animum suum. Nunc antequam progrediamur ulterius, illud admonendi estis, unam eandemque rem non uno eodemque modo a diversis artificibus considerari. Angulum rectum, ajebat Aristoteles primo horum librorum, alia ratione considerat Geometres, alia faber. Sic & hominem aliter medicus, aliter pictor; & animum hominis aliter Physicus considerat, aliter Politicus. Physici, quæ sit animorum natura, quærunt: simplex, an composita atque concreta; corporea, an expers corporis; mortalis & caduca, an immortalis & æterna, sitne totus animus in qualibet parte corporis, an unaquæque illius facultas suam in corpore sedem quasique domicilium habeat a cæteris secretum ac separatum. Nos quæcunque de iis & talibus ab eis, duntaxat religioni nostræ consentanea, traduntur, tanquam vera & indubitata ponentes, animum ea tantum ratione considerabimus, qua vel depravari & corrumpi vitiis, vel virtutibus & perfici & ad Dei similitudinem, quantum natura patitur, perduci potest. Quare cum hodie nobis illud pro-

propositum sit, ut ex Aristotelis, in iis libris, qui ad moralem Philosophiam pertinent, sententia, de animi humani partibus, deque uniuscujusque illarum perfectione verba faciamus. (hoc enim potissimum modo præparandos esse vos duxi ad cognitionem & intelligentiam eorum, quæ in hujus sexti libri explicatione tradentur:) certos quasi cancellos circumdabimus orationi nostræ, eamque suis regionibus ac terminis circumscribemus: ut ab iis, quæ Physicorum sunt, abstinentes, ea tantum, quæ ad munus nostrum proprie pertinent, explicemus. Hoc loco prope supervacaneum esse judico, petere a vobis, ut me attente audiatis. Certe enim ea vobis caussa huc veniendi fuit. Et ut ridiculus fuerit balneator, si quos lavandi caussa in balnea ingressos videt, ab eis multis precibus petat, ut lavent: ita ego mihi videor ridiculus fore, quod facturi huc conveniistis, id si, ut faciatis, vos rogem. Oratorum iste mos est, qui etiam cum exploratum habent, se attentissime auditum iri, tamen attentionem petunt: non quod opus esse eo putent, sed quoniam, si aliter fecerint, adversus artis suæ præcepta fecisse putant. Meum est conari, ut auditu digna adferam; vestrum, ne ea prætervolare patiamini, sed singula diligenter expendentes, penitus demittatis in animos vestros. Mihi, ut ne ad id, quod mearum partium est, præstandum imparatus venirem, provisum est: vos quoque ad me, qua soletis benignitate & attentione, audiendum satis vestrapte sponte paratos esse confido.

Animi nostri sive partium, sive facultatum bipartita divisio est. Partim enim ipsarum ratione præditæ sunt, partim rationis expertes. Ac ratione quidem præditas eas vocamus, quæ ex omni animantium genere in solis hominibus; rationis autem expertes, quæ etiam in bestiis atque ex aliqua parte in stirpibus reperiuntur. Ra-

tionis expertes (ab eis enim exordiri & ab infirmis quasi per gradus ad summa contendere decrevimus) duplicem ipsæ quoque habent varietatem. Aliæ enim sunt, quæ vitam continent; aliæ, quæ animal constituunt. Quæ vitam continent, tres sunt: quas illa & in rebus inveniendis acutissima, & in eisdem appellandis disertissima Græcorum natio vocat τὸ θρεπτικὸν, τὸ αὐξητικὸν, τὸ γεννητικόν. Nos quia vetera quidem Romana vocabula, quibus hæc exprimamus, non habemus, iis autem, quæ postea cusa sunt, uti propter quandam, ut verum fatear, stultam & ineptam religionem non audemus, unum in plura spargere ac diducere cogimur, dicimusque vim nutriendi, vim augendi & vim procreandi. Hæ omnes non in animalibus modo sunt, verum etiam in stirpibus. Quæ autem constituunt animal, duorum ipsæ quoque generum sunt. Partim enim cognitione quadam & apprehensione, partim appetitione & declinatione cernuntur. Illas γνωστικὰς Græci, has ὀρεκτικὰς vocant. Γνωστικαὶ in animalibus sunt duæ, sensus & phantasia: utendum enim est hoc, quando Latino caremus. Sensibus apprehenduntur singula tantum, non etiam universa, nisi quatenus sunt in singulis. Non enim lapidem aut lignum proprie ac per se videmus, sed hunc lapidem & hoc lignum, sed hujus lapidis aut ligni colorem. Sensus enim non percipit essentiam, ut Ciceronem locutum esse ajunt, sive, ut posteriores locuti sunt, substantiam: sed ea tantum, quæ ei adjuncta sunt: neque rosam aut videmus, aut olfacimus, sed rosæ odorem olfacimus, colorem videmus. Sensus autem sunt, ut, notum est, numero quinque: quorum tactus in omnibus est animalibus, cæterum alii in aliis desiderantur, Phantasia rerum sensu perceptarum formas quasdam, &, ut Græci loquuntur, typos recondit ac continet: ac præ-

præterea judicat de quibusdam, de quibus sensus exteriores judicare non possunt: ut hoc flavum esse dulce: & hunc, qui accedit, esse Socratem. Sensus in eo, ad quod proprie percipiendum aptus est, nunquam fallitur: dum & intervallum moderatum sit, & instrumentum, & id, quod interjicitur, probe affectum. At phantasia sæpe fallitur: ut cum in picturis eminere videntur, quæ plana sunt: ut cum remus in aqua inflexus videtur; ut cum cani Æsopeo imago carnis in aqua caro videbatur. Hanc inesse in bestiis vel ex eo cognoscimus, quod earum pleræque & meminerunt & somniant, ut equi, ut canes: quorum neutrum sine ea, de qua loquimur, facultate facere possent. Ex eis nascuntur illæ, quas in persequendo fugiendoque cerni, & Græce ὀρεκτικὰς vocari diximus. Nam cum omnem sensum voluptas aut molestia comitetur: quorum altera naturæ consentanea & amica est, altera adversa & inimica: fit, ut nullum animal sit, in quo non insit naturalis & appetitio eorum, quæ jucunda, & fuga eorum, quæ molesta esse videantur. Ὀρεκτικὰς δυνάμεις Aristotelis interpretes Hammonius, Eustratius, & alii vulgo, duas tantum faciunt, ἐπιθυμίαν, καὶ θυμὸν. Sed intelligendum est, in omnibus animalibus exsistere & ex bono præsenti lætitiam, & ex eo, quod nondum adepta sunt, cupiditatem; & ægritudinem ex præsenti malo, & metum ac declinationem, si mali quid imminere videatur. Hæc Stoici, ut me tertio abhinc anno ex hoc ipso loco dicere memini, propria hominis, non ei cum cæteris animalibus communia esse voluerunt. Neque enim metuere bestias, sed quasi metuere: nec cupere, sed quasi cupere: eodemque modo neque vera ipsas lætitia, neque vera molestia affici: sed utriusque imaginem modo quandam ac similitudinem habere. Quam opinionem ut stultam & deliram exa-

gitant Plutarchus, Galenus, Porphyrius, & alii. Sed Stoici, si dogmatum suorum constantiam ac convenientiam retinere ac conservare vellent, ita dicere necesse habeant. Hæc enim omnia ita definiebant, ut ex opinione nasci dicerent: ex opinione boni præsentis, lætitiam; ex opinione mali præsentis, molestiam; ex opinione boni imminentis, cupiditatem; ex opinione mali imminentis, metum. Cum igitur opinio in solis sit hominibus, sequebatur, ut ea quoque hominum propria essent. Sed verius est hæc omnia convenire etiam in bestias: neque ex opinione tantum consistere, sed etiam ex sensu aut phantasia boni malive aut præsentis aut imminentis. Omnes igitur illæ facultates, de quibus hactenus diximus, in mutis quidem animalibus ita sunt rationis expertes, nullam ut prorsus cum ratione habeant aut communionem aut societatem. In homine eæ, quæ Græcorum lingua ὀρεκτικαὶ nominantur, etsi ratione præditæ non sunt, rationem tamen audire, & ejus obtemperare imperio possunt. Quorum utrumque nobis paulo enucleatius explicandum videtur. In eis igitur non inesse rationem, ex eo quivis facile intelligat, quod ratio ipsa secum pugnare non potest: ac sæpenumero lætitiam, molestiam, cupiditatem, metum rationi adversari videmus. Rursus esse iis omnibus aliquam cum ratione communionem, id indicio est, quod suscepti præter rationem animi motus, ratione adhibita, aut deponuntur aut mitigantur. Itaque recte ex Aristotelis sententia dicitur: τὸ τῆς ἡμετέρας ψυχῆς ἄλογον διττὸν εἶναι. Τὸ μὲν γὰρ αὐτῆς ἁπλῶς ἄλογον εἶναι καὶ κατ' ἐδέναι τρόπον λόγε κοινωνεῖν, τὸ δὲ ἄλογον μὲν εἶναι φύσει, μεθέξει δέ τινι λογικόν. Hæc latine ita expedite, & ut ita dixerim, rotunde explicari non possunt. Sed nihil difficile amanti.

Liben-

Libenter hoc & omne militabitur
bellum in veſtræ ſpem gratiæ. Conabor, ſi qua ratione poſſim hæc ita latine eloqui, ut intelligantur. *Earum animi noſtri facultatum, quæ ratione carere dicuntur, duplex ratio eſt. Quædam ita ſunt rationis expertes, ut nulla prorſus eis intercedat cum ratione communio. Tales autem ſunt quinque: vis alendi, vis augendi, vis generandi, ſenſus & phantaſia. Nam hæ omnes & communes nobis ſunt cum mutis animantibus, & ratione nullo modo dirigi poſſunt. At eæ duæ, quarum in altera vis eſt concupiſcendi bonum propoſitum, ejusque adeptione gaudendi, in altera declinandi malum imminens, & eo, cum jam urget, dolendi ſuapte quidem natura rationis expertes ſunt, ſed quodam modo tamen rationis participes dici queunt.* Quibus eas argumentis rationis expertes eſſe cognoſcimus? Primum, quod his omnibus modis afficiuntur etiam beſtiæ. Nam & concupiſcunt, & lætantur, & metuunt, & dolent. Deinde quod ſæpenumero cum ratione pugnant; ut cum incontinentem alio ratio, alio cupiditas trahit! Qualis eſt Ovidii Medea, quæ ſe ait videre quidem & probare meliora, deteriora autem ſequi. Nulla autem modo fieri poteſt, ut eadem animi pars eodem tempore in contrarias partes trahat. Quare cum alio ratio, alio cupiditas trahit, facile intelligitur, aliam a ratione eſſe cupiditatem. Unde igitur colligimus eas eſſe tamen in homine rationis quodammodo participes? quoniam eas rationis audire imperium, eique parere interdum videmus. Agamemnoni apud Homerum iraſcitur Achilles: multa iratus dicit, quæ neque eum, cui dicuntur, neque eum, a quo dicuntur, decent. Hinc cognoſcas licet, iram a ratione alienam eſſe. Cum jam eo proceſſiſſet, ut ſtricto gladio impetum in Agamemnonem facere pararet, prohibet ratio: quam enim aliam accipiamus

mus Pallada? Atque ibi Achilles divinam illam & nunquam delendam ex animis hominum sententiam profert:

Χρὴ μὲν σφωΐτερόν γε θεὰ ἔπος εἰρύσασθαι,
Καὶ μάλα περ θυμῷ κεχολωμένον, ὡς γὰρ ἄμεινον.

Homini quantumlibet irato, rationem tamen audiendam, ejusque obsequendum imperio dicit: id enim satius esse. Potest igitur iræ furentis impetus ratione cohiberi: Vereque dictum est ab antiquo Poëta, morbis hominum rationem mederi. Si qui gaudent dolentve, quibus non oportet, aut plus minusve quam oportet: eodemque modo qui aut cupidi sunt, aut timidi, aut contrariis vitiis laborant, rationis imperium accipere & conformare se ad illius præcepta possunt. Atque hoc est, quod Aristoteles primo horum librorum dicebat, illam animi partem ratione quidem carere; sed tamen quodammodo participem esse rationis. In ea igitur sunt omnes eæ virtutes, de quibus in superioribus libris disputatum est: quæ usitato jam & recepto vocabulo morales nominantur. Sequitur nunc, ut eam animi partem consideremus, quæ suapte natura ratione prædita & hominum propria est: cujus etiam ipsius vires ac potestates antiqui duorum generum esse dixerunt: Appetitionis duas voluntatem & προαίρεσιν, quam vulgo electionem vocant: quarum voluntas semper tendit ad bonum; προαίρεσις variat, & modo bona malis, interdum etiam mala bonis anteponit. Sed hac de re & diximus multa, cum librum tertium explicaremus, & in librum septimum, ubi de continentia incontinentiaque disputabitur, plura dicenda erunt. Tres cognitionis, δόξαν, id est, opinionem: διάνοιαν, quam mentis agitationem, Cicerone, nisi fallor, auctore vocare instituit: & νῦν, quem aut mentem, aut intelligentiam vocemus licet. Mentis cum sensu ac præcipue cum sensu oculorum magna quædam

dam similitudo est: unde & sæpe Aristoteles oculum mentis vocat: & dictum est, id esse mentem in animo, quod oculum in corpore: &, ut suo loco ostendimus sensum ac mentem interdum confundit. Ut enim sensus, ita mens quoque extremorum est: sed sensus eorum, quæ sunt inferiora demonstratione, mens eorum, quæ supra omnem demonstrationem. Mente apprehenditur Deus; apprehenduntur mentes illæ ab omni contagione materiæ separatæ; apprehenduntur mundi & eorum, quæ illius ambitu continentur, primordia, cæteraque ejusmodi, quæ multis magnisque obscuritatibus involuta & in intimis rerum omnium parentis naturæ recessibus abdita & retrusa, iis demum perfecte patent, qui puro & ab omnibus libero cupiditatibus animo cœlestem quandam in terris vitam agunt. Ad illud mentis lumen cum se applicuit & admovit διάνοια, in qua inest vis ratiocinandi & ex aliis alia colligendi, ex eorum complexu ac conjunctione exsistit, & exoritur illa omnium virtutum suprema, quam magnificentissimo vocabulo σοφίαν Græci, Latini Sapientiam nominarunt. Ea perfecta cadere in hominem non potest: rectèque judicavit sive Thales Milesius, sive quis alius, (non enim inter omnes convenit) solum Deum esse sapientem. Sed tamen priscis temporibus qui de Deo rebusque divinis, qui de mundi origine, qui de abditis rerum caussis differebant, earumque rerum cognitione cæteris excellere videbantur, eos sapientes vocabant. Sapientiam autem esse dicebant cognitionem divinarum humanarumque rerum, & caussarum, quibus eæ continentur. Primus Pythagoras arrogantiam verbi fugiens, non sophon se, id est, sapientem, sed Philosophum, id est, sapientiæ amantem esse professus est; ab eoque deinceps, qui se iisdem, quibus ille, studiis dediderunt, Philosophorum appellationem

nem retinuerunt. At mente in rebus tam sublimibus, tamque arduis uti, pauciſſimis hominibus datum eſt. Pleraque pars in fœdiſſimo eodemque tenaciſſimo corporearum cupiditatum cœno hærentes, & quaſi clavis quibusdam, ut Plato loquitur, terræ affixi, ad divina & cœleſtia ne adſpirare quidem poſſumus. Quod cum ita ſit, in omnibus tamen hominibus lucent quaſi ſcintillæ quædam illius luminis; quibus fit, ut principia diſciplinarum, & communes illas ſententias, quas ἀξιώματα aut κοιναὶς ἐννοίας vocant, ita videamus, quaſi ea, quæ cernuntur oculis, eisque ſine cauſſa firmius etiam ac certius, quam iis, quorum cauſſam tenemus, aſſentiamur. Ad quas cum ſe admovit ἡ διάνοια, & ex illis alia quædam neceſſario collegit, efficitur ἐπιστήμη, id eſt, ſcientia, quam eſſe ajunt cognitionem rei per primam, propriam & neceſſariam cauſſam. Quid mens proprie, quidque διάνοια ſit diximus, ſimulque paucis tum ſapientiæ tum ſcientiæ originem oſtendimus. Quarum utraque ad eam vim mentis pertinet, quam Græci, ducto a contemplatione vocabulo, νῦν θεωρητικὸν vocant. Eſt enim & altera, quæ ab eis dicitur, ὁ πρακτικὸς νῦς, aut latiori nomine & aptiori ad omnia complectenda, ὁ νῦς ἐν ἑκάστῳ, quaſi tu dicas mentem, quæ non ſimplicem, ut illa, veritatem ſibi propoſitam habeat, in eaque acquieſcat, ſed referatur præterea alio, ut ad actionem, aut ad operis alicujus molitionem & effectionem. Hac aut videmus duce natura, aut certe facile percipimus communes quasdam ſententias de rebus bonis & malis, expetendis & fugiendis: cujusmodi ſunt, tuendam eſſe hominum inter ipſos ſocietatem; colendam eſſe juſtitiam; ab injuria abſtinendum; vim vi repellere jus fasque eſſe: itemque alias, quæ quaſi principia ſunt ac ſemina artium ad vitam neceſſariarum. At hæc principia cum acceſſit

pri-

primum διάνοιαι, quæ, ut dixi, alia cum aliis comparans, alia ex aliis nectens progreditur, ac provehitur paulatim longius: deinde diuturnus usus & experientia cum accurata & diligenti animadversione ac notatione eorum, quæ eveniunt in vita, exsistit illa magistra vitæ, omnium bonorum consiliorum præceptrix, omnium honestarum actionum moderatrix, omnium moralium virtutum dux gubernatrixque prudentia; eademque illa vi excogitatæ, auctæ, & ad summum perductæ sunt artes illæ, quibus aut nullo modo, aut certe non satis commode carere poteramus. Reliqua est opinio, varium & multiforme monstrum: quoque non Proteus aut Vertumnus plures induerit species. Quamquam enim in rebus incertis & fortuitis proprium illius munus est: non tamen eis se finibus continet; sed indomita quadam & effrenata licentia per omne genus rerum temere ruens, omnia permiscet atque perturbat. Interdum etiam sese pro sapientia, pro scientia, pro prudentia venditans, homines nimium fidentes sibi in gravissimos ac perniciosissimos inducit errores. Huic igitur, quoniam fallax, incerta, & instabilis est, nullius virtutis origo tribuitur: nisi quod bona opinio de iis, quæ sciri possunt, præparatio quædam est ad scientiam: bona opinio de rebus agendis, utiliter ad comparandam prudentiam antecedit. Immo vero, ut in disciplinis quædam ponuntur, quibus sine ulla dubitatione credendum est: ita ait Aristoteles opinionibus ac sententiis senum, & eorum, quos longa & multiplex rerum experientia cautos ac providos effecit, in consilio capiendo & in instituenda vita maximam fidem habendam esse: eas enim eandem vim ad prudentiam, quam illa principia ad scientiam, obtinere. Dixi breviter, ut proposueram, de omnibus humani animi facultatibus; & quamquam hanc totam disputationem quoti-

quotidianis verbis & inornato dicendi genere contexui: tamen confido, eam vobis non minus gratam fuisse, quam si omnes undique flosculos colligens, omnes dicendi lepores ac festivitates aucupans, concinno quodam ac modulato verborum sono aures vestras demulcere studuissem. Potestis autem facile perspicere ex iis, quæ dicta sunt, quibus de rebus in hoc sexto libro explicando disputaturi simus. Nam cum in superioribus libris earum virtutum, quæ sunt in illa parte animi, quam per se ratione carere, sed rationi tamen parere posse diximus, natura pertractata sit: in hoc de virtutibus illius superioris ac divinioris partis, hoc est, de intelligentia, sapientia, scientia, arte, prudentia, sed potissimum de prudentia, disseremus. Quid igitur? finemne statim faciam, (id enim a me jam expectari video) an priusquam desino, ad hæc toto pectore amplectenda paucis vos cohortabor? Ego vero ita faciam, neque committam, ut aut ad ineundam, aut ad persequendam pulcherrimam & fructuosissimam studiorum viam, ullo aut loco aut tempore, mea vobis cohortatio defuisse videatur. Dubitatis igitur, adolescentes, quin ad harum rerum cognitionem adipiscendam omnis vobis diligentia suscipienda, omnis labor perferendus, omnis corporis voluptas negligenda, omnis aliarum rerum cura ex animo ejicienda sit? Ubi, quæso, istam egregiam indolem, quam in plerisque vestrum videmus, ubi istud ingenium ad omnia summa natum, ubi istam partem ætatis ad concipienda doctrinæ virtutisque semina omnium aptissimam, aut honestius, aut suavius, aut fructuosius collocare poteritis? Quid enim est, quo quisquam oblectari, quo ad discendum invitari atque allici possit, cujus non in hisce quotidianis disputationibus nostris copiam reperire aliquam liceat? Est, quem arduarum rerum & remotarum a cognitione vulgi

vulgi accurata tractatio capiat? Talia nobis plurima in animi partibus excutiendis, in principiis humanarum actionum evolvendis, in patefacienda sapientiæ scientiæque natura, necessario tractanda erunt. Est, quem non tam ardua & sublimia, quam in quotidiano usu posita, & ad instituendam vitam accommodata, delectent? Utilissimis ad vitam præceptis aures eorum, qui me audient, quotidie personabunt. Est, cui antiquitatis cognitio & veteris historiæ commemoratio jucunda sit? At nos quidem scitis vix ullum præceptum tradere solitos esse, quin ei illustrando repetitam ex Græca Romanaque historia, exemplorum lucem adhibeamus. Poëtarum alius amœnitate dicitur? Nos vero ex optimis utriusque linguæ poëtis pulcherrima quæque libantes, perpetuo disputationes nostras ejus quasi salis adspersione condimus. Græcam linguam amat aliquis? Aristotelem hic quotidie Græce loquentem audiet: qui ea lingua dictus est aureum orationis flumen fundere. Latinam anteponit alius? Dabimus nos quidem operam, ut ex optimis Græcis non pessima Latina faciamus: neu quis a nobis audiendis, tanquam in latine loquendo non satis diligentibus, absterreatur. Omninoque quicunque tantam huc animorum alacritatem, tantamque discendi cupiditatem adferent, quantam ego rerum optimarum varietatem, & quantum perspicue docendi studium adferam, faxo, nunquam eis veniat in mentem, quod docenti mihi assiduam operam dederint, pœnitere.

DIXI.

Pro Alfonso II. Duce Ferrariæ, &c.
ad Pium IV. Pont. Max.
ORATIO XI.
Non est habita.

SI quis est, qui scire cupiat, Beatissime Pater, quanto gaudio perfusus sit Alfonsus II. Ferrariæ Dux, posteaquam te in summum istum & cœlo proximum dignitatis, atque amplitudinis gradum communi patrum omnium voluntate ac judicio sublatum esse cognovit: is, si orationem meam cogitatione sua subsequi, quasque ille gaudendi causas habuit, earum unaquæque quantum ponderis ac momenti habeat, diligenter expendere voluerit, simul & id, quod cupit, intelliget, & mihi, si forte illius gaudii magnitudinem verbis exæquare non potuero, ignoscendum potius quam succensendum putabit. Nam cum ea dicendo tractanda sunt, quæ nullo verborum genere satis exprimi possunt, acris & intelligentis æstimatoris est, non dicentis imbecillitatem accusare, sed eo ipso potius argumento uti, ut id, quod agitur, singulare quiddam & eximium esse judicet, quod ad id exprimendum nulla potuerit satis vehemens atque illustris oratio reperiri. Alfonsus autem secundus ut insignem quandam lætitiam perciperet ex eo, quod sapientiæ tuæ summa totius Ecclesiæ gubernatio delata esset, cum iisdem illis caussis adductus est, quæ cæteros quoque principes Christianos admirabili ob eam rem voluptate cumularunt, tum aliis etiam quibusdam ad se proprie pertinentibus, quæ in communi omnium gaudio gaudium ipsius majus, & insignius reddunt. Ac primum quidem gratissimum ei, atque optatissimum accidit, illi potissimum summam rerum concreditam esse, qui per omne anteactæ vitæ spatium talem se præstitisset, ut tanquam perfectum & absolutum antiquæ illius in-

innocentiæ, & integritatis exemplum omnium prædicatione commendaretur. Quis enim per illum, cujus locum in terris obtines, rerum omnium præpotentem Deum, multos jam annos ad istam sanctissimam sedem provectus est, te uno iis omnibus virtutibus, quas bonum, & omni ex parte absolutum principem habere decet, ornatior? Qui cum intelligeres, animum humanum duabus præcipue rebus perfici, & ad illud, ex quo ductus est, divinitatis exemplar proxime accedere, cognitione primum & intelligentia earum rerum, quæ dignæ sunt, in quibus studium collocetur: deinde procurandis hominum commodis, iisque actionibus suscipiendis, ex quibus quam maximus fructus ad quam plurimos perveniret: jam inde a principio ita vitam instituisti tuam, ut perpetuo ad eos, quos dixi, fines omnia retuliſſe, neque unquam ullum temporis punctum, mentis aciem ab eis deflexiſſe videaris. Itaque totum illud adolescentiæ tempus: cui & communi hominum consuetudine, & quadam prope ipsius naturæ tacita lege major quædam licentia tribui ac permitti solet, a te, non in remissionibus animi, neque in eis voluptatibus, quibus ætas illa plerumque etiam sine reprehensione capitur, positum, sed in assidua præstantium doctrina virorum consuetudine, diligentissimaque cum omnium honestarum artium, tum earum præcipue, quæ populorum rectoribus necessariæ sunt, perveſtigatione consumptum est. Neque vero te ab eo, quod tibi proposueras, curriculo, aut deterrere postea laboris asperitas, aut avocare voluptatum blandimenta potuerunt. Qui semel ad solidam & immortalem gloriam recto itinere contendere penitus imbibiſſes, omnia tibi, dum eo, quo instituëras, pervenires, contemnenda, & pro nihilo putanda esse duxisti. Nimirum illam tu virtutis pulchritudinem, quam Plato,

si

si cerneretur, mirabiles sui amores excitaturam esse dicebat, non corporeis, sub quos illa non cadit, sed iis, qui, si nulla cupiditatum nubes opposita est, multo perspicacius & acutius cernunt, animi oculis videras: ejusque desiderio incensus, nisi adepta ea, vitam ipsam tibi acerbam atque insuavem fore statuebas. Igitur cum Patavii primum, deinde Bononiæ, defixus in præstantissimarum artium studio, primam ætatis partem exegisses, iisque adolescens egregie navatæ in studiis operæ insignibus atque ornamentis affectus esses, quæ amplissima in eis civitatibus tribui solent: judicasti tibi jam esse ex domestico illo, & umbratili vitæ genere, quod ad illud usque tempus, flagrantissimam illam cognitionis & doctrinæ sitim explere cupiens, necessario colueras, in solem, quod dicitur, & in pulverem prodeundum; tempus esse, ut præclara illa semina, quæ diligenter subacto ac præparato animo colueras, omni rationi foveras, alueras, auxeras, afferrent tandem ipsa se, & fructus exspectatione dignos hominum generi afferrent. Nec enim te fugiebat, omnem cognitionem, quam nulla consequeretur actio, mancam quodammodo & inchoatam esse; qui se ita studiis abdidissent, ut nihil ex iis ad utilitatem publicam protulissent, eos nunquam magnopere commendatos, sæpe etiam reprehensos ac vituperatos fuisse. Quapropter in patriam reversus, ut, quæ te prima urbs nascentem gremio, & sinu suo exceperat, eadem quoque primos perciperet industriæ tuæ fructus, non tantum magnas controversias, inter principes civitatis ortas, cum illi te communi consensu judicem sumpsissent, sapientissime diremisti, verum etiam sedatis gravibus illis inter Franciscum Sfortiam Mediolani Ducem, & Joannem Jacobum Medicem fratrem tuum discordiis, pacem, pacem inquam, qua nihil optabilius est, nihil salutarius, civibus

tuis

tuis inspirantibus reddidisti. O felix & auspicatum principium: O præclare positum rudimentum! Quid non bonorum ab eo sperare poterant cives, qui primum virtutis suæ specimen pace & privatim & publice componenda dedisset? Sed videlicet illa tanta virtus majorem aliquem campum, in quo excurreret, majus theatrum, in quo spectaretur, requirebat. Roma te, Roma urbium princeps jam tunc ad se vocabat, & sub cujus olim imperio beata futura erat, ejus præsentis virtutem tanto ante gustare, ac cognoscere cupiebat. Romam igitur venisti, ubi virtutis tuæ tam multa, tamque luculenta testimonia, & pace, & bello dedisti, ut Paulus III. P. M. quem & omnes confitentur, & res ipsa loquitur, cum in cæteris rebus rara quadam & exquisita prudentia, tum miro in pernoscendis hominum ingeniis acumine, & acerrimo in ponderandis cujusque meritis judicio præditum fuisse, cum in plurimis maximi momenti negotiis prudentiam, fidem, magnitudinem animi tuam expertus esset, primum quidem te Epidaurio Archiepiscopatu cohonestaverit: deinde vero absentem Reipublicæ caussa in augustissimum & sanctissimum Cardinalium Collegium adsciverit. Hic ego si, quod poëtæ solent, idem nobis quoque facere liceret; Nestoreum mihi aliquod, aut Ulixeum eloquentiæ flumen optarem: ut quemadmodum una cum honoris amplificatione, tua semper virtus accrevit, ita mea quoque in explicatione laudum tuarum, quasi per gradus attolleretur, & se ipsa grandior, ac sublimior fieret oratio. Vix enim fas videtur de raris inusitatisque rebus dicentem, usitato & quotidiano genere sermonis uti. Sed in hac conscientia tenuitatis meæ una me cogitatio sublevat, quod apud eos me dicere intelligo, qui rerum a te divinitus gestarum non testes modo ac spectatores, sed existimatores etiam

& exornatores fuerunt. Nam quo die tot ampliſſimi & illuſtriſſimi Cardinales, non inconſulto aliquo & ſubito animorum impetu, ſed poſt accuratam in Conclavi aliquot menſium deliberationem, ad deferendam tibi ſummam in Eccleſia poteſtatem conſenſerunt, eodem die apertiſſimum judicium de perſpecta ſibi & explorata tua omnis generis præſtanti & eximia virtute fecerunt. Quare non eſt mirandum, ſi, te tali Pontifice creato, Alfonſus II. Ferrariæ Dux, qui ſtudium quoddam incredibile erga hanc ſacroſanctam Sedem a majoribus ſuis quaſi hæreditarium accepit, tanto ea ex re gaudio affectus eſt, quantum neque mea, neque cujusquam oratione exprimi poteſt. Nam ad eas lætitiæ cauſſas, quæ communes ipſi ſunt cum cæteris omnibus Chriſtianis Principibus, non parvi quoque ponderis aliæ accedunt. Primum, quod Eccleſiæ cliens cum ſit, omnes opes ac facultates ſuas hujus ſacroſanctæ Sedis auctoritate nixas & fundatas eſſe non ignorat: ut etiam hoc nomine impendio magis omnibus, quæ ad ejus dignitatem pertinent, affici debere videatur. Deinde, qui & patrem habuerit amplitudinis tuæ ſtudioſiſſimum, & ipſe non paterni magis imperii, quam illius in te obſervantiæ hæreditatem creverit, ſciatque præterea e ſuis omnibus neminem eſſe cujusque ordinis, qui non eodem plane animo ſit ſemperque fuerit, quique honori tuo ex animo atque ex illa ſumma voluntate non faverit: cui dubium eſt, quin is, facta ad gloriam tuam ea, quæ maxima fieri potuit, acceſſione, incredibilem quandam ex eo hauſerit voluptatem? Poſtremo, qui ſeſe haud ita pridem cum illuſtriſſimo Principe Coſmo Florentinorum & Senenſium Duce, gentili tuo, ducta in matrimonium illius filia, affinitate devinxerit; cur non immortaliter gaudeat, qua ex gente ipſe uxorem acceperit, ex eadem, qui univerſam Eccleſiam cum ſummo

mo imperio regeret, exstitisse? Ille vero statim accepto nuncio sese in viam dedisset, neque ullam moram interponendam putasset, quin præsens tibi gratularetur, pedibusque tuis suppliciter advolutus in tua potestate esse se ac semper fore ostenderet, nisi prius perculsis & afflictis nec opinata patris sui, optimi ac præstantissimi Principis morte, suorum animis aliquid consolationis adhibendum esse duxisset. Quam quidem excusationem partim inevitabili necessitate, partim naturali pietate subnixam, a te, Beatissime Pater, æquo animo acceptum iri confidit: quodque multo antea, si licuisset, facturus erat, ad pedes tuos prostratus, te patrem ac dominum agnoscit, tibi se suaque omnia in fidem & clientelam tradit: & ut una cum sententia, verborum quoque formulam apud majores hac in re usitatam retineamus. *Debitam tibi obedientiam præstat:* seque semper non ad fortunas modo suas, verum ad sanguinem quoque & vitam pro hujus sanctissimæ Sedis dignitate profundendam paratissimum fore, omni asseveratione confirmat.

DIXI.

Pro Alfonso II. Duce Ferrariæ, &c. ad Pium V. Pont. Max.

ORATIO XII.

Habita Romæ V. Kalend. Quinctil. Anno cIↃ IↃ Lxvi.

IN communi omnium Christianorum Principum gaudio, quo eos optatissima summi honoris ad te concordibus horum amplissimorum Patrum suffragiis delati fama cumulavit, PIE V. Pontifex Maxime, si præcipuam quandam ac prope singularem Alfonsi secundi Ferrariæ

rariæ Ducis lætitiam exstitisse dixero, vereor ne quis id magis ex veteri, & quotidiana omnium consuetudine, quam quod ipsi præter cæteros gratum id ac jucundum acciderit, a me dictum arbitretur. Ita enim jam usitatum est, ut omnibus Pontificibus, omnium Principum nomine eadem illa dicantur, ut & eos, qui audiunt, verisimile sit ea modo sibi videri audire, quæ cuilibet alii eundem adepto honorem dicerentur: & ii, qui dicunt non tam ex suo sensu orationem depromere, quam ex veteri aliquo libro solennem, & certis conceptam verbis gratulandi summis Pontificibus formulam recitare videantur. Neque vero dubitari potest, quin æquissimum atque honestissimum sit, quemcunque hic plenissimus ordo ad Ecclesiæ gubernacula admoverit, quando totum illud negotium non humanis consiliis, sed divini spiritus instinctu atque afflatu administrari certissimum est, ejus ut cæteri quoque Principes libentissimis animis imperium accipiant, auctoritatem agnoscant, leges observent, se suaque omnia ejus potestati tradant, ac permittant, eum denique, qui Deo maxime placuit, sibi quoque gratissimum acceptissimumque esse profiteantur. Sed tamen & longe alia illa est animorum alacritas, cum homines eum, quicunque sibi rector divinitus datus est, libenter accipiunt; alia cum, quem semper ipsi eo munere dignissimum judicarant, quemque semper toto pectore optaverant, eum divino quoque judicio probatum vident: & quanquam omnium publice interest, qualis sit Pontifex; non est tamen obscurum, esse quosdam populos quosdamque Principes, quorum id privatim multis de caussis maxime interfit. Ex quibus ut unum esse Alfonsum secundum Ferrariæ Ducem omnes homines intelligant, neque vulgarem illam, aut mediocrem lætitiam fuisse, qua ipse accepto Pontificatus tui nuncio per-

perfusus est, idque eo dici, non quod ita dici soleat, sed quod verissimum sit: constitui, si per te liceat, Beatissime Pater, primum quidem breviter exponere, cur tibi potissimum boni omnes communibus votis istum honorem mandari & optaverint, & optare debuerint, deinde vero, quas privatim causas Alfonsus habuerit, propter quas eximiam quandam ex eo perceperit voluptatem. Sed quoniam prior orationis meæ pars explicari aliter non potest, quin de tuis laudibus nonnulla dicantur, idque cum aliqua tua molestia fieri necesse est, propterea quod, ut quisque laude dignissimus est, ita minime libenter laudes suas audire consuevit: supplex a te etiam atque etiam peto hanc veniam, Pater optime ac sanctissime, ut quæ de virtutibus tuis toto orbe jam pridem sparsa ac disseminata sunt, ea me strictim ac modice attingere, ac delibare patiaris. Vos autem, Patres amplissimi, oro atque obtestor, ut si me sublima humiliter, ampla tenuiter, illustria inornate tractantem, & ex innumerabilibus, quæ ad dicendum suppetunt, plurima prætermittentem, pauca proponentem verius, quam exponentem audietis: cogitetis cum animis vestris, neque posse quemquam in tam ubera materia omnia persequi, neque ea, quæ satis per se splendida & magnifica sunt, ornatu verborum indigere, & mihi eam inprimis cautionem adhibendam fuisse, ne sanctissimi ejusdemque modestissimi Principis patrisque nostri aures, quanquam verissimis, & omnium sermone celebratissimis, inusitatis tamen & longe multumque supra exempla vulgaria positis laudibus suis offenderentur. Atque equidem, Beatissime Pater, ut mea tibi, quantum in me situm est, minime molesta sit oratio, abducam, & avocabo eam a persona tua, & de te reticens rem tantum ipsam excutiendam considerandamque proponam. Si quis igitur reperiretur, qui ab ipso ine-

untis ætatis principio illud arduum ac cum labore ac virtutem directum iter ingressus, hoc robore animi, atque hac indole continentiæ esset, ut omnia blandimenta voluptatum respuens & adspernans, nihil in vita expetendum, aut magnifaciendum putaret, nisi quod esset cum laude & cum dignitate conjunctum, seque jam tum a corpore quam maxime abstrahens ad divinarum rerum cognitionem cura omni studioque raperetur: quis non facile auguraretur ex illa herbescentis adhuc, seque paulatim exserentis ingenii teneritate magnas aliquando virtutis ac sapientiæ fruges exstituras? Quod si idem, cum se paulum jam corroborasset, ut plane liber ab omnibus impedimentis iter sibi destinatum expeditius conficeret, secederet, segregaretque se a commercio vulgi, & solitariam vitam amplexus, nomen daret in eam sodalitatem, quæ ex quo primum instituta est, perpetuum quoddam inexhaustæ fœcunditatis seminarium hominum & doctrina & virtute præstantium fuit: quis non in ea spe, quam jam antea concepisset, magis ac magis confirmaretur? Jam vero, si multos annos in eodem ordine ita vixisset, ut non æqualibus modo suis, aut minoribus natu, sed ipsis senioribus exemplum innocentiæ, & integritatis esset, nullam unquam ullius turpitudinis aut flagitii ne tenuissimam quidem suspicionem dedisset, neque in castigandis aliorum delictis remissus esset, & tamen aliis omnibus facilius ignosceret, quam sibi; pium ac justum bellum indixisset cum omnibus vitiis, tum præcipue pravis, & veræ ac Catholicæ religioni contrariis opinionibus; multos mortales, aut errore lapsos, aut ab aliis in fraudem inductos revocasset in viam; obstinatos, & pertinaces, ne eorum contagio bonis obesset, repressisset legum habenis, & omnes vires suas ad eos exterminandos contulisset, ejusque rei causa nullam offensionem, nullam

lam simultatem, nullum odium, nullam denique capitis dimicationem sibi unquam defugiendam putasset: nemo, ut opinor, inveniretur, qui non tantum illud virtutis & constantiæ lumen in excelso aliquo & illustri loco collocandum arbitraretur. Ad hæc omnia si judicium & auctoritas acris alicujus, ac severi Pontificis accederet, qui nulla prorsus alia re, quam illa præstanti virtute commotus, eum virum, de quo loquimur, nihil tale ambientem ac ne cogitantem quidem, in sacrosanctum Cardinalium Collegium adsciscret, iisque se in illo dignitatis gradu constitutus, eundem toto decennio præstaret, quem in aliis vitæ partibus præstitisset: quis non ei bonus Pontificatum maximum spe & votis omnibus destinaret? Quis non omnes Christiani nominis & animi provincias gaudio triumphaturas, florentesque ac beatas futuras, tali sibi dato gubernatore confideret? Si hæc in extremis Galliæ aut Hispaniæ, aut etiam remotioris alicujus provinciæ finibus dicerem, pro certo tamen haberem, cognitum iri ab omnibus, te, Pie Quinte, eum esse, quem mea jam dudum notaret, ac designaret oratio. Nam quæ tandem vitæ tuæ pars non ejusmodi fuit, ut in ea cum semper reperirent boni, quod imitarentur, nihil reperire possent improbi, quod calumniarentur? Majori tu & tranquilliori animo paupertatem tulisti, quam cæteri divitias ferunt. Nunquam tu honores secutus es: sed recto semper itinere gradientem, & de sola virtute sollicitum, de aliis rebus non laborantem, ipsi te ultro sunt honores consecuti. Nihil te Cardinalatus dignitas immutavit, nisi quod, ut tua virtus a pluribus cognosceretur, effecit: eandem quam privatus comitatem, atque affabilitatem, eundem cultum, eandem vitæ ac disciplinæ severitatem retinuisti. Una erat omnium vox, neminem esse, qui majori libertate sententiam diceret, qui

minus ad gratiam loqueretur, qui quæ vera rectaque erant constantius, aut animosius tueretur. Itaque non in sermone tantum, sed in vultu ipso ac nutu tuo magna inesse putabatur auctoritas. Tanto igitur, & tam repentino omnium consensu Pontifex renunciatus es, ut si cui forte adhuc dubium fuerat, hominumne judicio, an divino numine summi pontifices crearentur, quod tamen nemini unquam bono dubium fuit, ea tota dubitatio proximis comitiis sublata esse videatur. Non enim fumosæ majorum imagines, non invidiosa divitiarum magnitudo, non eblanditæ principum commendationes viam tibi ad Pontificatum munierunt. Eadem illa virtus, quæ te ab ipsis incunabulis susceptum perpetuo comitata erat, serius omnino & votis nostris, & meritis tuis, sed tamen in isto te tandem celsissimo dignitatis inter homines DEO proximæ solio, suis ipsamet manibus collocavit. At hæc quidem omnia omnibus Christianis & principibus & populis ingentem lætitiam attulerunt. Quas autem causas habuerit Alfonsus II. cur ex eo præcipuum quoddam gaudium caperet, sequitur ut exponam. Non est dubium, quin totius Christianæ Reipublicæ interfit, quam optimos Pontifices creari. Sed tamen id magis quodammodo pertinet ad eos populos, qui reguntur ab ipso Pontifice, quam ad illos, qui procul positi, etiamsi in iis, quæ ad religionem pertinent, Pontificis imperio parent, in cæteris tamen a Regibus aliisve Principibus gubernantur: itidemque inter Principes, magis ad eos, qui sunt in fide ac clientela Ecclesiæ, quam ad eos, quibus nulla talis intercedit cum hac sancta & Apostolica Sede conjunctio. Cum igitur antiquissima & nobilissima principum Estensium familia & antiquitus a Pontificibus Romanis Ferrariam acceperit, & ab eisdem ducali nomine, atque auctoritate decorata

corata fuerit, semperque ex eo in hujus sanctæ Sedis patrocinio permanserit: constat, cujusmodi Pontifices sint, quam amantes religionis ac justitiæ, eorum magis, quam multorum aliorum principum, intereſſe. Deinde cum ex aliis multis, & præcipue ex illustrissimo Cardinali Ferrariensi patruo suo Alfonsus II. de tua præstanti virtute cognosset, neque nescius esset, quanto opere & iis, & frater suus illustrissimus Cardinalis Estensis dignitati tuæ vere atque ex animo faverent: fieri nullo modo poterat, ut non & ipse idem evenire cuperet, quod & patruum, quem semper meritissimo plurimi fecit, & fratrem, quem æque amat ac seipsum, tanto studio procurare intelligebat. Postremo, cum ita natura comparatum sit, ut eos quisque ornatissimos ac florentissimos esse cupiat, quorum caussa plurimum laboravit in plurimaque se ac maxima pericula exposuit: necesse est insigniter caram esse Alfonso Ferrariæ Duci hujus sanctæ Sedis dignitatem, pro qua majores ipsius tot labores susceperunt, tot discrimina adierunt, toties de vita fortunisque omnibus dimicarunt. Nihil agendi aut amplificandi caussa loquar, Pater Beatissime, sed id tantum optima fide testabor, quod si opus sit, ceretissimis ac locupletissimis auctoribus probare nullo negotio possum: si ea minutatim persequi velim, quæ a principibus Estensibus pro Apostolicæ Sedis auctoritate, ac totius Italiæ salute fortiter facta sunt, non dies modo me, sed vox ipsa viresque deficient. Sed, ut omittam ea, quæ nimis antiqua videri possunt, (siquidem mille jam anni, & eo amplius sunt, cum hæc nobilissima familia floret, aliosque assidue ex aliis Principes perpetua quadam serie propagat) illud certe prætermitti non potest, quod cum Fridericus Ahenobardus a Gregorio nono damnatus atque hostis judicatus, ob idque implacabili adversus Ecclesiam Roma-

nam odio flagrans, per Italiam immaniſſimi latronis more baccharetur, vaſtaret agros, oppida diriperet, depopularetur, incenderet, non ſexui, non ordini, non ætati ulli parceret, cæde ac ſanguine compleret omnia, adminiſtrumque ac ſatellitem crudelitatis ſuæ haberet Eccelinum, quem non tam inter ſceleratos tyrannos, quam inter tetras & immanes belluas numerare merito poſſumus: utriusque copias, non tam numeroſo, quam valido exercitu fudit, ac fugavit Azo nonus Marchio Eſtenſis. Quin etiam cum Salinguerra Taurellus, qui Eccelini ſororem in matrimonio habebat, eique in omni ſcelere geminus erat, Ferrariam vi & armis occupatam & oppreſſam teneret, miſerorumque civium cervicibus prædo crudeliſſimus incubaret, ejusdem Azonis virtute & armis Ferraria ab illius tyrannide vindicata eſt. Cujus rei cauſſa primum quidem univerſus populus Ferrarienſis Azonium ipſum dominum ac principem ſuum conſalutavit; deinde vero Pontifices, habita ratione & ſumptuum, quos ipſe in liberanda Ferraria fecerat, & beneficii, quod ab eo Apoſtolica Sedes acceperat, eandem illam urbem ei poſterisque ejus habendam ac regendam conceſſerunt. Neque unquam, quoties aliqua ſeſe obtulit occaſio, recuſarunt Principes Eſtenſes, dum pro Eccleſia propugnarent, ſe ſuaque omnia prompto animo in diſcrimen opponere. Quæ omnia aliaque ejusdem generis plurima non Ferrarienſium tantum annalibus, quorum hac in parte fides alicui fortaſſis ſuſpecta eſſe poſſit, ſed optimi cujusque illorum temporum aut etiam inferiorum ſcriptoris monumentis prodita, & teſtata ſunt. His virtutibus domus Eſtenſis ad tantam gloriam jam pridem pervenit, ut ſummi Pontifices, ut Imperatores, ut Hungariæ, ut Galliæ Reges, aliique potentiſſimi Principes pulchram ſibi ac decoram illius affinitatem judicarint.

rint. Hæ cauſſæ ſunt, Beatiſſime Pater, cur Alfonſus II. qui neque pietate in Deum, neque obſervantia erga Sedem Apoſtolicam, neque ulla denique virtute cuiquam ex majoribus ſuis cedere meditatur, te Pontifice declarato, incredibile quoddam ex ea re gaudium ceperit. Neque quidquam libentius feciſſet, quam ut ad te primo quoque tempore veniret, & ſanctiſſimis pedibus tuis advolutus quantopere tibi & huic ſanctæ Sedi devotus addictusque ſit, modis omnibus declararet, ac patefaceret, niſi id temporum ratio prohibuiſſet. Sed cum ita eveniſſet, ut feliciſſimi Pontificatus tui principium in id tempus incidiſſet, quo ipſe uxorem domum duxerat: judicavit te pro tua ſingulari clementia non iniquo animo laturum, ſi prius cœpta nuptiarum ſolennia celebraret, ac cum uxore unum, aut alterum menſem commoraretur, deinde ad debitum officium tibi præſtandum veniret. Nunc autem aliud interea multo gravius objectum eſt impedimentum. Nam, cum ſceleratiſſimus ille religionis noſtræ hoſtis Turcarum tyrannus numeroſiſſimo exercitu Hungariæ immineat, generoſiſſimus Princeps, qui admirabili ſtudio ardet incedendi aſſidue per veſtigia majorum ſuorum, Maximiliano Imperatori, uxoris ſuæ fratri, ſponte ſe in belli ac diſcriminis ſocietatem obtulit, eique pollicitus eſt, ſimul atque arceſſitus eſſet, ſe ad eum nulla interjecta mora cum quantis poſſet copiis eſſe venturum. O vis virtutis, quid non in pectoribus vere generoſis efficis? Non dulcedine patriæ, quam abitu ſuo mœſtam & paventem relinquit, non nuper ductæ uxoris caritate, quæ ſibi eo diſcedente a viſceribus ſuis diſtrahi ac divelli videtur, non hoſtis feritate, non periculi magnitudine retineri fortiſſimus Princeps poteſt. Valeant, inquit, valeant alia omnia, ubi Chriſtianæ Reipublicæ defenſio agitur; indignus ſim ma-

majoribus meis, si quidquam ei anteponendum putem. Verebatur autem, si huc iter cœpisset, ne interea accideret aliquid, ut statim regredi, atque in Hungariam proficisci necesse haberet: neque dubitabat fore, ut hæc excusatio sua a te quoque, Beatissime Pater, non modo acciperetur, verum etiam commendaretur. Sed quod ipse, si licuisset, præsens facturus erat, idem nunc per hunc illustrissimum Principem ac Marchionem Franciscum Estensem patruum suum facit: quod deligere neminem poterat, in quo plus inesset vel fidei vel auctoritatis. Per eum igitur, Beatissime Pater, Alfonsus II. Ferrariæ Dux eam, quam debet *tibi, & sanctæ sedi Apostolicæ obedientiam præstat, se suaque omnia tibi tradit ac consecrat, semperque se in tua atque hujus sanctæ sedis* potestate fore sanctissime pollicetur. Tu eum vicissim, Beatissime Pater, ut ipse te sine ulla dubitatione facturum esse confidit, paterna benevolentia complectere: & quemadmodum ipse semper omnes vires suas ad defendendam tuam, & Apostolicæ Sedis dignitatem studiosissime conferet: ita tu eum totamque una familiam Estensem, eximium nobilitatis Italicæ florem non tuendam modo tibi, ac conservandam, sed amplificandam etiam indies ac cohonestandam judicato.

DIXI.

Pro Carolo IX. Rege Christianissimo ad Pium V. Pont. Max.

ORATIO XIII.

Habita Romæ Anno clɔ lɔ Lxvi.

De hac Oratione Muretus Lib. III. Epist. 15.

SI eorum, quæ oratione tractantur, magnitudo & præstantia non aliunde, quam ex ejus, qui de eis dis-

differit, ingenio & dicendi copia penderetur, magnopere mihi verendum esset, Beatissime Pater, ne hodierno die, in hoc augustissimo & ad dicendum amplissimo orbis terrarum loco, splendor ac dignitas maximarum pulcherrimarumque rerum, quarum explicandarum munus mihi mandatum est, ingenii mei tenuitate & orationis inopia imminueretur. Dicturus enim, hujus clarissimi viri Oratoris ad te regii jussu, quantum gaudium Rex Carolus nonus, te Pontifice declarato, perceperit, intelligo mihi faciendum esse, ut veteri atque usitato eorum, qui ante me idem munus obierunt, instituto, de singulari atque eximia pietate, qua Reges nostri, multis abhinc seculis, præ cæteris omnibus perpetuo floruerunt, breviter differam: & non omnia quidem, quod infinitum esset, sed aliqua tamen eorum, quæ illi tum pro religione, tum pro hujus sanctæ Sedis defensione pie fortiterque gesserunt, commemorem; ostendam deinde, quanto studio atque ardore animi Rex noster jam nunc in hoc ineuntis adolescentiæ flore, per illorum vestigia gradiatur, quamque sibi hujus præcipue laudis principatum appetat ac concupiscat. Quibus expositis, illud quoque facile intelligetur, quantæ ipsi curæ esse debeat Ecclesiæ status, qui cum, secundum Deum, ex Pontifice potissimum pendeat, quantopere te, tali viro, his turbulentissimis temporibus divinitus Pontifice creato, sibi præter cæteros gaudendum arbitretur. Quæ omnia si quis ita se tractare posse confidat, ut rerum magnitudini orationis pulchritudo respondeat: eum oportet aut ita exercitatum esse in dicendo, ut facultate sua fretus, nihil sibi difficile atque arduum putet; aut ita inexercitatum, ut errore ductus, rerum pondera & momenta satis acute atque intelligenter perspicere ac dijudicare non possit. Neque mihi nunc alia ulla res perculsum ac debilitatum hac cogitatione

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn862961815/phys_0209
DFG

tatione animum erigit ac confirmat, quam quod apud te dicendum est, Beatissime Pater, qui & ea sapientia es, ut, quanti quæque res sit, ex natura ipsius, non ex iis, quæ de ea dicuntur, ponderes; & ea lenitate ac mansuetudine, ut eis, qui potius, quam officium deserant, ejus onere opprimi malunt, facile ac libenter ignoscas. Mihi vero memoria vetera repetenti, & mentis oculos per antiqua Regum nostrorum decora circumferenti, non unde incipere, sed ubi desinere debeam, statuere difficile videtur. Tanta est enim rerum ab eis gestarum magnitudo, tanta copia, ut neque possit quisquam, ne si mentiri quidem velit, majora confingere; neque vera consectans, omnia tam brevi temporis spatio persequi: sed aut ab ipso multa, aut ipsum a tempore deseri necesse sit. Nam quæ tandem gens in toto orbe terrarum nominari potest, quæ semel susceptam JESU Christi Salvatoris nostri religionem majore constantia puram incorruptamque servaverit? quæ plures atrocioresve illius hostes aut exstinxerit, aut bellica virtute domitos errorem suum deponere, seque ad Ecclesiæ societatem recipere coëgerit? quæ Apostolicæ Sedi laboranti tam sæpe subvenerit, eamque Tyrannorum iniquitate & injuria oppressam non in pristinam modo dignitatem restituerit, sed tam multis ornamentis affecerit, tam firmis præsidiis muniverit? Omnia, quæ ab aliis regibus, aut gentibus in hoc genere gesta sunt, si unum in locum collata cum iis, quæ nostri gesserunt, comparentur, & numero eorum & magnitudine obruentur. Mille jam anni sunt, & aliquanto amplius, cum Clodoveus, qui postea Ludovicus vocatus est, Primus Regum nostrorum, salutari aqua ablutus, nomen in Christi militiam dedit. Neque diu cunctatus, susceptō bello in Visigothos, pertinacissimos hæreseos. Arianæ defensores, eos commisso in Pictonibus prælio vicit,

cit, regemque eorum Alaricum manu sua interfecit. Neque multo post haud procul Burdigala reliquias eorum confecit in campo, qui ex eo etiam hodie Campus Arianus vocatur. Itaque ob id factum Anastasius Imperator, honoris caussa, tunicam ei purpuream, sive, ut tum loquebantur, blatteam misit, simulque coronam auream magni ponderis, admirabili opere perfectam, multis ingentis pretii gemmis unionibusque collucentem: atque eum per legatos non consulem modo ac patricium, sed defensorem Christiani nominis, sed liberatorem imperii, sed generis humani patrem vocavit: felicem prædicans, cujus potissimum manu divina providentia illos urbis Romæ eversores, provinciarum vastatores, Dei hominumque hostes cadere voluisset. Ille, ut principem vere magnanimum decuit, munera quidem Imperatoris non repudiavit: sed illam, quam dixi, coronam augustius quiddam & magnificentius esse duxit, quam ut cuiquam mortalium conveniret: dignam rem sacrario, dignam, quæ non humano usui, sed divino cultui addiceretur: Itaque eam summa cum veneratione, in templum Lateranense missam, divo Petro Apostolorum principi consecravit. Nimirum ut belli principia ex solo divini cultus studio exstiterant; ita victoriæ insignia non alibi, quam in celeberrimo aliquo templo collocari par fuit; ut omnibus seculis in illo nobili munere, non tam illa clarissimarum gemmarum multitudo, quam Clodovei regis pietas religioque fulgeret. Neque se tanto patre parum dignum præstitit Childebertus: qui Almaricum Alarici filium, cui etiam sanciendi fœderis caussa sororem Clotildem in matrimonium dederat, cum in paterna impietate perstare, ideoque in uxorem, quam abducere a Catholica religione non poterat, injurium ac contumeliosum esse cognosset: bello eum persequi non

prius

prius destitit, quam & Tyrannum ipsum obtruncavit, & populos, qui ei paruerant, ab Arianæ opinionis pravitate revocavit. O sancta bella, quæ non ad unius hominis ambitionem aut avaritiam explendam, sed ad veram & Catholicam religionem latius spargendam suscipiebantur! O felices victorias, quæ & victoribus immortalem gloriam, & victis æternam salutem afferebant! Sed ita magna & memorabilia sunt, quæ mihi se ad dicendum offerunt, ut, cum singula intueor, nihil eorum sine flagitio prætermitti posse existimem: ita multa rursus, ut, cum universa contemplor, plurima mihi necessario omittenda esse cognoscam. Dagoberti tamen primi singularem eximiamque pietatem tacitus præterire non possum: qui, & edicto proposito, omnes, qui fidem Catholicam non amplecterentur, intra certam diem, aut Galliæ finibus excedere, aut capitis supplicio affici jussit: & in reliquis vitæ partibus ita se gessit, ut, qui honores more nostro relatis in divos haberi solent, eos illi post mortem Ecclesia decreverit. De Carolo autem Marcello quid primum, quid postremum eloquar? Ille Saracenos, ferociſſimam, & Christiano nomini inimiciſſimam gentem profligavit: quorum infinitam quandam multitudinem uno ad Ligerim prælio cecidisse, cum e nostris pauciſſimi desiderati sint, historicorum monumenta testantur. Ille Frisios, impio falsorum Deorum cultui deditos, & a Christiana religione abhorrentes, repudiata superstitione, Christo initiari coëgit. Ille Visigothos & Saracenos, conjunctis copiis bellum renovare, & Narbonensem provinciam occupare ausos, aggressus, agros eorum cadaveribus stravit, fluvios eorum sanguine infecit. Ille, cum Gregorius tertius Pontifex maximus, rebus suis diffidens, opem ejus imploraſſet, Luitprandum, Longobardorum Regem, ab hac urbe obsi-

denda

denda, sola nominis sui auctoritate deterruit. Sed non omnia persequenda sunt. Vocat enim nos ad se Pipinus, neque me diutius de rebus suis tacere patitur. Hic ille est Pipinus, Beatissime Pater, ille, inquam, Pipinus, Patres amplissimi, a quo est Pontificum maximorum auctoritas a contemptu vindicata, opes auctæ, potentia stabilita. Etenim, ut ab optimis auctoribus memoriæ proditum est, cum Aistulphus Rex Longobardorum universam Italiam sub Imperium suum subjungere meditaretur, jamque Ravennam, & magnam præterea Flaminæ partem occupasset, Stephanus secundus Pontifex, cum prius opem ab imperatore Constantino petisset, atque ab eo neglectus esset, consilium cepit eundi in Galliam ad Pipinum: illum unum & ea pietate esse, ut auxilium sibi libentissime laturus esset, & iis viribus, uti facile posset. Neque eum sua frustrata est opinio. Nam Pipinus & illum excepit iis omnibus honoribus, qui maximi poterant excogitari, usque eo, ut ei obviam profectus, tria millia passuum pedibus confecerit, manu sua frenum equi, quo ille vehebatur, tenens; & cum Alpes incredibili celeritate superasset, transportato in Italiam exercitu, tantum terrorem intulit Aistulpho, ut collatis signis depugnare non ausus, Ticini se mœnibus tueretur. Ubi tamdiu obsessus est, dum se omnia, quæ abstulerat, restituturum, neque unquam Pontifici molestiam exhibiturum, interposito etiam jurejurando, fidem daret. Qua postea neglecta, cum, longe lateque omnia populatus, postremo hanc ipsam urbem obsidione cinxisset: Pipinus, qui tanquam re confecta, in Galliam redierat, in Italiam denuo reversus, virtute & armis perfecit, ut Aistulphus supplex easdem conditiones denuo acciperet, neque prius pedem ex Italia movit, quam præfectura Ravennatium, finibus longe maximis, utpote quibus &

Flaminia & Æmilia tota contineretur, Pontifici restituta est. Exstat adhuc tabula marmorea in ea turri, cui Borgiæ nomen est, in qua hæc omnia olim honoris ergo inciſa & præscripta fuisse constat. Ita enim in ea adhuc legitur: *Pipinus pius primus Amplificandæ Ecclesiæ viam aperuit & exarchatum Ravennæ cum amplissimis.* Pars tabulæ, in qua reliqua scripta erant, aut casu aliquo, aut temporum, aut hominum injuria confracta est. At æneæ quidem & marmorea monumenta conficere ac consumere longinquitas temporis potuit: Pipini certe gloriam nulla unquam delebit vetustas, nulla inobscurabit oblivio. Sentio tantas res multo brevius multoque exilius a me tractari, quam dignitati atque amplitudini ipsarum conveniret. Sed quis modus futurus erat, si quæ sic quoque vix a me percursa sunt, iis in singulis immorari, atque insistere voluissem? Nunc quoque si de Caroli Magni laudibus disserere vellem, quantus se mihi campus aperiret? Dicerem Aquitaniam, in qua hæreses denuo efferre se & subcrescere cœperant, ab adolescentulo perpurgatam. Dicerem immanissimam Saxonum gentem, semper victam, semper rebellantem, cum inter se constantia Caroli, & illorum pervicacia certarent, vix tandem continuo triginta trium annorum bello perdomitam, & abjecto idolorum cultu Christi leges accipere coactam. Dicerem Italiam vincendo peragratam, dignitatem Hadriani Pontificis vindicatam, Desiderium Aistulphi successorem, cum eadem, quæ ille moliretur, oppressum; additam ditioni Pontificiæ Corsicam; additos ducatus Spoletanum & Beneventanum; additum quidquid Lucam & Parmam interjacet. Neque præterirem reditum in Italiam, & Leonem tertium Hadriani successorem in sedem suam, fractis & obtritis hostium Ecclesiæ viribus, restitutum. Illa vero quanto pleniore

ore

ore laudarem: relicto ampliſſimo & florentiſſimo regno, ſuſceptum iter impeditiſſimum, & difficultatis ac periculi plenum, & ducto per tam varias gentes validiſſimo exercitu, terram illam, quæ vagitus JESU CHRISTI naſcentis excepit, quæ eum concionantem audiit, admirandis operibus certiſſima divinitatis ſuæ ſigna dantem obſtupuit, ſpectavit ſublatum in crucem, & ſuo ſanguine peccata noſtra expiantem, ex impiorum manibus ereptam & recuperatam. Talia quamlibet multa dicerem, multa tamen neceſſario præterirem, ſumma omnia, & illo nobili Magni cognomine majora. Quod ſi vellem ulterius progredi, & tum quæ priſcis temporibus Ludovicus Pius, Philippus primus, Ludovicus Craſſus, Philippus Auguſtus, Divus Ludovicus, alii reges, tum recenti memoria Franciſcus primus. Henricus ſecundus, Franciſcus ſecundus religionis & ſedis Apoſtolicæ cauſſa fecerunt, exponere: commemorarem, quam multi ex eis ad eam defendendam in Italiam cum exercitu venerint; quam multi Pontifices laborantibus rebus ſuis in Galliam confugerint; quam multa Concilia, cum alibi nusquam poſſent, in Gallia tuto ac libere celebraverint: multorum dierum multorumque voluminum, non unius horæ & unius orationis negotium eſſet. Ob quæ omnia ſemper ſummi Pontifices & quoscunque potuerunt honores habuerunt regibus noſtris, & ex omni antiquitate in ſcriptis ſuis eos omnibus exquiſitiſſimis laudibus extulerunt. Exſtat epiſtola D. Gregorii ad *Childebertum* regem, cujus hoc principium eſt: *Quanto cæteros homines regia dignitas antecellit, tanto cæterarum gentium regna regni veſtri culmen excellit.* Innocentius tertius *Reges Gallorum præ cæteris totius orbis Regibus*, ait, *ſemper Apoſtolicæ ſedi*, ut ipſius verba ponam, *obſequioſos & devotos extitiſſe*. Honorius tertius eosdem *oppoſuiſſe ſe tanquam murum*

inexpugnabilem pro populo Christiano. Gregorius nonus *Regnum Galliæ*, ait, *esse quasi pharetram, quam Christus sibi circa femur accinxit, ex qua sagittas electas extrahens, ipsas, ut sibi gentes & regna subjiciat, in arcu*, ita enim loquitur, *brachii potentis emittit. Regem Galliæ* Gregorius primus *Regem Catholicum, & præcellentissimum filium suum*; Gregorius IX. *Christianissimum inter omnes Christianos*; Innocentius IV. *Catholicum Principem & Christianissimum Regem*; Urbanus quartus *Principem inclyta devotione præclarum, Principem Christianissimum præcellentium meritorum, Athletam Christi strenuum, & sollicitum fidei Christianæ defensorem* vocat. Quæ omnia honoris & dignitatis plenissima nomina, & illum, quem tot seculis obtinuerunt, atque obtinent, inter omnes Reges principem locum, Reges nostri non aut ambitione sua, aut aliena assentatione consecuti sunt; sed ipsi suis sibi laboribus, suis periculis, suo sudore ac sanguine compararunt. Ab iis igitur majoribus ortus Carolus nonus nihil aliud sibi studio habet, nihil aliud dies noctesque curat ac cogitat, quam quomodo possit eorum quam simillimus evadere, &, quam nobilitatem a majoribus accepit, eandem tradere posteris suis insigni aliqua accessione cumulatam. Quam ad rem divinus adolescens & ipse per se naturali quodam impetu animi fertur, & assiduis Catharinæ matris, omnium, quas hodie sol adspicit, sapientissimæ ac præstantissimæ mulieris vocibus incitatur. Itaque in iis acerbitatibus, quas superioribus annis pertulit Gallia, habuit tamen aliquod solatium ex pulcherrimo spectaculo, matris omnia recta & salutaria suadentis, & filii omnibus maternis consiliis libentissime obsequentis. Quam multæ ex eo adhuc puerulo auditæ sunt voces, erumpente foras seque jam tum patefaciente natura, quæ & excellens acumen ingenii,

nii, & indolem virtutis omnia mox egregia exempla edituræ indicarent? Quarum ego si nonnullas proferre instituam, facile convincam, neque Cyri illius veteris, neque Alexandri Magni dicta quædam in pueritia, quæ in admiratione sunt, ullo modo esse cum Caroli dictis comparanda. Sed nihil dictis opus est, ubi facta ipsa loqui quodammodo videntur. Quis est enim hodie in terris locus, qui non audierit, quibus haud ita pridem Gallia procellis, ac tempestatibus agitata sit? Nam cum inaudita quadam ante hoc tempus calamitate, multorum ex nostris hominibus animos nefariæ quædam & exsecrandæ opiniones occupassent, atque ita in eis insedissent, ut ipsi nihil sibi non tentandum putarent, quo nobilissimum regnum ab Ecclesiæ communione, & ab hujus sanctæ Sedis obedientia abducerent: tanta ex eo consecuta est rerum omnium perturbatio, ut toti Galliæ ultimum (quod impiorum potius capiti sit!) venisse exitium videretur. Videre erat eadem in domo filios a patribus, fratres a fratribus, viros ab uxoribus, propter hanc de religione dissensionem, capitali odio dissidentes. Neque se privatis parietibus continuit mali vis, inita occulta primum, mox etiam aperta adversus Deum, adversus Regem & Reginam, adversus omnes recte sentientes scelerata consilia. Perditi quidam ac nefarii homines, quos illa furens turba, quasi nuper cœlo delapsos novi Evangelii doctores, sequebatur, convocatos suos, nocturnis concionibus, ad contemnendos magistratus, ad regium imperium tollendum, ad occupanda oppida, ad cædem & sanguinem, ad rapinas & ad prædas incitabant. Horum vocibus, quasi quibusdam furiarum facibus, cum accensa impiorum pectora essent, itum est ad arma; occupatæ improviso opulentissimæ ac munitissimæ urbes; interceptæ regiæ pecuniæ; direptæ bonorum fortunæ;

ipsi aut expulsi, aut occisi; antiquissima religiosissima templa partim spoliata, partim inflammata, partim diruta & solo æquata; quæ dejecta non sunt: in iis ea patrata, quæ commemorari sine horrore non possunt. O illorum temporum vel memoriam ipsam acerbam ac luctuosam: cum de legum auctoritate sceleratorum audacia triumphabat: cum prostratæ religioni victrix insultabat impietas; cum tremefactis omnibus bonis, & optimo quoque pessima omnia metuente, volitantium huc illuc, & in publicis ruinis bacchantium improborum voces undique audiebantur. In his tantis malis ac difficultatibus Carolus Rex plura & se difficiliora, propugnandæ religionis caussa, fecisse ac præstitisse, quam quenquam alium ex omni memoria principem, vere ac merito gloriari potest. Omnes enim alii in externos bella gesserunt; hic suis bellum inferre coactus est. Alii & a suis & ab alienis adjuvabantur; hunc & sui, & alieni oppugnarunt. Aliis, si vincerent, proposita erat, præter gloriam, imperii ac potentiæ suæ amplificatio; sin vincerentur, erat, quo se reciperent: Huic, sive vinceret, spectanda magna strages suorum, cum insigni virium suarum imminutione; sive casu aliquo vinceretur, regno fortassis carendum fuit. Et hæc tamen omnia eum non deterruerunt, quo minus urbes suas obsideret, earum mœnia tormentis bellicis quateret, agros popularetur, obsessos commeatibus intercluderet, prælia, in quibus multi fortissimi imperatores militesque ceciderunt, committeret: omnia denique in solo suo faceret, quæ in hostili fieri solent. Neque, ut opinor, aliud bellum ætate nostra gestum est, in quo, quidquid ex utraque parte periret, uni periret. Quanquam autem messes se suas, ut dicitur, urere intelligebat: tamen, quoniam, integritas religionis aliter conservari non poterat, omnia

sibi

sibi perferenda esse statuebat. Reginæ autem in illis tumultibus quod studium, quæ sollicitudo, quæ concursationes fuerunt? Quid non illa tentavit, quid non molita est, ut omnia quam minimo damno componerentur: ut & conservaretur Catholica religio, quod semper ei præcipuum fuit, & quam minimum sanguinis funderetur? in quo fecit rem gentis suæ nomini mirifice congruentem. Medicata enim est concilio ac prudentia sua communibus totius Galliæ malis; & eam se difficillimis temporibus præstitit, ut non jam verius mater Regis, quam mater regni nominari meritissimo possit. Ejus enim præcipue, & aliorum regni sui procerum, consiliis, & virtute fortissimorum imperatorum ac militum suorum, quorum alii occubuerunt, alii adhuc superstites sunt, Carolus Rex Galliam ex atrocissima tempestate servavit, & in eum, in quo nunc est, statum redegit. Quod si nondum omnia, quo vellemus, plane perducta sunt, cogitare debemus, bene agi cum iis, qui tam graviter ægrotarunt, cum, etiamsi nondum recuperarunt pristinam firmitatem, salus tamen eorum in tuto est. Etiam prudentes Medici solent ex male affectis corporibus vitiosos humores paulatim educere: ne, si semel universos exhaurire voluerint, quos sanare conantur, occidant. Non est verendum, ne faciliora non perficiat is, qui jam difficiliora perfecit. Idem tandem erit exitus horum tumultuum, qui fuit eorum, quos olim Albigenses D. Ludovici temporibus concitarunt. Duodecim annos natus erat D. Ludovicus, cum ad regnum vocatus est: Carolum, aliquanto etiam minorem natu, fratris mors in regio solio collocavit. Tum Blanca Regis mater, & filium sanctissime educabat, & propter teneram illius ætatem, ipsa Galliam administrabat. Horum munerum utroque ita Catharina perfuncta est, ut omnes

nihil perfectius fieri potuisse fateantur. Tum Albigenses, pueritiam Regis, occasionem suam rati, omnia in Gallia permiscere tentarunt. Albigensibus multo tetriores nostrorum temporum hæretici, eadem spe delusi, Regem Regno, regnum religione spoliare studuerunt. Illi cum sæpe victi, neque quiescere, neque ad sanitatem redire vellent, exstincti tandem deletique sunt: Non alia hos quoque fortuna, nisi resipiscant, consequetur. Ad errores Albigensium confutandos, & ad multorum animos eis liberandos, D. Dominici conciones & vitæ sanctitas incredibiliter profuerunt: Non minus te, Beatissime Pater, qui & in D. Dominici familia educatus es, & illum moribus refers & singulari in nos Dei beneficio summam in terris auctoritatem sobtines, Carolus Rex ad hos exitiosus errores tollendos profuturum esse confidit. Novit enim eximiam integritatem vitæ tuæ; novit perpetuum purgandæ Ecclesiæ studium; novit labores in exstirpandis hæresibus ab ineunte ætate susceptos; novit animum nihil nisi de Deo & de utilitate publica cogitantem. Neque nostris ignota sunt, quæ tu ad mores hominum corrigendos, & ad auferendam improbis omnem maledicendi occasionem, & jam fecisti, & quotidie facis. Refrenatas libidines, repressam & cohibitam luxuriam, expulsa nequitiæ instrumenta, sublatam penitus omnem Ecclesiasticarum rerum nundinationem, compositos, & jussu, & exemplo tuo aliorum mores, mutatam in melius urbis faciem, nos vidimus, illi audierunt. His omnibus ex rebus Carolus Rex incredibile gaudium cepit: & ut quod facis, quam diutissime facere possis, a Deo optimo maximo votis omnibus petit. Quem animum suum ut tibi patefaceret, legavit huc clarissimum & nobilissimum virum Justum Turnonium, Comitem Russilionis, magni illius Franciscí Cardinalis

dinalis Turnonii, cujus memoriam & tibi, Beatissime Pater, & vobis omnibus, Patres amplissimi, gratam esse ac jucundam scio, fratris nepotem, hominem, ut omnia uno verbo complectar, suo genere dignissimum: cujus egregiam virtutem & sæpe alias, & proxime in illo memorabili adversus hæreticos prælio spectatam, Rex ipse amplis & honorificis præmiis prosecutus est, cooptato eo in equites ordinis sui & quinquaginta cataphractis equitibus præesse jusso. Per eum Carolus Rex, Beatissime Pater, sibi, & toti Ecclesiæ de tuo Pontificatu gratulatur; te verum JESU Christi vicarium, verum Petri successorem, non dubitanter agnoscit; tibi, & huic sanctæ Sedi vere, atque ex animo, quam debet, obedientiam præstat ac defert; & ut certo sperat, se in omnibus, quæ a te præstari potuerunt, a te adjutum, atque ornatum iri; ita se omnes vires suas ad Ecclesiæ & Sedis Apostolicæ defensionem semper promptissimo animo collaturum, neque hac in re cuiquam mortalium concessurum pollicetur.

DIXI.

Pro Sigismundo Augusto, Rege Poloniæ, ad Pium V. Pont. Max.

ORATIO XIV.

Habita Romæ XIIX. Kalend. Febr.

Anno ɔlɔ Iɔ Lxvii.

Orationis hujus mentio lib. II. Epist. Pauli Sacrati p. 84.

QUantopere gavisus sit universus orbis Christianus, posteaquam auditum est, summum honorem, jam pridem summis virtutibus tuis

debitum, tandem aliquando tibi divinitus delatum esse, Pie Quinte, Pontifex maxime, vel ex hoc intelligi potest, quod concepti ex ea re gaudii vis non vicinarum se regionum, ac provinciarum finibus continuit, sed solis instar, omnia, simul ut exortus est, sua luce complentis, ad remotissimas gentes, & posita in ipsis Christianæ ditionis finibus regna, admirabili celeritate penetravit. Neque vero ei contigit, quod ventis solet, qui cum unde oriuntur, ibi vehementissimi sint, ad longinqua fracti fere, debilitatique perveniunt; sed quod ingentibus, vastisque fluminibus: quæ cum ab ortu ipso magna sint, perpetuo tamen aucta, & tumefacta progressu, eo majores undas volvunt, eo amplioribus ac capacioribus feruntur alveis, quo a fontibus ac capitibus suis longius recesserunt. Ut cum aliis permultis nominibus beatissimum te omnium mortalium prædicare liceat, tum hoc non minimum sit, quod ex honore tibi habito, & ad illos, qui eum tibi decreverunt, immortalis gloria, & ad omnes bonos, qui eum tibi delatum audierunt, incredibilis lætitia redundarit. Ac cæteri quidem viciniores Principes ac populi quanta omnes animorum alacritate recentem Pontificatus tui nuncium acceperint, ex legatis, quos ad te, gratulandi caussa, suo quisque tempore miserunt, cognoscere potuisti: hodierno autem die intelliges, etiam in illis regionibus, quibus Christianorum imperium, terminatur, quanto gaudio pii omnes exsultaverint, quas inter se gratulationes fecerint, quanto consensu meliora, & prosperiora omnia sperare cœperint, cum, quo jam pridem sanctitatis tuæ fama pervenerat, eodem te in istam celsissimam dignitatis, atque honoris sedem adscendisse, perlatum est. Potentissimus enim, idemque religiosissimus Princeps, Sigismundus Augustus, Rex Poloniæ quam jucundus & exoptatus sibi suisque populis ejus rei nuncius

nuncius acciderit, testari cupiens, ea de caussa legavit huc illustrem virum Petrum Barzium, Senatorem Regni, ex quo hæc omnia non minus certo cognoscere, quam si Regis ipsius non os modo intueri, & sermonem audire, verum etiam penitus perspicere intimos sensus animi posses. Is cum mihi mandaverit, ut hodie apud te, in hoc dignitatis majestatisque plenissimo cœtu, & de regni antiquitate, atque amplitudine, & de rebus, quas, multis abhinc seculis, Polonorum Reges ad Christiani imperii fines tum tuendos, tum propagandos, sine ulla propemodum intermissione gesserunt, & de ipsius Sigismundi Augusti Regis pietate, animi magnitudine, fortitudine ac constantia, deque quotidianis pro Christiana Republica laboribus ac periculis dicerem; quæso obtestorque te, Beatissime Pater, tribue mihi hoc beneficium, ut, dum hæc summatim persequor, orationis meæ cursus aura lenitatis ac facilitatis tuæ adjuvetur. Maximas res, memoratuque ac cognitu digniſſimas afferam, & quanquam notas atque illustres, tum suopte splendore ac magnitudine, tum propter regiæ fortunæ sublimitatem, quæ magnorum & potentum Regum actiones obscuras esse non patitur: tamen eo minus pervulgatas, quod Polonorum gens semper in præclaris rebus gerendis, quam in iis, quæ gessisset, memoriæ prodendis, occupatior fuit; semperque majorum suorum virtutem imitari, quam celebrare glorioſius duxit. Atque ut, unde proposui, exordiar, & Poloniæ Rex quam longe lateque dominetur, expediam: tota illa Germaniæ pars orienti soli propior, quæ est inter fluvios Guttalum, quem hodie Oderam vocant, & Vistulam, qui antiquis temporibus Germaniam a Sarmatia dividebat, & Sarmatiæ quantum est a Vistula ad Boryſthenem, & a ponto Euxino usque ad sinum Veneticum, inter quos plus mille Italica passuum millia interje-

terjecta sunt, illius imperio continetur. Regio prope tota æqua, & plana, multis magnisque fluminibus & ad fertilitatem & ad mercaturas commodissimis irrigua, rebus ad vitam necessariis usque ad abundantiam dives. Habitatorum autem ea multitudo, ut cum equitatus regius ex solis nobilibus constet, centum quadraginta equitum millia armare, & in aciem secum, si res ferat, educere Rex Poloniæ possit. Homines natura fortes & animosi, quique non facile aut voluptatibus molliantur, aut periculis terreantur. Mortem per decus obitam, immortalitatis instar; vitam per dedecus retentam, quavis morte pejorem putant. Ignominiam ut fugiant, nihil non fecerint; ut mortem, nihil. Hæc hominum, hæc locorum ingenia. Cinguntur autem omni propemodum ex parte ferociſſimis gentibus, & partim ab Ecclesiæ communione dissociatis ac diremptis, partim apertis & capitalibus Christiani nominis hostibus, ut in illo confinio, tanquam in communi quadam arce ac propugnaculo, fortissimi viri ad sustinendam & propulsandam barbarorum immanitatem, & ad agendas perpetuas pro Christianis omnibus excubias, divino consilio constituti ac collocati esse videantur: quo essent cæteri Polonorum virtute tecti, Polonorum laboribus quieti, Polonorum periculis tuti. Neque mihi videor quidquam a susceptο munere facturus alienum, si breviter exposuero, quemadmodum illos Deus, ante sexcentos abhinc annos, discussis errorum, quibus involuti erant, tenebris, ad Evangelii lucem perduxerit. Quod dum facere ingredior, adeste quæso animis, quicunque corporibus adestis, & in re maximi momenti divinæ bonitatis ac sapientiæ magnitudinem considerate. Omnes fere magnæ & memorabiles in rebus humanis mutationes aliquanto antea aut uno, aut pluribus illustribus ac notabili-

bilibus signis divinitus portendi ac præsignificari solent. Cum igitur tempus illud appropinquaret, quo se Deus Polonis patefacere, eosque impia superstitione purgatos cœlesti doctrina imbuere statuerat: adventantis jam, & instantis salutaris illius mutationis hanc, quam mox audietis, significationem dedit. Imperabat Polonis Ziemomislus Lesci filius, Princeps (quatenus hæc convenire in hominem non Christianum queunt) & justitiæ & clementiæ, & beneficentiæ, & aliarum virtutum laude cumulatus: & in quo nihil præter Christi cognitionem desiderares. Huic, cum multos annos sine liberis esset, graviterque ea re angeretur, tandem natus est filius, sed oculis captus; ita ut non facile dijudicare posset, majoremne dolorem percepisset ex orbitate, an perciperet ex unici filii cœcitate. Omnia remedia, omnes medicorum conatus mali pertinacia elusit. Jam ad septimum annum pervenerat puer, eique patrio quodam ritu primam comam tonderi, nomenque imponi oportebat: cum præter omnium spem subito oculis uti cœpit. Incredibili lætitia perfusus pater convocatos ad se hariolos consulit, quid ex tam admirabili successu filio suo, quid toti Poloniæ portenderetur? Respondent: eo imperante, Poloniam mirabiliter illustratum iri. Ex ea spe atque omine puero nomen inditum Miecislao, quod gentis lingua significabat eum, qui sibi gloriam gladio pariturus esset. Nullo enim alio modo illustrari posse Poloniam, quam bello & armis, cogitabant. Jam adoleverat Miecislaus; jam ad virilem ætatem pervenerat; jam mortuo patre rerum potiebatur; & cæteris quidem virtutibus patri non absimilis, nihil cæteroqui bello egregium aut memorabile gerebat, ita ut tota Polonia, & se credulitatis, & vanitatis vatum suorum responsa damnaret. Sed majus quiddam, quam quod illi suspicati erant, parabat

rabat Deus. Miecislaus, ductis barbarico more septem uxoribus, nullos tamen ex ulla earum liberos procreare poterat. Interea fundente se, ac spargente quotidie latius Christiana religione, pervenerant & in Poloniam sancti quidam viri: qui aut solitariæ vitæ, ut quietioris, & ad res divinas sine ullo impedimento contemplandas aptioris, studio ducti, aut periculorum metu, in abditis & remotis silvarum recessibus delitescentes, Christo, ut poterant, serviebant. Horum quibusdam in animum immittit Deus, ut ad Principem adeant, eique polliceantur, & liberos, & alia multo majora, si, repudiato falsorum numinum cultu, Christum verum Deum agnoscere, & traditam ab eo doctrinam suscipere vellet. Ipse quoque divini spiritus repentino tactus afflatu, promptum se ac facilem salutaribus illorum monitis præbuit. Neque longius res ducta est, quam dum prima ac præcipua religionis nostræ capita edoceretur. Quæ ut percepit, magna pompa ac celebritate publice baptizatur, brevi tempore totam Poloniam ad Christianam pietatem & exemplo suo incitavit, & cohortationibus ac præmiis allexit, & minis ac supplíciis adversus pertinaces propositis perpulit. Tum demum cognitum est, quod Miecislaus totos septem annos cœcus fuisset, significatum esse hoc modo diuturnam Polonæ gentis cœcitatem: quod, omnibus humanis auxiliis frustra tentatis, tandem divino beneficio lucem aspexisset, fore ut populi quoque cœcitas nulla humana ope sanabilis divinitus depelleretur. Neque vana fuit hariolorum prædictio; Eo enim rerum potiente, Polonia splendore divini luminis illustrata est. Notum est autem, interdum fieri, ut etiam superstitiosi & impii homines, Deo permittente, vera vaticinentur. Neque temere inditum nomen. Gladio enim sibi & suis gloriam peperit, non

qui

quidem ferreo, aut ulla ex alia materia confecto, sed gladio illo, utrinque acuto, gladio spiritus, quod, ut ait Paulus, est verbum Dei. Ut autem ab ea Ecclesia, quæ cæterarum omnium mater ac magistra est, Christiane vivendi leges acciperent, & ex eo fonte haurirent, unde nihil non purum & incorruptum hauriri potest, legatos miserunt ad Joannem Pontificem ejus nominis tertium decimum, per quos & eum, ut communem totius Ecclesiæ pastorem, venerarentur, & ab eo sibi peterent Episcopos mitti, a quibus regi, & quæ sibi credenda, quæque facienda essent, cognoscere accuratius possent. Misit ille Italorum hominum spectatæ probitatis & eruditionis idoneum numerum; qui primi novellas illas ac teneras nuper in horto Christi depactas ac consitas plantas, copiosis sanctorum præceptorum imbribus irrigarunt. Hujus Miecislai soror Adleida, cum Geisæ Ungarorum Principi nupta esset, cohortationibus suis perfecit, ut ipse quoque cum tota Ungaria Christi Sacramento adigeretur. Neque vero ejus filius Boleslaus primus Poloniæ Rex, aut majoribus suis laude bellica, aut patri propagandæ religionis studio cessit. Qui susceptο adversus Saxones bello, & ea, quæ illi dudum Polonis ademerant, recuperavit, & cum universam illam oram ad Albim & Salam fluvios, & Chersonesum Cimbricam, quæ hodie Dania vocatur, sub imperium suum subjunxisset, ut ostenderet, eam se victoriam Christo quæsiisse, non sibi; nihil in victos acerbe; aut crudeliter statuit: sed cum eos ad accipiendam Christi doctrinam compulisset, fixis memoriæ caussa in Salæ ripa tribus ferreis columnis, in Poloniam se recepit. Numquid igitur ea laude contentus, otio se postea tradidit? Imo vero declaravit, nunquam desidem atque ignavam esse virtutem, nullas ei esse a præclaris actionibus ferias; fortes & constantes viros

viros honestorum laborum ac munerum perfunctione, non ad quietem invitari, sed ad alia ex aliis assidue suscipienda incitari. Nam cum Prussi aliquot ante annis divum Adalbertum interfecissent, ejusque corpus quidem ipse æquo auri pondere a barbaris redemisset, (mirum hoc quoque pietatis argumentum: sed in tanta temporis angustia multa necessario prætermittenda sunt) cædis autem ultionem in aliud tempus distulisset: tunc demum ratus adveniſſe tempus illud, cum & punienda eorum audacia, & armis frangenda pertinacia esset, bellum eis intulit, neque magno negotio victor non aliam eis pœnam imposuit, quam ut erroribus suis depositis Christo initiarentur. Hic mihi, Beatissime Pater, venit in mentem, quod olim a quodam Græco Imperatore dictum est, qui a suis in exilium pulsus, cum apud hostes, ad quos confugerat, multo lautius ac magnificentius haberetur, quam apud suos: Perieramus, inquit, nisi periissemus. Ita enim & qui ab illo principe vincebantur, dicere poterant, se, nisi ab eo victi essent, perituros fuisse. Quid ego jam, ut Pomerani a Boleslao tertio, Prussi a Boleslao quarto ad Christum, a quo defecerant, revocati sint, persequar? Rerum me copia, Beatissime Pater, inopem consilii reddit. Quod si in me ulla dicendi vis ac facultas esset, optarem equidem aliquam mihi non tam uberem ac copiosam ad dicendum materiam dari: ut in singulis ejus partibus accurate percensendis, copiose exornandis, artificiose exaggerandis, jactare atque ostentare me possem. Nunc enim, ut pictor, cui in exigua tabella ingens aliqua multitudo hominum exprimenda est, nonnullorum vultus tantum atque ora, multorum summa modo capita ostendit, totum reliquum corpus abscondit: ita me, cui innumerabilia Polonorum regum ac populorum æternis dignissima laudibus

bus facta in angustum unius brevissimæ orationis curriculum concludenda sunt, multa, quæ, si pandi explicarique possent quasique spectanda proponi, incredibilem admirationem excitarent sui, delibare modo, & attingere, multa etiam significare potius, quam ostendere, necesse est. Ideoque ne de bello quidem, quod Boleslaus Quintus cognomento Pudicus adversus Jazygas, qui hodie partim Valachi, partim Ungari sunt, gessit, copiosius dicam: tantum quasi præteriens admonebo, eum, cum gentem illam ferociſſimam deviciſſet, illos omnes, quorum virtuti, ut ait vetus poëta, fortuna belli pepercerat, quasi opima quædam spolia Christo consecrasse, neque aliud eis, quam ut Christiani fierent, imperasse. Ad Jagellonem enim Sigismundi Augusti proavum festinat animus, cujus admirabili inusitatæque virtuti utinam par a me adferri posset orationis genus! Sed ita prorsus existimo: omnes, qui ubique sunt, eloquentissimos homines, si communi studio ad eum celebrandum quidquid habent in dicendo virium conferant, omnia tamen illius dignitate inferiora dicturos. Id ita se habere eos, qui me attente audire non gravabuntur, facile cognituros esse confido. Lituania, Beatissime Pater, amplissima, & fortium virorum feracissima regio, cæteris finitimis populis ad religionem Christianam adductis, in veteri superstitione perstabat. Colebant autem ejus provinciæ homines ignem pro Deo, ei aras, ei templa ponebant, eum summa diligentia in celeberrimis quibusque oppidis perpetuum asservabant. Fulmini quoque divinitatem quandam inesse credebant, idque sua lingua Deum Percunum nominabant. Sed & lucos & selectas quasdam in silvis eximiæ proceritatis arbores venerabantur ut Deos. Viperis quoque & aliis serpentibus eundem tribuebant honorem. Qui quid

horum violaſſet, inexpiabile ab eo ſcelus conceptum putabant. Cum hoc per ſe mirabile erat, tales tantamque provinciam tanto tempore in tanta errorum fœditate verſari, tum illud accedebat incommodi, quod gens bellicoſa & ferox finitimos ſibi Chriſtianos quotidianis incurſionibus laceſſens, nunquam quieſcere patiebatur. Ei genti annos abhinc amplius ducentos viginti imperabat Jagello, idemque præterea & Samogitiam & magnam Ruſſiæ partem obtinebat, fortis & ſtrenuus Princeps, & quanquam religionis noſtræ myſteriis nondum initiatus, tamen, ut qui Chriſtiana matre genitus eſſet, animo ab ea non prorſus alieno. Cum igitur per id tempus mortuo Ludovico Ungariæ & Poloniæ rege, regni proceres de Heduigi ejus filia, ad quam regnum delatum erat, in matrimonium collocanda deliberarent, ecce ab Jagellone legati, qui renunciarent, eum cum omnibus ſuis velle Chriſtianum fieri, petere, ut ſibi Heduigis uxor daretur: hoc ſi fieret, paratum eſſe omnes ditionis ſuæ provincias cum Poloniæ regno ea lege conjungere, ut nunquam divellerentur. Quam lubentibus animis Poloniæ Proceres eam legationem audierint, nihil opus eſt dicere. Suſtulerunt manus ad cœlum, & gratias egerunt omnium bonorum auctori DEO, qui tandem illorum populorum miſertus, eam mentem immiſiſſet Jagelloni. Ipſa tamen Heduigis, in qua eximiam formæ pulchritudinem ſingularis modeſtia æquabat, nihil de matrimonio ſuo ſine matris auctoritate ſtatuere voluit, totamque rem ad illius voluntatem rejecit. Miſſi ad eam oratores in Ungariam, quo ſe mortuo viro contulerat, quibus illa reſponſum dedit pietatis & prudentiæ plenum. Longe a ſe abeſſe eam mentem, ut quidquam impedire vellet, quod & ad amplificandum regnum Poloniæ, & ad religionem latius ſpargendam pertineret.

Co-

Cogitarent Poloni, & in commune consulerent, reque mature deliberata id facerent, quod & Deo acceptissimum, & regno utilissimum putarent fore. De procerum igitur sententia, constituto ad nuptias celebrandas die, Cracoviam magno septus comitatu venit Jagello: & quia fortassis a matre puer acceperat, sanctos illos Reges, quorum memoriam nuper Ecclesia recolebat, ad adorandum Christum recens natum non sine muneribus venisse, ne ipse quidem immunis ad Christum venire voluit, eique pro munere non thus, non aurum, non myrrham, sed fratres suos, quos secum baptizari voluit, sed Lituaniam, sed Samogitiam, sed Russiam, sed omnes uno verbo, quos in potestate habebat, populos obtulit. Quam jucundum illud non hominibus modo, sed angelis ipsis fuisse spectaculum credimus, cum vir fortissimus ad sacros fontes incredibili alacritate properaret; cum se in vas ad eam rem præparatum cupidissime immergeret; cum magna & clara voce Deum & homines testaretur, ut in se aqua illa spargeretur, ita se pro Christo sanguinem suum, ubi res ferret, sparsurum esse! Baptizatus igitur & novo nomine Vladislaus Jagello dictus, postridie Idus Februarias; eodem die reginam in matrimonium duxit, neque multo post consecratus & inunctus, & coronatus Rex Poloniæ, totum eum annum in pacando regno consumpsit. Eo autem anno, qui proxime secutus est, cum ei nihil longius videretur, quam dum populos suos in Christianorum numerum aggregatos videret, comitatus uxore & multis principibus viris, multis item Episcopis ac sacerdotibus, in Lituaniam profectus, quam multis, quam certis, quam inusitatis documentis pietatis suæ magnitudinem testatus est! Nam cum populum ægre ab inveterata superstitione avelli videret, ipse omnibus inspectantibus, manu sua illis, quas aliquando

coluerat, arboribus magna vi secures impingens, easque ab radicibus deturbans, tum ingentem vim aquæ profundens in illos tamdiu adoratos ignes: *Non est*, clamabat, *non est Deus, quod exscindi ac dejici, non quod exstingui potest. O mirificos Deos, quorum alter alteri pro pabulo est, alter alterum absumit! In venenatis autem & mortiferis animalibus quæ potest esse divinitatis similitudo? Agnoscite, agnoscite miseri errorem vestrum, & respiscite, & tandem aliquando mentis oculos ad Deum omnium rerum effectorem convertite: ne, dum æternum (ut falso putatis) ignem colitis, in alium ignem vere æternum incidatis.* Simul hæc, simul eis religionis nostræ principia, ut poterat, edisserebat: ut eodem tempore & vetus ille ignis pro Deo habitus, exstingueretur, & novus ignis divini amoris in eorum pectoribus accenderetur. Cumque neque sacerdotes, quos secum adduxerat, Lituanicam linguam, neque Lituani ullam aliam intelligerent, ipsemet eos summam fidei nostræ ab Apostolis traditam, quam symbolum vocamus, ipse formulam precandi a Christo JESU institutam, ipse cætera, quæ discere solent ii, quos Catechumenos vocamus, in Lituanicum sermonem convertens, neque ullum in ea re laborem subterfugiens, edocebat. O regem rari & singularis exempli! O ardorem animi commemorabilem! O pietatem omnibus seculis prædicandam! Ita igitur inflammavit Lituanorum animos, ut ad danda Christo nomina, & ad sacrosanctam illam aquæ aspersionem simul omnes facto agmine concurrerent, neque longiorem moram pati non posse clamarent. Ideoque solis nobilibus singulatim baptizatis, cætera multitudo idem sacramentum catervatim distributa suscepit. Quid ego nunc exstructarum ab eo sacrarum ædium multitudinem, quid divitiarum Ecclesiastici ordinis hominibus attributarum magnitudinem exponam?

ponam? Quid susceptos in Samogitia ad Christum traducenda labores, & obita eadem illa munera, quæ in Lituania obierat? Illud vero minime prætereundum est, quod ne regnandi quidem suavitas, maxima illecebra peccandi, quæ sæpenumero multos adversus alia omnia satis firmos abstulit, ullam vim habuit, ad Vladislai fidem ac constantiam labefactandam. Nam cum Bohemi, quorum animis paulo ante Joannes Huss & Hieronymus Pragensis pestiferum opinionum suarum virus afflaverant, mortuo Venceslao rege suo, legatos ad eum misissent, per quos ei regnum deferebant, multisque precibus obsecrabant, ut id aut ipse, aut Vitoudus frater ipsius patruelis susciperet: maximo uterque animo eorum preces repudiavit, addita illa nobili, & nunquam satis celebrata voce: Religionem sibi esse, hæreticis imperare. Non patitur temporis brevitas, ut aut plura de hoc dicam, aut de ejus filio Vladislao tertio Poloniæ & Ungariæ Rege, qui, ut Pontificis maximi auctoritati pareret, cum Turcis, quos diu vexaverat, multisque præliis fuderat, fregerat, afflixerat, redintegrato adversus pactas cum eis inducias bello, tum quoque magna eorum edita strage, in ipsa tandem acie fortissime dimicans interfectus est. Eademque me causa cogit, tum alios aliquot reges silentio involvere, tum in Sigismundo primo, Sigismundi Augusti patre, laudando esse breviorem. Cujus pietatem quidem ac religionem magnificentissima templa partim instaurata, & refecta, partim ditata, partim etiam a fundamentis excitata, & perpetuum prohibendarum a regno suo novarum opinionum studium; bellicam vero fortitudinem tam multæ, tamque memorabiles de Moschis, de Valachis, de Tartaris, de Turcis victoriæ, &, ut cætera taceam, octoginta Tartarorum millia uno ad Borysthenem prælio profligata testantur. Quin cum octo-

ginta duos vixisset annos, carus suis, metuendus hostibus, utrisque venerandus, satur vitæ, satur gloriæ, moriens, Sigismundum Augustum non regni magis quam virtutum suarum hæredem reliquit. Hic si præsens adesset, Beatissime Pater, sanctissimos pedes tuos deosculatus, hac ad te oratione uteretur: Magno gaudio affectus sum, Pater sanctissime, cum te ad Ecclesiæ gubernacula admotum, & in isto celsissimo inter mortales solio collocatum esse cognovi. Qualem enim jam dudum certa & constanti fama esse te acceperam, tali gubernatore navim Ecclesiæ in his turbulentissimis tempestatibus egere intelligebam. Quem in locum Christiana Respublica deducta sit, etsi dubitandum non est, quin tu ex ista edita ac præcelsa specula optime videas: nos tamen, qui ab hostibus undique circumsessi sumus, certe propius intuemur. Et ab hoste immanissimo ac potentissimo invadimur, & domesticis seditionibus laboramus. Neque ulla res majores ei animos facit, quam quod intelligit, graviori & implacabiliori odio Christianos a Christianis, quam Christianos a Turcis dissidere. Ita qui conjuncti ac conspirantes terrori essemus, divisi ac dissentientes ludibrio & despectui sumus. Jamque mali vis, invitissimis, & ne quidquam retinentibus nobis, non obscure per partes usque adhuc integras serpit. Et alia hoc regna nuper magno bonorum omnium mœrore senserunt; & nos, quanquam omnia prohibendi causa facimus, pervincere tamen non possumus, ut nihil populis nostris vicinitate ac contagione noceatur. Hem, nunquamne his tot, tam gravibus, tam diuturnis calamitatibus remedium aliquod reperietur? At tu, Beatissime Pater, cujus & apud Deum preces propter sanctitatem, & apud homines jussa propter auctoritatem, plurimum valent, per illam, qua genus humanum complecteris, charitatem,

tatem, per illam curam, quam Christianis omnibus & debes & præstas, per illum ipsum, cujus in terris vice fungeris, JESUM Christum, succurre ac subveni communibus malis, & omnes cogitationes, omnia consilia, omnem auctoritatem ac potentiam tuam confer ad Christianos populos & purgandos ab erroribus, & firma ac stabili concordia inter se deviciendos. Quod igitur rex ipse per se facere propter locorum distantiam non potest, id per hunc clarissimum virum oratorem ad te suum facit: per eum tibi gratulatur, per eum ad te omnes vires ac copias suas defert, per eum tibi & huic sanctæ Sedi obedientiam præstat, quamque laudem a majoribus suis hæreditariam accepit excubandi assidue pro Christianis, & quicunque hostes Christi atque Ecclesiæ fuerint, eosdem semper habendi pro suis, eam se diligentissime, ut semper fecit, conservaturum, neque unquam ab eorum virtute degenerâturum esse promittit. Tibi autem, Beatissime Pater, cum omnia fausta & prospera precatur, tum quo facilius ea, quæ a te exspectantur, perficere possis, illud a Deo votis omnibus petit, ut publico Ecclesiæ bono non minus diu Pontifex vivas, quam te Pontificatu dignum vixisse, omnes, qui vere & incorrupte iv dicant, confitentur.

DIXI.

De toto studiorum suorum cursu, deque Eloquentia ac cæteris disciplinis cum Jurisprudentia coniungendis.

ORATIO XV.

Habita Romæ Anno M. D. LXVII.

Non eram nescius, cum hanc Pandectarum interpretandarum provinciam susciperem, fore, ut multis

multis sermonem darem: quibus mirum ac novum videretur, me, qui tot annos in hoc docendi munere ita consumsissem, ut eos modo libros attingerem, qui aut ad eloquentiam, aut ad Philosophiam pertinerent, mutata subito voluntate, ad tractationem juris civilis tam longo intervallo redire: a quo me plerique jam pridem animum omnino avocasse, & ad mitiora studia, tanquam ad Sirenum scopulos, adhæsisse, aut quasi loti cujusdam Homericæ, ita illorum dulcedine, ac suavitate captum, hujus jam ne per somnum quidem meminisse arbitrarentur. Quibus ut satisfaciam, simulque vobis omnibus hujus consilii atque instituti mei rationem reddam: etsi non libenter facio, ut de me loquar, tamen antequam progrediar longius, pauca quædam de toto studiorum meorum cursu breviter commemorare constitui. Quæ si audire ac cognoscere grave non erit, spero fore, ut gravissimi quidem & eruditissimi homines, quos hic adesse video, factum meum non improbent: vos autem, optimi & studiosissimi adolescentes, etiam fructum aliquem ex hac narratione capiatis. Cum enim, quæ præcipue res progressus meos retardaverit, meque decurso jam spatio a calce ad carceres, ut dicitur, revocaverit, cognoscetis; forsitan, exemplo meo edocti, melius ipsi vestris rationibus consuletis. Ego igitur, ut primum puer Grammaticorum, & Rhetorum præceptis visus sum utcumque imbutus esse, leviter gustatis Dialecticæ principiis, cæteris autem Philosophiæ partibus ne a limine quidem salutatis: nullæ Græcæ linguæ intelligentia, nullo rerum usu, nulla antiquitatis cognitione instructus, animum ad jus civile appuli, & iis doctoribus, qui tum illis in locis optimi putabantur, annos aliquot operam dedi. Jamque eo processeram, ut, quæ tum præcipue laudes habebantur, & in argumentando satis acutus, & in respon-

spondendo non incautus, & quacunque de re ageretur, abunde loquax essem: &, quod multis palmarium videbatur, multarum legum non intellectarum principia uno spiritu citare, multorum interpretum nomina recensere, multos versus, multas paginas, multas columnas, porticus etiam, ut opinor, peristylia, & intercolumnia, nullo negotio, numerare quamlibet multa possem. Cum ipse me eo nomine circumspiciebam, meque pulchrum ac beatum putabam, tum uno ore omnes, ut ait Comicus, omnia bona dicere, & laudare fortunas meas, qui tantula ætate tantam mihi, ut ipsi putabant, sapientiæ, ut res ipsa docuit, stultitiæ & inanium opinionum supellectilem comparassem. Jam omnes me mei foro & cancellis & subsellijs destinabant, magnamque in spem venerant, rabulam me aliquem non in postremis fore, confidentem, acrem, contentiosum; præsertim cum & natura essem firmis lateribus, & voce magna, & quod caput est, illi me quos dixi magistri, si non multum sapere, at certe, quod apud eos pro eodem erat, multum audere, multumque clamare docuissent. Quid verbis opus est? Inibi jam erat, ut illud vitæ genus ingrederer, cum DEUS (DEUS enim fuit, neque hoc mihi ex animo excuti potest,) DEUS igitur effecit, ut quædam Budæi & Alciati & aliorum ejusdem notæ hominum scripta, quæ nunquam ante illud tempus adspexeram, in manus meas venirent. Quæ cum evolvere cœpissem, passimque in eis multa reperirem, quæ de magistris meis nunquam audissem; multas sententias, quas illi me ratas ac firmas esse docuissent, gravissimis argumentis convulsas ac labefactatas; multa ex Græcis scriptoribus deprompta, multa ex antiquitate repetita, quibus in omnibus mihi tenebræ essent: nolite quærere, quid mihi animi fuerit. Visus mihi sum de cœlo decidisse, aut in alium quendam orbem delatus esse:

se: neque aliter affectus sum, quam egeni & inopes homines interdum solent, qui cum totam noctem somniarunt, se divites repente factos esse, ubi diu gemmas, aurum, purpuram dormientes contrectarunt, experrecti, omnia domi suæ obtenta telis aranearum vident. Quid facerem? ego ille paulo ante tumidus & ferox, cum mihi derepente vultus, animus, verba cecidissent, jamque suffusus pudore, verecundarer inter eos versari, qui de me ita magnifice senserant: subduxi me clanculum ex illis, in quibus diu merueram, castris, & in Græciam navigavi, id est, ad Græcarum litterarum & disciplinarum magistros me contuli; eademque opera perlustravi etiam vetus illud Latium, id est, omnes ad unum veteres linguæ Latinæ scriptores diligenter & accurate pervolutavi, sedulo undecumque omnia colligens, quibus mihi Jurisprudentia instructior, & ornatior fieri posse videretur. Atque in hac peregrinatione, tum in Lycei ambulationibus, tum in Academiæ spatiis, sæpe me exercui: neque aut illius e Gargetto delicati atque otiosi senis hortos invisos præterii, quanquam venenorum quam salubrium herbarum feraciores, neque disjectas veteris illius Pœciles, non tam Polygnoti manu, quam Zenonis ingenio nobilitatæ, reliquias neglexi. Et ut magnam voluptatem capiunt, qui ad magnorum ac nobilium fluminum, Euphratis puta, aut Nili, fontes ac capita ipsa venerunt: ita juvit me incredibiliter, cum apud illos sapientissimos senes cernerem, quibus ex fontibus manasset ampliſſima illa juris civilis flumina, per quæ, toto orbe sparsa atque diffusa, tam multi assidue summo homines ingenio navigarent. Interea, ut paterfamilas, qui mercaturæ causſa in longinquas terrarum oras profectus, dulcem eximieque animo caram domi uxorem reliquit sæpe de ea cogitans, sicubi aut gemmam aliquam

au

aut scite tornatum annulum, aut monile baccatum, aut segmentatam vestem, aut talia mundi muliebris ornamenta conspexit: studiose omnia comparat ac seponit, quibus eam, domum reversus, muneretur: sic me per omne scriptorum genus vagantem nunquam ea cura ac cogitatio deserebat, ecquid decerpere ac delibare ex eorum unoquoque possem, quod, cum ad Jurisprudentiam reverterer, ad eam expoliendam & exornandam accommodatum esset. Sciebam enim, quam turpe haberetur, & diu manere, & inanem redire. Quod autem Homerus ait: Ulixem in illo diuturno errore crebro spectare solitum Ithacam versus: itidem ego ad Jurisprudentiam identidem reflectebam oculos, & ab ea tam diu abesse me, vix satis æquo animo ferebam. Quin etiam, ne me amœniores illæ disciplinæ usu quodammodo suum facerent, multa sæpe numero faciebam usucapionis interrumpendæ gratia: quod & mea qualicunque scripta declarant, crebris Jurisconsultorum adspersa sententiis, & quotidianæ disputationes, quibus, quoties erat occasio, aliquid ex hac disciplina petitum intexebatur, non obscure indicabant. Nunc, cum mihi videar non ea quidem omnia, quæ animo conceperam, perfecisse, sed usque eo tamen progressus esse, ut iis, qui juris civilis cognitionem ex ipsis fontibus haurire cupiunt, opis aliquid adferre possim: putavi tempus jam ipsum postulare, ut prodirem, & navatæ in hoc genere studiorum operæ, specimen aliquod darem. Cur autem Pandectas potissimum extra ordinem interpretari voluerim, caussa hæc fuit. Videbam eruditissimos in hac schola viros, quibus docendi juris munus mandatum est, ita se in eo gerere, ut, ipsa si loqui posset Jurisprudentia, non certius, aut copiosius, aut majori cum dignitate videatur explicatura sensus suos, quam ab illis quotidie explicantur. Omnia

ex

ex eorum ore profluunt, quæ in hac arte aut cogitari prudenter, aut disputari acute, aut certo definiri ac statui possunt. Itaque cum in omnibus habeam, quod admirer, in nullo habeo, quod desiderem. Sed illi tamen, quid dignitati suæ, eique, quam meritissimo obtinent, auctoritati consentaneum sit, intelligentes, perpetuo in gravium & arduarum quæstionum tractatione versantur; exquisitam singularum vocum explicationem, ut humile quiddam, neque satis dignum, in quo tempus conterant, aut prætermittunt, aut modice attingunt. Planeque si ad eos audiendos ii tantum accederent, quos oporteret, id est, qui prius in Grammaticorum, Rhetorum, Philosophorum scholis diu multumque exercitati essent: nihil amplius, quam quod ipsi cumulatissime præstant, requireretur. Nunc, quod ego me principio feciſſe dixi, ut ad jus audiendum aliarum omnium artium rudis accederem, in eo vereor ne etiam hodie a plerisque peccetur. Cogitavi igitur, si pro mea virili parte huic incommodo mederi studerem, neque invidiosum id mihi, neque inutile aliis fore. Nam neque invidiam habet ullam, quod ab aliis neglectum jaceat, id sumere: & in exercitu non tantum imperatorum & tribunorum ac centurionum, sed & gregariorum militum, & calonum quoque ac lixarum aliquis usus est. Neque si gubernatorum in navi regenda præcipuum est munus, non ii quoque utiles sunt, quorum in sentina exhaurienda omnis consumitur labor. Quanquam, si id, quod res est, fateri, si recta & vera speciosis ac fucatis anteponere, si quanti res quæque sit, non quanti vulgo fiat, spectare volumus: multo plus est in hac pura & simplici verborum explicatione momenti, quam plerique fortasse suspicarentur. Nam cum verba, ut ait Aristoteles, sint eorum, quæ animo concepimus, notæ; fieri nullo modo potest, ut,

ut, qui vim verborum non percipit, eam sententiam, quæ illis verbis expressa est, assequatur. Itaque & idem Aristoteles alibi ait, eos, qui, quid quoquo verbo proprie indicetur, non satis intelligunt, in rebus judicandis sæpenumero falli: & apud Platonem Cratylus ex verborum intelligentia cognitionem rerum pendere dicit. Et quis tandem est, qui nesciat, patrum avorumque nostrorum memoria, cum perversa quædam ac pestifera opinio invaluisset, nihil cultum orationis, nihil historiæ veteris notitiam ad eos, qui graves ac serias disciplinas tractarent, pertinere, Græcas vero litteras etiam impedimento esse, quanta & quam densa caligo universum prope terrarum orbem obtexerit? quantaque verborum neglectum, rerum ignoratio consecuta sit? Sed, quid necesse est huic rei aliunde argumenta petere? illi ipsi, quorum libros quotidie terimus, veteres Jurisconsulti in explicandis legibus, Senatus consultis, edictis prætorum aut ædilium, constitutionibus, decretis, epistolis principum, quam, quæso, viam rationemque tenuerunt? Nempe in patefacienda singularum vocum vi ac proprietate tam multi tamque assidui sunt, ut magnam industriæ suæ partem in eo consumere videantur. Quod prolatis ac productis ipsorum locis probarem, si quam facile, tam necessarium esset. Antistium Labeonem Jurisconsultum nobilissimum cum alicubi valde commendasset Gellius, ad postremum addit: *Latinarum vocum origines rationesque percalluerat, eaque præcipue scientia ad enodandos juris laqueos utebatur.* Hos me sequentem duces nemo, ut opinor, merito culpaverit. Quam igitur interpretandi viam nobis Ulpianus, Paulus, Gajus, Marcellus, cæterique juris antistites præiverunt, eam sequemur, & eorum vestigiis, quantum vires nostræ ferent, insistentes, summa ope conabimur efficere, ut neque prætermitta-

mus

mus neceſſaria, neque inutilia conſectemur: & quotidie tamen aliquid minime vulgare minimeque contritum adferamus. Quod ut jam nunc perſpicere poſſitis, dum ad titulum de juſtitia & jure interpretandum accedo, quæſo, diligenter attendite.

DIXI.

Cur ad munus docendi, quo ſe ſponte abdicaverat, revocatus ſit.

ORATIO XVI.

Habita Romæ Prid. Kalend. Mart.
Anno cIↃ IↃ Lxix.

Gordium

QUod antiquitus a ſapientiſſimis viris dictum eſt, non licere cuiquam mortalium, quid facturus, aut non facturus ſit, certo pronunciare, quod in vita multa eveniunt, tum ut ea ne facias, quæ facere decreveris, tum ea ut facias, quæ nunquam facere conſtitueris: id ego & ſæpe antehac in aliis, & in meipſo nuper veriſſimum eſſe cognovi. Nam in hoc publice docendi munere quinquennium jam cum aliqua hominum approbatione verſatus, eo me, ut ſcitis, ſuperioribus menſibus ſponte abdicaveram; idque eo animo, ut, quod ex me ſæpe auditum eſt, nunquam me poſtea eandem provinciam ſuſcepturum, nunquam eosdem labores denuo ſubiturum putarem. Cogitabam, ſatius eſſe deſinere, quam deficere: me, ſive placuiſſem, ſatis jam ſpectatum eſſe; ſive diſplicuiſſem, plus ſatis: ſatius eſſe cum deſiderio, quam cum ſocietate diſcedere: utcunque eſſet, tradendam quaſi curſu aliis lampada, qui & laboris patientiores, & doctrinæ copia inſtructiores, inſtitutam hic & inchoatam a nobis majore animo, quam viribus jurisprudentiæ cum eloquentia & cum antiquitatis cognitione conjunctionem exædificarent, ad ſum-

Narratio

ſummumque perducerent. Mihi ad nominis mei commendationem abunde videbatur, tanti ac tam præclari operis aliqua ſaltem fundamenta jeciſſe, & præſtando, quod poſſem, alios, qui plus poſſent, ut experiri vellent, exemplo meo excitaſſe. Jamque totus in eo eram, non ut me languori quidem ac deſidiæ dederem, qui ſemper ignavorum vitam mortemque juxta æſtimaſſem: ſed ad eas artes mecum recolendas ac celebrandas referrem, quibus usque a puero deditus fui: & ad mandandas litteris cogitationes quasdam meas, quibus efficerem, conarer quidem certe, ut quod mihi otium Hippolyti Cardinalis Ferrarienſis, ſtudiorum ac fortunarum mearum Patroni, ſumma liberalitate conceditur, ejus aliquis fructus non ad præſentes modo & eos qui nunc ſunt, ſed & nunc ad exteros, & olim ad poſteros perveniret. In hac me cogitatione defixum, & tanquam in portu, complicatis velis, cæterisque armamentis omnibus compoſitis quieſcentem, veſtra, Cardinales ampliſſimi, auctoritas expergiſci denuo, & ſubductam jam navim mutato conſilio, deducere, & vela ventis pandere coëgit. Quæ mihi res eo mirabilior viſa eſt, quod non deerant homines & ingenioſi, & eruditi, & exercitati, qui vobis ad hoc munus obeundum ultro ſtudium atque operam profiterentur ſuam: quorum etiam unum a me ipſo vere atque ex animo commendatum eſſe memini. Itaque, ut in hiſtoriis eſt, eos, qui M. Catonem in præturæ petitione ſuperarant, ipſosmet mirari ſolitos, quod ſe tali viro populus Romanus prætuliſſet, ſic fateor, mihi mirum viſum eſſe, quid ita vobis potius libuerit, me alia jam omnia cogitantem, etiam cum aliqua ad vetus honorarium acceſſione revocare, quam in locum meum aliquem ex eis ſufficere ac ſubſtituere, qui id in beneficii loco petebant. Quod ego neque ita me ignoro, ut mihi tribu-

Confirmatio I

am,

am, ac non vestræ potius humanitati, quam ulli merito meo acceptum feram: & tamen non debeo esse, aut adversus dignitatem meam, aut adversus vestra judicia improbe curiosus. Nam, sive aliquid esse in me, cur hic honos mihi habendus esset judicastis, potius eniti ac contendere debeo, ut vestram de me opinionem rebus confirmem, quam ut verbis refellam: sive, quod magis credo, vestra tantum in eo humanitas, & quædam erga me voluntatis propensio valuit, non minus optabile, aut honorificum duco, a vobis amari, quam magna aliqua sive eruditione, sive eloquentia præditum judicari. Illud quidem neque reticere, neque dissimulare possum, recentem istam vestræ erga me voluntatis significationem magnum mihi onus imposuisse, magnam curam & sollicitudinem, magnam vigilandi, laborandi, contendendi omnes industriæ meæ nervos necessitatem attulisse. Non enim mihi tantum elaborandum est, ut si quam mihi existimationem superiorum annorum labores vigiliæque pepererunt, eam conservem ac tuear: sed multo magis, ut vestra de me judicia sustineam, & aliqua saltem ex parte respondeam illi exspectationi, quam de me, ut verisimile est, in multorum animis pondus auctoritatis vestræ concitavit. Quod quidem me studiosissime constantissimeque facturum vobis omni adseveratione confirmo, daturumque operam, ut hæc, qua nunc cincti ac circumfusi estis, studiosorum adolescentium multitudo, si nulla alia re, at certe industria & assiduitate vix alium quemquam a vobis ad rationes suas accommodatiorem huic muneri præfici potuisse fateatur. Sed jam tempus esse videtur, ut specimen vobis aliquod exhibeam ejus rationis ac viæ, quam & usque adhuc in docendo tenui, &, nisi vos aliud jubeatis, deinceps perpetuo tenere decrevi. Quod dum facio, date mihi, obsecro, hanc veniam,

niam, ut avertam a vobis orationem, atque ita differam, quasi ii tantum adessent, quorum caussa me rude jam, ut arbitrabar, donatum, in hanc arenam denuo revocandum censuistis.

DIXI.

De Doctoris officio, deque modo Jurisprudentiam docendi.

ORATIO XVII.

Habita Romæ Prid. Non. Novembr. Anno cIↃ IↃ Lxix.

MAjorem indies fructum capio ex hoc consilio atque instituto meo, exornandi *juris* civilis, neque lautius modo ac nitidius, sed distinctius etiam & ad rudiorum captum accommodatius, quam plerique vulgo solent, explicandi. Nam etsi satis intelligo, non tantum mihi esse vel virium vel auctoritatis, quantum ad hoc, quod animo concepi, quodque omnibus votis expeto, plane perficiendum requireretur: juvat tamen, tanti ac tam præclari operis qualiacunque fundamenta jacere experiri, si forte alios rebus omnibus instructiores commovere, & ad eandem cogitationem suscipiendam excitare possim; efficere denique, ut quicunque olim de hoc meo conatu vere judicare & poterunt & volent, quidvis mihi potius, quam aut in deligenda recte docendi ratione ac via judicium, aut in eadem aliis commonstranda voluntatem defuisse fateantur. Quibus enim rebus ejus, qui quamcunque artem docere instituit, officium contineri arbitror, eas ut præstarem, & alias semper, & præcipue ex quo libros Pandectarum explicare ingressus sum, magno mihi studio elaboratum est. Ac ne quis forte quærat, quæ tandem illa sint, in quibus & mul-

multum operæ posuisse me dico, & multum ponendum esse omnibus, qui docendi munus ita ut oportet obire ac sustinere meditantur: exponam ea, ut potero, breviter, vobisque potestatem faciam, ex iis, quæ hodierno die de doctoris officio dicam, existimandi, quid a me in posterum non exspectare tantum, sed etiam exigere debeatis. Existimo igitur duobus verbis comprehendi posse munus ejus, qui docet: videndum enim ei esse, quid doceat, & quomodo. Prius illud eam vim habet: curandum esse ei, primum ut vera doceat; tum ut propria ejus artis, in qua versatur, aut certe cum eo quod agitur conjuncta & cohærentia. Modus autem docendi is est, ut perspicue doceat: quod duabus rebus conficitur, ordine & genere sermonis ad res enodandas & enucleandas accommodato. Hæc omnia qui præstet, ut in docendo & vera tradat, & pertinentia ad eam artem, quam docet, & ea ita distinguat, ut suo quidque loco digerat ac collocet, & verbis propriis, significantibus, ab eorum, qui pure ac nitide loquuntur, consuetudine non abhorrentibus efferat atque eloquatur, ei ego nihil omnino ad summi ac perfecti doctoris laudem deesse statuo: qui autem, cum ea plene quidem & absolute præstare non posse se agnoscat, eo tamen quidquid habet virium confert, ut ad eas laudes quam potest proxime accedat, dignissimum esse, cujus honestissimos conatus, & industriam ad præclara tendentem bonorum omnium perpetuus applausus approbatioque comitetur. In his omnibus varie peccatum esse video a multis eorum, qui quadringentos fere abhinc annos jus civile tractarunt: quorum etiam nonnulli tanto apud multos in pretio sunt, ut, quasi Atlantis humeris cœlum, ita eorum auctoritate hujus artis dignitas sustineri putetur. Nam & multa sæpe pro veris falsa docuerunt; & referserunt libros suos alienissimis quæstioni-

ſtionibus; & ſine ullo ordine omnia tradiderunt; & cum Latine loqui neſcirent, novum quoddam & monſtroſum ſibi confinxerunt loquendi genus, ut ſi veteres illi Pauli, & Ulpiani, & Papiniani & cæteri juris antiſtites reviviſcant, multis interpretibus eis opus futurum ſit, ad eos, qui ſcripta ſua interpretati ſunt, intelligendos. Ac cur falſa quidem pro veris tradiderint, non negaverim alias quoque fuiſſe cauſſas: duas tamen præcipuas fuiſſe arbitror: ignorationem antiquitatis, & perverſum quoddam ſtudium contradicendi. Etenim cum tota Reipublicæ atque imperii Romani facies ita verſa atque immutata eſſet, ut nullum retineret veteris formæ veſtigium, aliæ conſuetudines eſſent, aliæ leges, alia religio, alii magiſtratus, alia judicia; exſtincto autem lumine Latinarum & Græcarum litterarum, omnia denſiſſimis ignorantiæ tenebris ſepulta atque obruta tenerentur; fieri nullo modo potuit, quin homines ejus Reipublicæ ignari, cujus leges & jura tractabant, tanquam in illuni nocte ſine lumine errantes, ſæpe offenderent, ſæpe laberentur, ſæpe quovis potius, quam quo inſtituerant, pervenirent. Ad quod incommodum cum aliud acceſſit ex prava quadam ambitione, quæ multorum ex illis animos occuparat, ut indecorum putarent, cuiquam aſſentiri, ac tum demum ſibi pulchri ac beati viderentur, ſi ſuperiorum placita labefactare ac ſubvertere, ipſi autem aliquid, quod ante ſe nemo dixiſſet, adferre potuiſſent, quaſi clavum clavo, ſic opinionem opinione trudentes: eo tandem rem perduxerunt, ut, cum receptum ſit, in rebus judicandis communem interpretum ſententiam ſequendam eſſe, ſæpenumero, quæ in plures probata ſit, in tanta diſceptantia ac varietate dubitetur. Scitum autem eſt, quod ait Plato, ſemper inter ſe conſentire eos, qui aliquid ſciunt. Nam neque ſciri poteſt, niſi quod verum

est: neque in quaque re verum esse amplius uno potest. Jam, quod secundo loco posui, multas sæpe ab eis inculcatas quæstiones, neque juris civilis proprias, neque ad id, quod in manibus erat, ullo modo pertinentes; id quin verum sit, dubium nemini unquam futurum est, qui eorum scripta vel per transennam, ut dici solet, adspexerit. Nisi forte quærere, quæ sit potestas, ablativi, ut loquuntur, absoluti, aut gerundii, aut relativi, *Qui*, *Quæ*, *Quod*, & similia, quæ vel referre piget, Grammaticorum non est potius quam Jurisconsultorum; aut quæ sit ratio definiendi, quid interfit inter definitionem & notationem vocabuli, quando liceat argumentari ab enumeratione partium, non Dialectici potius, quam Juris civilis professores, docere debent; aut denique innumerabilia, quæ eorum commentarios legentibus passim occurrunt, non melius & verius ab iis artificibus, quorum propria sunt, explicantur. Nam de ordine quid dicam? quem semper sapientissimus quisque plurimi fecit: cui tantum tribuerunt quidam ex veteribus Philosophis, ut summum ac supremum hujus universitatis parentem atque opificem, Deum, dicerent in orbe condendo nihil aliud præstitisse, quam quod confusas & permistas inter se rudis materiæ partes discrevisset, certoque ordine suis quamque in sedibus collocasset. Impia opinio, fateor. Omnia enim non tantum digessit ac disposuit, sed ex nihilo effecit ac procreavit Deus. Sed tamen ex eo intelligi potest, quæ illorum de ordine opinio fuerit, quantamque vim in eo inesse crediderint: cum a quo nihil amplius quam confusas mundi partes in ordinem adductas esse dicebant, eum tamen ipsi quoque cum cæteris verissimo nomine parentem ac conditorem omnium rerum vocarent. Exstat præclara sententia apud Xenophontem in Oeconomico, nihil esse aut pulchrius, aut ad usum com-

commodius quam ordinem: nihil contra aut adspectu fœdius ac deformius, aut quod plura omnibus rebus incommoda adferat, quam confusionem ac perturbationem. At nostri illi cum dialecticen aut non didicissent, aut ita didicissent, ut non didicisse præstaret: quibus, quæso, modis omnia miscuerunt? qualem nobis cujusque generis præceptorum farraginem reliquerunt? Ut si quis rusticus hordeum, triticum, viciam, legumina in unum acervum conferat, non illius acervum horum commentariis existimem perturbatiorem fore. Mihi quidem, cum in eos inspicio, sæpissime Ovidiana illa de Chao in mentem veniunt:

Quaque erat & tellus, illic & pontus & aër.

Non aliter enim apud hos, ubi, verbi caussa, de auctoritate magistratuum agitur, dicetur etiam aliquid de testamentis; ubi de emptione & venditione disseritur, aliquid de pœnis, aut de auctoritate tutorum inseretur: nihil est denique, quod certam sedem ac domicilium habeat; nihil quod non alienissimo æque facile ac suo loco pertractatum reperiatur. Inde illæ crebræ ex uno in alium locum rejectiones: cum te, quod hic agendum ac tractandum erat, id jubent ex alio petere, in quo tale quidquam agi, nunquam, nisi admonitus, divinare potuisses. Prorsus ut si quis paterfamilias vestem non in vestiario, sed in arca penaria conderet, panem ex puteo hauriret, pisces in nemore, lepores in piscina inclusos haberet. Apud Aristotelem primo Physicorum recensetur opinio veterum quorundam, in quibus fuit & Anaxagoras, qui quidlibet in quolibet inesse dicebant; idque exprimebant hemistichio quodam, ut opinor, Empedoclis πᾶν ἐν παντὶ μέμικται. Hoc an in Physicis vere dicatur, viderint, qui illa tractant: in talium certe interpretum commentariis, verissime dici potest. Atque

hoc sunt etiam, qui eos de industria feciſſe dicant, ut artem juris obſcuriorem, ac difficiliorem cognitu redderent, & ad cæteros labores illum quoque adderent, quo excarnificarent diſcentium ingenia, pervolutandi ſæpe illas ingentes librorum moles, & omnia alieno loco potius quærendi quam ſuo. Quod ſi verum eſt, (nam ego quidem aliam potius fuiſſe cauſſam ſuſpicor, neque ita de eis male ſentio, ut, cum melius poſſent, noluiſſe credam) ſed tamen ſi ita eſt, non obſcurum eſt, quam eis pro tam ſancto atque honeſto propoſito gratiam debeamus. Ultimus locus erat de genere dicendi, quo dixi eos, quidquid docent, uti debere nitido, perſpicuo, uſitato, tali denique, ut ſine ulla aſperitate influat in aures animosque diſcentium, eisque ſe non adſcita fucisque ac pigmentis quæſita, ſed naturali pulchritudine ac ſuavitate commendet. A quo ii quos dico quam longe omnes abfuerint, quis non videt? Et ſunt tamen, qui eos defendant, (ut nulla eſt tam mala cauſſa, quæ patronos non inveniat,) dicantque eloquentiam in eo, qui jus docet, non requiri; ſatis eſſe, ſi artem ſuam teneat; ejus præcepta dum tradat, quibus ea verbis pronunciet, nihil intereſſe. Citant etiam in eam rem verba quædam Ciceronis, quibus, ait, ſe in Philoſopho eloquentiam, ſi adferat, non adſpernari; ſi careat, non admodum requirere. Nimium delicatos eſſe, qui in tanta præclariſſimarum rerum copia etiam verborum concinnitatem requirant: & perinde facere, ac ſi optimos & ſaluberrimos cibos faſtidirent, niſi in auro aut in gemmis apponerentur. Tum præterea facilius intelligi ac percipi, qui qualibuscunque verbis ſine delectu efferuntur, quam ſi quis in eisdem pura ac Latina oratione exprimendis elaboraret. Poſtremo, uſu hoc jam & experientia compertum eſſe, quibus verborum cura eſt, eos exſuccos fere, & aridos,

dos, & exsangues, & grammaticos potius aut ludimagistros, quam veros & solidos jurisconsultos evadere: cum contra, qui magno & forti animo contemserunt sermonis delicias, & illud horridum, incomptum, agreste, rusticanum dicendi genus adamarunt, ii demum juris ac legum cognitione impleant pectus, in consultationibus, in foris, in subselliis regnent, in omnium majoris momenti controversiarum disceptatione ac dijudicatione dominentur. Quibus ut respondeam, primum dico, non existimare me, eloquentiam neque ad jus, neque ad ullam omnino artem tractandam, necessario requiri: ne ad illam quidem ipsam, qua fieri eloquentes putantur. Multos enim accepimus, cum ipsi eloquentes non essent, optimos tamen aliis ad eloquentiam duces ac magistros fuisse: qualem in Græcia Hermogenem, in hac urbe Quinctilianum fuisse ajunt. Et Aristoteles, si se ad dicendum contulisset, fortasse multos habuisset superiores, quo tamen eloquentiæ præcepta nemo unquam melius, aut perfectius tradidit. Munditiam quidem sermonis non in artibus modo docendis, sed etiam in congressibus & in familiari colloquio ab omnibus ingenuis & paulo liberalius institutis hominibus requirendam puto. Non gemmas, non aurum, non emblemata requiro. Fictilibus æquo animo cœnare possum: præsertim si epulæ sint, ut ais, exquisitæ. Sed illa ipsa fictilia tersa sint, niteant, appetentiam potius, quam vomitum concitent. An tu convivatorem feras, qui quamlibet lautos cibos in vasis cœno ac luto conspurcatis apponat? Nam quod ajunt, facilius intelligi, quæ ita dicuntur: credo equidem, hoc inter ipsos verum esse. Balbi enim balbos, ut est in proverbio, melius intelligunt. Ingenui quidem adolescentes in Ciceronis, Cæsaris, Plauti, Terentii & similium libris exercitati, & Latinæ linguæ intelligen-

tes, novos sibi de verborum significatione commentarios conquirant oportet, cum acceſſuri ſunt ad illos mixobarbaras cantiones. Neque enim una ſaltem lingua eſt, qua loquuntur, ſed deterrimus quidam cinnus ex fœdiſſima barbararum, peregrinarum, inauditarum vocum colluvione, olens, ut ſervus ille Plautinus ait, allium, hircum, haram, ſuem, canem, capram commiſtam: ut quemadmodum odor, qui ex Averno afflabatur, ſupervolantes aves necare ſolitus dicitur, ita illud pus, illa ſanies, illud virus optima quæque ingenia exanimet. Ego quidem certe multos novi optimos adoleſcentes & acutiſſimo ingenio præditos, qui cum in aliis diſciplinis exercitati, ad artem ſe juris accingerent, talium magiſtrorum incondita voce perterrefacti, refugerunt, retulerunt pedem:

Improviſum aſpiris veluti qui ſentibus anguem
Preſſit humi nitens, trepidusque repente refugit.

Quod autem quaſi firmamentum defenſionis ſuæ ponunt, non poſſe quemquam magnum jurisconſultum evadere, cui ulla faciendæ ac poliendæ orationis cura ſit, pro Deum immortalem! etiamne hoc tam erudito ſeculo, in hac tanta luce ac ſplendore diſciplinarum omnium cuiquam ſe perſuaſuros putant? Quemquam ne ex illo ſuo grege inquinate ac contaminate balbutientium potius, quam loquentium proferent, quem cum Alciato, cum Duareno, cum Connano comparare audeant? Sed hoc omitto: ad id, quod inſtitueram, redeo. Dixi quatuor eſſe, quæ, qui jus docent, præſtare debeant: ut vera doceant, ut ad rem pertinentia, ut ordine, ut genere dicendi apto ad docendum. Id qui non præſtarent, culpavi. Dicet aliquis: Quid tu te igitur ea præſtaturum eſſe profiteris? Non auſim tantum de me, aut mihi aut vobis polliceri. Illud quidem non dubitanter affirmo,

firmo, neque plane imparatum esse me ab iis, quæ ad id efficiendum necessaria sunt, & ut aliquid olim præstitisse dicar, summam diligentiam adhibiturum. Sed, ut diei tempus est, diutius detinendi non estis. Die crastino conabor viam vobis munire ad titulum de Pactis minore negotio intelligendum. Dicam cur de pactis agatur hoc loco; tum quid sit pactum; quæ pactorum divisiones; qui quibus paciscí possint; quique sint pactorum effectus. Hæc crastinæ disputationis capita futura sunt. Inde ad ea jurisconsultorum veterum fragmenta, quæ in hunc titulum relata sunt, sigillatim interpretanda veniemus.

DIXI.

De auctoritate & officio Judicum.

ORATIO XVIII.

Habita Romæ Postridie Non. Nov.

Anno cIↃ IↃ Lxix.

CONstitueram hodie, nulla, ut Gajus noster loquitur, præfatione facta, ad tractationem earum rerum, quas hoc anno docere instituí, accedere: idque & vobis utilius, & mihi convenientius fore arbitrabar: nisi me amici quidam, quorum & judicio, & auctoritati plurimum tribuo, de fixa jam statutaque sententia deductum, sibi potius, quam mihi, hac in re morem gerere coëgissent. Neque tamen eis plane adsensus sum: sed, ut Homericus Jupiter, partem ejus, quod petebant, concessi, partem negavi. Nam quod a me contendebant, ne statim in ea, quæ hujus artis propria sunt, ingrederer, sed hoc anniversarii laboris quasi vestibulum populari aliqua & magis ad omnium sensus accommodata disputatione exornarem, in eo non gravate ipso-

rum voluntati acquievi: quod auctores erant, ut aliquod mihi undecunque argumentum sumerem, quamlibet remotum & alienum ab eo quod ageretur, populare modo, & plausibile, & in quo ostentare vim ac copiam dicendi liceret, id ut ipsos a me obtinere sinerem, ipse a me non potui obtinere. Vix ista faciebam adolescens, cum & omnes vias perveniendi ad aliquam eloquentiæ famam studiose conquirerem, & iis in artibus exercerer, quas qui tractant, in eis hæc non ferri modo, sed & requiri solent. Hac vero ætate, & hac qualicunque hominum opinione de me, & hoc suscepto munere, quod ab omni vanitate longissime abesse debet, si puerorum aut sophistarum in morem de commenda ac pingenda oratione solicitus sim, & sine ulla necessitate eas mihi ad dicendum materias deligam, in quibus belle ac commode aliquid dicere posse videar: ineptis fortasse gratum faciam, quos semper fucata & inania omnia, magis quam vera & solida delectant; gravium certe ac cordatorum hominum non effugiam justam ac meritam reprehensionem. Obsequamur igitur amicorum petitioni: sed ita, ut ne obliviscamur, quid deceat. Explicaturus sum eam partem Digestorum, in qua de judiciis differitur. Sed prius dicam nonnulla de ipso munere judicandi, quantum in eo sit auctoritatis, quantum ponderis & momenti ad totius Reipublicæ felicitatem; tum, qualem esse eum oporteat, qui ei muneri recte & pro dignitate præfuturus sit; quæ in judicando servanda, quæque fugienda videantur: quæ omnia a nostris quidem partim modice attinguntur, partim ut certa & indubitata ponuntur: a Philosophis autem, unde nostra fluxerunt, accurate ac copiose pertractari solent. Dicam autem non oratorio more, sed hoc nostro scholastico, & umbratili, & sedato, non ad permovendos animos, sed ad docendos, non ad faci-

faciendos clamores, sed ad silentium potius & attentionem obtinendam idoneo. Ita me duas res consecuturum esse confido, ut & amicorum petitioni, si minus plene, at certe aliqua ex parte satisfiat: & hoc quamvis ex alia arte accersitum disputationum mearum caput cum cætero corpore satis apte ac concinne cohærere videatur. Tanta igitur est, ut hinc potissimum exordiar, in omni civitate eorum, qui judiciis præsunt, auctoritas, ut ex eis potissimum Reipublicæ felicitas aut infelicitas pendeat. Etenim vere dixerunt veteres, legem esse animam civitatis, & perinde felicem aut infelicem evadere unamquamque civitatem, ut bonis malisve legibus temperata est. Utor hic legis nomine magis ad populi consuetudinem, quam ad veritatem: scio enim, si qua mala lex sit, eam ne legis quidem nomine dignam esse. Sed si tantum positum est in legibus, legum autem ipsarum nullus est usus, nisi sint, qui eas exequantur, ac custodiant; & legum ministri ac custodes magistratus, unde eos nomophylacas Plato vocat; magistratuum porro præcipua vis in exercendis judiciis cernitur: constare opinor, qualia in civitate judicia sint, talem esse totius civitatis statum. Imo vero ea prima fuit antiquissimis temporibus caussa congregandarum civitatum: ut essent, qui vim coërcerent, tenuiores a potentiorum injuriis defenderent, suum cuique tribuerent, juris æquabilitatem inter omnes proportione tuerentur. Hanc originem creandorum regum fuisse, quod vetustissimum in terris imperii nomen est, Herodotus, & ab eo mutuatus Cicero, tradunt. Itaque reges ipsi antiquitus judicabant, ut Minos, cujus singularis justitia judicem eum, veterum opinione, etiam apud inferos fecit; ut Tenes cultus apud Tenedios pro Deo, quem cum securi insulam ex se dictam obambulare solitum tradunt, eaque percutere, quos, caussa discus-

discussa, injuriam feciſſe cognoſſet; ut Philippus Macedo, quem etiam patienter tuliſſe accepimus, objurgatum ab anicula, cui audiendæ ſibi eſſe otium negaverat: cum illa retuliſſet, ne regnaret igitur, ſi audiendis ac dijudicandis cauſſis vacare nollet. Et perdiu, qui Hebræorum populo ſummo cum imperio præerant, non reges, ſed judices vocabantur: ut intelligamus, nihil eſſe tam regium quam judicare. Sive enim privata judicia inſpiciamus, vere ait Cicero, omnes omnium pecunias poſitas eſſe in poteſtate eorum, qui judicant, ſive publica, omnium civium non fortunæ modo, ſed dignitas, exiſtimatio, ſalus, eorum, qui judicia publica exercent, fidei, religionique commiſſa eſt. Sapientiſſimus homo Democritus duabus rebus Rempublicam contineri dicebat, pœna & præmio: earum autem rerum utraque in eorum manu eſt, qui munus ſuſtinent judicandi. Magna igitur adhibenda cautio eſt in judicibus deligendis: eorumque & ſingularis quædam prudentia & ſpectata probitas eſſe debet, ne ſi, aut errore ducti, aut cupiditate abrepti, permiſſa ſibi poteſtate ſecus quam decet utantur, ipſa civitatis fundamenta ſubvertant. Ac veteres quidem illi pauciſſimis verbis judicis officium concludebant, cum ita dicerent: legem eſſe mutum judicem, judicem autem legem loquentem. A bono enim judice ita prorſus omnia judicari oportet, ut lex ipſa, ſi loqui poſſet, judicaret: atque ita legem & judicem inter ſe conſpirare, ut ſit lex quaſi anima judicis, judex quaſi vox legis. Et, quemadmodum Ariſtoteles ait, legem eſſe mentem cupiditatis expertem, ita optandum eſſet, ut ejusmodi judices reperirentur, qui, omni cupiditate ſpoliati, mente tantum ac ratione in diſceptandis controverſiis uterentur. Sed talia optare licet, ſperare non licet. Nimis enim verum eſt, quod in quodam cantico poſuit Simonides,

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn862961815/phys_0256
DFG

nides, perdifficile reperiri hominem τετράγωνον ἄνευ ψόγου. Huic incommodo sapientissimi quique veterum quæcunque potuerunt remedia compararunt. Inter quos Aristoteles censuit, in bene instituta civitate omnia, quoad ejus fieri posset, legibus comprehendenda ac definienda: quam pauciſſima autem in potestate atque arbitrio judicum relinquenda. Cujus rei tres ab eo sane graves causſæ adferuntur. Una, quod multo major numerus necessarius est judicum, quam eorum qui leges ferant: facilius autem est paucos bonos & prudentes viros reperire, quam multos. Altera, quod longius tempus datur legem aliquam laturis, quam de certo aliquo negotio ac controversia cogniturus: in majori autem temporis diuturnitate major est penitus pervidendi veri facultas. Tertia, quæ omnium potentissima est, quod leges & in futurum prospiciunt, & universe ac generatim feruntur, ut neque gratiæ, neque odio locus esse possit: at judicia & de præsentibus negotiis, & de certis personis exercentur, ut & gratia, & odio, & invidia, & miseratione, & ratione proprii alicujus commodi, aut incommodi, facillime abduci a vero judicis animus queat. In judicibus autem deligendis illud præcipue observandum est, ut boni viri eligantur: in quo veteres ita diligentes fuerunt, ut sæpe in libris nostris viri boni nomine non alius quam judex intelligatur. Et Horatius narrat patrem suum, cum sibi virtutis & officii præcepta traderet, laudandarum actionum exempla ex judicibus potissimum sumere solitum esse. *Sic me*, inquit,

Formabat puerum dictis: & sive jubebat,
Ut facerem quid: habes auctorem, quo facias hoc,
Unum ex judicibus selectis objiciebat.

Et alibi cum viri boni quasdam quasi notas enumerando percenseret, hanc inter præcipuas ponit:

Quo

Quo multæ, magnæque secantur judice lites.

Ac videte, quantopere veteres illi Romani eos, qui res judicabant, ab omni improbitatis suspicione puros esse voluerint. Notationi atque animadversioni censoriæ non tribuebant auctoritatem rei judicatæ: neque si quis a censoribus Senatu motus esset, propterea ei aditum ad honores denegabant. Quin imo quosdam a censoribus Senatu ejectos, ipsos postea censores fuisse legimus. Sed tamen, ut omnis etiam levissima suspicio abesset a judicum moribus, lege Julia repetundarum, qui Senatu moti essent, judices non poterant dari. Ætas etiam in judicibus consideranda est: neque enim idonei sunt adolescentes ad tantum munus sustinendum. Cujus rei tres fere causæ adferri solent. Una, quod de moribus adolescentum nihil adhuc certo sciri potest. Mutantur enim, ut ait Horatius, in horas. Et improbum quidem esse aliquem ut agnoscas, vel unus dies sufficit, ut ait Theognis, at diu vixerit oportet, de cujus probitate certum judicium fiat. Altera, quod in juvenibus magnæ & vehementes sunt animi commotiones, quas illi sæpius, quam rationem sequuntur. Postrema, quod longus rerum usus in judice requiritur, qui cadere in adolescentem non potest. ὁ νέον, ait Plato libro tertio de Republica, ἀλλὰ γέροντα δεῖ τὸν ἀγαθὸν κριτὴν εἶναι. Neque vero quilibet senex ad judicandum aptus est. Non enim ut prudentia necessario ætatem requirit, ita ætas necessario prudentiam adfert, sed is demum, cui anteactæ vitæ cursus & integritatis, & prudentiæ opinionem comparavit. Observabatur & illud antiquitus, ne egeni & exhausti homines facile ad judicandum admitterentur. Cum enim plerique a Theognidis sententia non abhorreant, & paupertatem omni ratione fugiendam putent, verendum videbatur, ne sæpe tales judices non tam rationem

nem muneris sui, quam magnitudinem munerum alienorum considerarent: neve libentius in nummorum, quam in argumentorum, quæ utrinque adferrentur, ponderibus expendendis occuparentur: &, utrius gravior esset manus, ejus caussam quoque meliorem videri pronunciarent. Atque ob eam caussam judices non tantum ex moribus & ex ætate, sed etiam ex censu legebantur: quod Romanis alicubi objicit Tertullianus. Cumque jurisjurandi religio maximum & sanctissimum fidei vinculum merito apud omnes existimetur, judicaturi prius jurabant, se ex legum præscripto judicaturos: cujus rei frequens apud Demosthenem, & alios mentio est. Ne vero legum verbis callide & subdole interpretandis ab earum sententia & voluntate discederent, addebant τῇ γνώμῃ τῇ δικχιοτάτῃ, ut apud Demosthenem, aut, quod idem valet, τῇ ἀρίστῃ, ut apud Aristotelem in Rhetoricis, & apud Julium Pollucem in libro octavo relatum est: quo significabant, se ita leges interpretaturos, ut rationi & æquitati maxime consentaneum videretur. Quin etiam, ut majore divini numinis metu perfunderentur, judicabant in loco sacro. Quamvis enim Deus omnibus locis præsens est, ejusque, ut ait Aratus, omnia plena sunt: in consecratis tamen locis magis omnes, nescio quo modo, illius præsentia commovemur. Atque hanc consuetudinem antiquissimam fuisse, Homerus ostendit, qui judices in Achillis clypeo sculptos & senes fuisse ait, & in sedilibus lapideis sacro in loco consedisse, οἱ δὲ γέροντες, inquit, Εἵατ' ἐπὶ ξεστοῖσι λίθοις, ἱερῷ ἐνὶ κύκλῳ. Summa in eo adhibenda diligentia est, ut tollantur omnes occasiones, quæ possunt efficere aliquem animi motum, quo judex abducatur a vero. Nam quod de amore ait Theocritus, pulchra ei videri, quæ pulchra non sunt, idem absolute de toto talium commotionum genere dici potest: prout

quis-

quisque affectus est, ita res ei alias atque alias videri. Arquatis, ait Varro, & veternosis omnia lutea videntur; febricitantibus amara, quæ dulcia: aliter omnibus de rebus ebrii, aliter sobrii judicant. Idem putandum est evenire iis omnibus, quorum animus aut amore, aut odio, aut ira, aut invidentia, aut denique aliquo πάθει occupatus est. Docent Philosophi, si sensus de rebus sibi objectis vere judicaturus sit, oportere ipsum sentiendi instrumentum, quod illi αἰσθητήριον vocant, ἄποιον, id est, omni qualitate, earum saltem, de quibus judicandum est, vacuum esse. Sic & judicis animum in sola veritate defixum, ab omni perturbatione purum ac liberum esse oportet. Male verum examinat omnis corruptus judex: ait Horatius. Quoniam ergo nemo, ut omnia moliatur, exsuere ac deponere insitum atque ingeneratum omnibus sui amorem potest: ideo veteres neminem rei suæ idoneum judicem esse voluerunt: quod & apud juris nostri auctores sæpe legitur, & ante eos ab Aristotele, & in Ethicis, & in Politicis dictum erat. Nec de filii quidem negotio idoneus judex est pater, amat enim eum ut partem sui. Et quamvis reperiuntur patres quidam, qui de filiis severissime judicarunt, ut in externa historia Zeleucus, in Romana Brutus, Manlius, alii; usitatius tamen est, patres in filiorum peccatis connivere. Sed hac de re alio loco plura dicentur. Corrumpuntur judices etiam donis, & ea causa fuit, cur iis legibus, quæ de pecuniis repetundis latæ sunt, punirentur, qui ob rem judicandam pecuniam accepissent. Narrat Plutarchus, Thebis olim positas in publico fuisse judicum statuas, easque sine manibus, quod indicio esset, nihil eos a quoquam accipere debere: ejus autem, qui judicio præsideret, etiam sine oculis; quod ipso personarum adspectu judices interdum a recto abduci arbitrarentur. Antonius certe apud Cicero-

ceronem gloriatur, M. Aquillium, in manifesto repetundarum crimine, hoc potissimum a se artificio liberatum, cum eum mœstum ac sordidatum produxisset, tunicamque ejus a pectore discidisset, & cicatrices adversorum vulnerum, quæ ille pro Republica acceperat, ostendisset. Ita judices, quem absentem fore damnassent, eum, adspectu ipsius commoti, liberarunt. Eodem artificio multis ante annis usus erat Hyperides, qui, ut narrat Athenæus, cum Phryne meretrix pulcherrima rei capitalis argueretur, atque ita teneretur, ut argumentis purgari non posset: cum multa pro ea dixisset, ad postremum statuit eam in conspectu judicum, & pectus ejus papillasque nudavit: qui adspectus tantum potuit, ut, quam omnium sententiis damnatum iri opinio erat, omnium suffragiis absoluta discesserit. Ex quo institutum est, ut Areopagitæ noctu judicarent: cujus rei præter cæteros auctor est Lucianus. Sed & quo judicia integriora & incorruptiora essent, nomina ipsa eorum, de quibus ageretur, in Areopago reticeri solita, quidam tradiderunt, ut, nulla prorsus personarum ratione habita, de rebus tantum ipsis judicaretur. Multum etiam in judiciis pervertendis potest eloquentia: neque prorsus mentiebantur veteres illi magistri, qui se docere profitebantur, quo modo caussa inferior, dicendo superior fieri posset. Cui enim nota non sunt verba Ciceronis in caussa Cluentiana, objectas a se judicibus tenebras gloriantis? Ideoque rectum erat illud eorundem Areopagitarum institutum, apud quos oratores præconis voce nihil verborum extra rem facere, & neque procemiis uti, neque epilogis jubebantur. Sapienter quoque Anastasius & alii posteriores Imperatores constituerunt, ne cuiquam administratio patriæ suæ sine speciali jussu Principis permitteretur. Arbitrati enim sunt id, quod est,

unumquemque neceſſario in patria ſua multis cognationibus, adfinitatibus, neceſſitudinibus implicatum teneri, iisque omnibus rebus judiciorum religionem ac ſeveritatem impediri. Eodem pertinebant permiſſæ antiquo more alternæ judicum rejectiones: ut e judiciis omnis omnino ſuſpicio inclinati, ac propendentis in alterutram partem animi tolleretur. Neminem, ait Cicero pro Cluentio, voluerunt majores noſtri non modo de exiſtimatione cujusquam, ſed ne pecuniaria quidem de re minima, eſſe judicem, niſi qui inter adverſarios conveniſſet. Expediret etiam in eos judices, qui ſe corrumpi ſiviſſent, graviſſimas pœnas conſtitui; ut feciſſe Cambyſen ait Herodotus, qui (utinam non ſingulari, ſed in omnem poſteritatem duraturo exemplo,) ſupra injuſti judicis corium in lora diſſectum, ejus filium ac ſucceſſorem ſedere juſſit, ut eum a paternæ improbitatis imitatione paterni ſupplicii memoria revocaret. Omnino autem judicibus tria in animo perpetuo habenda eſſe arbitror. Unum, ut cogitent, quemadmodum ipſi de aliis judicant, ita de ſe non alios tantum homines, ſed ipſum Deum judicaturum. Alterum ne prius ſententiam ferant, quam diligentiſſime utriusque partis jura cognoverint. Merito laudatur a Platone illud Heſiodi: Μὴ δὲ δίκην δικάσῃς πρὶν ἀμφοῖν μῦθον ἀκούσῃς. Et elegans eſt illud Philippi, ut opinor, Macedonis, qui cum altera aure occluſa accuſatorem audiret, interrogatus, cur id faceret, dixit, ſe eam ſervare integram reo. Poſtremum illud eſt, debere quidem judicem plane medium eſſe, (ideo enim μεσῖται, ut ait Ariſtoteles, vocantur;) ſed tamen, ſi in alterutram partem inclinandum ſit, ut Circe dicebat, minus periculi eſſe, ſi navis ad Scyllam potius paulum inclinaret, quam ſi ad Charybdim: ita in hominibus puniendis minus mali eſſe in clementia ac lenitate,

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn862961815/phys_0262
DFG

te, quam in sævitia, & acerbitate. Nam etsi laudata est apud veteres prætoris cujusdam severitas, cujus tribunal scopulum reorum vocabant: multo tamen majorem laudem haberet illa vox Neronis, si ex animo prolata esset, aut si ipse in eadem mansuetudine perstitisset, qui subscripturus sententiæ capitis in quendam: *Utinam*, inquit, *nunquam didicissem litteras.* Et M. Antonini illud præcipue commendatur, quod pœnas legibus definitas semper usque ad aliquem modum mitigabat. Pleni sunt libri nostri talium sententiarum: *Benignius interpretandæ sunt leges, quo voluntas earum conservetur. Et, Interpretatione molliendæ sunt pœna potius, quam exasperandæ.* Non possum hoc loco præterire dictum quoddam vetustissimi oratoris Antiphontis: Εἰ δέοι τι ἁμαρτεῖν, τὸ ἀδίκως ἀπολύσαι ἧσσον, ἢ τὸ δὲ ἀδίκως ἀπολέσαι. τὸ μὲν γὰρ ἁμάρτημά ἐστι, τὸ δὲ ἀδίκως ἀποκτεῖναι, ἀσέβημα. Cujus sententiæ similem quandam ex libris nostris suo loco proferemus. Dixi de auctoritate & officio judicum, non quæcunque poteram (neque enim id aut res postulabat, aut tempus patiebatur,) sed ea tamen, quæ dixi, neque aliena, neque inutilia fuisse confido. Quid præstiterim, vos ipsi judices eritis. Si quis erit, qui me contendat debuisse statim ad ea, quæ juris civilis propria erant, accedere: ab eo peto, ne mihi veniam neget, quod ego amicis rem non magni momenti petentibus negare non potuerim; neve sit ita difficilis creditor, ut in crastinum exspectare nolit: cum præsertim ipsi jurisconsulti sub eo, quem explicaturi sumus, titulo tradant, in mora modici temporis non magnum damnum inesse censeri.

DIXI.

ORATIO XIX.

MANDATU. S. P. Q. R. HABITA. IN. ÆDE. SACRA. B. MARIÆ. VIRGINIS. QUÆ. EST. IN. CAPITOLIO.

In reditu ad urbem.

M. ANTONII COLUMNÆ, post Turcas navali prælio victos. *

Idib. Decembr.

Anno cIↃ IↃ Lxxi.

De hac Oratione Thuanus lib. L. Histor. f. 1033. & Muretus ipse lib. 1. Epist. 22.

SI ulla post hominum memoriam parta victoria est, in qua & admirabilis se divini numinis potentia ostenderit; & quid fortium virorum virtus, quid singularis doctorum prudentia valeat, cognitum ac declaratum sit: in hac certe, quam superioribus diebus imperatores ac milites nostri ex immanissimo ac deterrimo Christiani nominis hoste retulerunt, ita hæc omnia patefacta sunt, ut nunquam majoribus ac illustrioribus argumentis aut illustrata esse aut in posterum illustrari posse videantur. Quare & immortali ac præpotenti Deo, hujus tanti boni, ut aliorum omnium, auctori, gratiæ, quan-

* Hujusmodi gratulatoriæ de victoriis ex hoste relatis, habes in *Orationibus Procerum* Vol. I. Orat. 23. *Ulrici Zesii* ad Maximilianum I. Imp. e bello Veneto reducem, Orat. 58. *Christoph. Vassevicii* ad *Rudolphum II.* Imp. de victoria ad Sisseck; Orat. 63. *Stanislai Lubienii* ad *Sigismundum III.* R. P. de capto Smolensko. De rebus in Polonia restitutis *Jo. Casimiro* R. P. gratulatur *Vinc. Fabricius* Orat. 105. Vol. II. de nato nuper filio *Nic. Avancinus*, *Ferdinando III.* Imp. Orat. 91. ejusdem Volum. *Ludovico XII. Hieronymus Donatus* de regno Neapolitano ditionibus ejus adjecto, filiæque nuptiis, Orat. 19. Vol. I.

quantas maximas animus noſter capit, agendæ ſunt; & fortiſſimis, ac clariſſimis viris, qui periculum a nobis omnibus vitæ ſuæ periculo depulerunt, qui barbaris in nos irruentibus iter corporibus ſuis occluſerunt, qui peſtem ac perniciem, quam illi nobis machinabantur, in ipſorum capita converterunt, qui illorum temeritatem conſilio, furorem fortitudine, audaciam virtute ſuperarunt, novi atque inuſitati honores pro nova ipſorum atque inuſitata virtute tribuendi. Quod enim tantum ac tam ſingulare honoris genus reperiri, aut excogitari poteſt, quod non & in aliis, qui egregiam in hoc bello Reipublicæ Chriſtianæ operam navarunt, & tuæ inprimis, M. Antoni Columna, virtuti rebusque geſtis, & ab aliis Chriſtianis populis, & præcipue a Populo Romano debeatur? Cujus univerſi quod ſit erga te ſtudium, quæ voluntas, neque tibi unquam aut dubium, aut obſcurum fuit; & tamen nuper apertiſſime cognoſcere potuiſti, cum, tuo in urbem ingreſſu, tantus ad te omnium ætatum atque ordinum concurſus factus eſt, tanta effuſa omnis generis multitudo, ut ipſi ſeptem colles, ipſa urbis mœnia, ſi natura pateretur, ſedibus ſuis relictis, obviam tibi prodire cupere viderentur. Quacunque inceſſeras, fauſtis acclamationibus omnia perſonabant; omnes redundantem & foras erumpere geſtientem lætitiam ore, oculis, manibus indicabant; omnium in te uno figebatur obtutus; omnes te, non ut unum ex principibus civitatis, ſed ut firmiſſimam ac ſolidiſſimam Romani nominis ac dignitatis columnam intuebantur. Cœlum ipſum manifeſto favit honori tuo: cum, quod aliquot dies antea triſte ac nubilum fuerat, ingreſſuro te, ita derepente nitere cœpit, ut illa ſubita ſerenitas facile omnibus indicarit honores, qui tibi haberentur, etiam cœleſtium judicio comprobari. Nunc quoque, quanta hoc auguſtiſſimum

templum frequentia hominum compleverit, vides: qui omnes eo animo huc convenerunt, ut *Christo JEsu victori & victoriarum datori, ut beatissimæ virgini, ut cæteris cælitibus, quorum auxilio hanc victoriam sine ulla dubitatione acceptam ferre debemus*, tum propter fusos ac fugatos hostes, tum propter te salvum ac sospitem in patriam reductum, rite, ac pie ut debent, gratias agant. Beatum te, *M. Antoni*, propter cujus & abeuntis periculum & redeuntis salutem templa complentur. Meminimus omnes, superioribus mensibus, te ad bellum profecto, quæ tota urbe fuerit trepidatio, quæ sollicitudo, qui pavor. Quamvis enim & duces delecti erant fortissimi, ac sapientissimi, & ex toto propemodum orbe Christiano flos ipse nobilitatis convenerat, & præcipua Italiæ atque hujus urbis ornamenta ac columina in exercitu versabantur: tamen eo magis metuebantur varii bellorum & ancipites casus: quod, si quid aut propter vim tempestatum, aut propter hostilium copiarum magnitudinem, aut quo alio eventu gravius accidisset: nulla reliqua spes erat, ullum amplius ætate nostra talem exercitum posse denuo comparari. Vagabatur autem toto mari infinita quædam latronum multitudo, nostro sanguine cruenta, nostris spoliis onusta: qui & semper alias suopte ingenio feroces, & tum maxime propter recentes victorias spe atque animis inflati, tantos sibi spiritus, tantam arrogantiam sumpserant, ut classem quidem nostram a se spiritu ipso difflatum iri, ea vero disjecta, quasi janua quadam effracta ac revulsa, omnes sibi Christianorum portus, omnes insulas, omnem oram maritimam apertam fore arbitrarentur. Augebat timorem nostrum, quod anno superiori eas Deus alienatæ a nobis propter peccata nostra voluntatis suæ significationes dederat, ut non injuria trepidaremus, ne ille merito nobis iratus, per hostes nominis

nis sui á populo suo pœnas repetere decrevisset. Sed ô cæca hominum judicia! O abstrusa & recondita Dei consilia! O bonitatem ac clementiam ipsius perpetuo prædicandam! Vere Dominus est, qui vulnerat & medetur; percutit & manus ejus sanabunt; qui mortificat & vivificat; qui deducit ad inferos & reducit. Pro paterna sua misericordia castigans castigavit nos: sed morti non tradidit nos. Respexit ad lachrymas, ad jejunia, ad eleemosynas, ad preces Ecclesiæ suæ: ad quæ omnia *Pius V. & nomine & re sanctissimus Pontifex*, toto illo tempore, alios omnes & præcepto & exemplo suo incitabat. En senex sanctissime & veterum illorum Pontificum simillime, scelerum ultor, justitiæ cultor, veteris disciplinæ restitutor, cui, bono publico, his miseris ac turbulentis temporibus, Ecclesiam suam gubernandam commisit Deus, hic est fructus lachrymarum atque obsecrationum tuarum! Tui fletus pepererunt nobis hoc gaudium, tua quotidiana sacrificia hanc nobis a Deo victoriam impetrarunt. Metis exsultans, quod lacrymans seminasti. Te novo Moyse manus in cælum tollente, novus hic Josua superabat Amalechytas. Tu mentem in Deo, nostri milites in barbarorum corporibus tela figebant. Confirmabant illorum dexteras preces tuæ, & hostilium gladiorum cuspidem retundebant. Itaque quánto plus nobis dedit Deus quam petebamus! Nos timidi vota faciebamus, ut hostium classis, cum adventare nostram auditum esset, quam celerrime se ad suos reciperet, quo post tot editas strages, timuisse tamen, & exspectare ausa non esse nostrorum impetum videretur. Nam illud prope immodicum videbatur optare, ut & congrederentur, & se barbari, nostrorum virtute cognita, in fugam darent. Quod si ad efficiendam aliquam imaginem speciemque victoriæ, aliquot illorum naves

depressæ, aliquot captæ, numerus aliquis captivorum liberatus esset: abunde omnes non exspectationi modo, sed optatis quoque nostris satisfactum fore arbitrabamur. Ut autem sine magna nostrorum clade amplius quadraginta hostium millia cæderentur; ut decem & eo amplius millia caperentur, ut centum nonaginta quinque illorum triremes, aliaque complura navigiorum genera in nostrorum potestatem venirent; ut plus quindecim captivorum nostrorum millia liberarentur; ut ex tanta illorum multitudine vix unus perfidus pirata, & unus item sævissimi prædonis Ariadeni filius fuga elaberentur, qui ad superbas immanis illius Tyranni aures acerbissimum minimeque ab ipso exspectatum tantæ cladis nuncium adferrent, quis unquam nostrum, non dicam sperare, sed propemodum optare ausus est? Præcurrit fortitudo vestra spes nostras; quæque nos ne frustra optaremus verebamur, ut ea frustra hostis optaret, admirabili Dei beneficio, & vestra singulari virtute perfectum est. Illud vero memorabile & animadvertendum, neque fortuito accidisse, sed justissimo Dei judicio effectum esse credendum est: quod, qui duo ex illa impura fœdissimorum mancipiorum colluvie maximas minas jactare; qui uni ex omnibus Christianorum vires maxime despicere soliti erant, ut etiam apud illum stolidum ac furentem Dominum suum ausi essent gloriari, se centum triremibus, quidquid usquam Christianorum esset, undique exterminaturos: ii potissimum, cum ad manus ventum est, ita subito perterrefacti sunt, ut mare ipsum angustum eis esse ad fugam videretur. *O Nonæ Octobres*, quam faustam ac felicem nobis posterisque nostris vestri memoriam reliquistis! Quis non eorum, qui prælio non interfuerunt, ut sibi liceret spectasse, quæ illo die gesta sunt, annum unum de consequendis vitæ suæ spacio, si fieri posset, ad-

em-

emptum velit? Solem ego ipsum, ita vivam, in tam pulchro spectaculo, ut Josua olim adversus Amorræos pugnante substiturum fuisse arbitror: nisi tanta fuisset vincendi celeritas, ut, qui nihil metuebant, id unum metuere viderentur, ne prius adveſperasceret, quam omnes hostes aut cæsi, aut capti, aut fugati essent. Quænam igitur statuæ, qui arcus, quæ columnæ, quæ tropæa vobis excitari poterunt, Viri fortissimi, quæ non dico paria esse meritis vestris, sed eorum partem adumbrare aliquam possint? Qui futuri sunt usque eo diserti ac copiosi historiarum scriptores, qui, cum ad *Naupactcam victoriam* ventum erit, non potius metuant, ne quid de illius magnitudine deterant, quam eam se verbis exæquare posse confidant? Semper enim justum minuendi metum faciunt ea, quæ amplificandi spem sua magnitudine sustulerunt. Vos exsultantem barbarorum audaciam compressistis; vos maria illis clausistis, nostris aperuistis; vos flammam atque ferrum, vos cædem, incendia, rapinas, libidinem, a Christianorum vita, tectis, fortunis, corporibus arcuistis; vos a templis sacrilegia, ab oppidis direptionem, ab agris vastitatem depulistis; per vos cruentata ac tepefacta maria illorum sanguine redundarunt; per vos vicina littora illorum, aut sauciorum, aut morientium inconditis ululatibus personarunt; vobis magistris didicit noster miles vincere, barbarus vinci; vobis Christianorum alii vitam debent, alii libertatem, omnes securitatem. Durum, fateor, fuerat, audire, tam multa oppida a nefariis latronibus capta, tam multa incensa, tam multas regiones vastatas, abducta in servitutem tam multa hominum millia: sed, si Christi potentia, si Christianorum fortitudo aliter apud barbaras gentes illustrari, quam post tot acceptas calamitates, non poterat; prope est, ut exclamem, tanti fuisse.

Certe quidem ut verni temporis clementia & amœnitas minus hilararet animos noſtros, niſi eam hyemis rigor & aſperitas anteceſſiſſet: ita minus omnes hujus victoriæ jucunditatem ac dulcedinem ſentiremus, niſi eam cum ſuperiorum temporum triſtitia, & acerbitate compararemus. Neque vero eos tantum, qui ex illo nobis omnibus ſalutari prælio, re bene geſta, incolumes reverterunt, omnibus maximis honoribus debemus afficere: ſed eorum quoque memoriam grato animo ampliſſimisque laudibus proſequi, quos in illo conflictu fortiter dimicantes, non tam vis hoſtium perculit, quam ille ipſe, pro quo pugnabant, ſibi pignoratus eſt Chriſtus. Qui ſi, ut credibile eſt, prius Chriſtiano ritu expiati, ac culpis omnibus ſoluti, tunc vero in Deum tantum intuentes, & in eo mente ac cogitatione defixi, vitam pro illius gloria projecerunt, eodem illo temporis puncto, angelorum legionibus ſtipati, triumphantes in cœlum evolarunt. O vos beatiſſimos, qui ſanguinem veſtrum pro eo fudiſtis, qui prior ipſe pro vobis ſuum ſanguinem fuderat! qui mortem naturæ debitam, pro vitæ auctore potiſſimum reddidiſtis! Illi impii, quos tum concidebatis, cum concidiſtis, & mortem oppetierunt cum ignominia, & mortui pœnas nunc ad inferos luunt: vos vero & extremum ſpiritum victores cum gloria effudiſtis, & mortali conditione vitæ in immortalitatem commutata, piorum eſtis æternam ſedem & locum conſecuti. Beata vita, quæ tali morte concluſa eſt! beata mors, quæ tali vitæ principium dedit! Sed ut ad te, M. Antoni, mea jam revertatur oratio, neque populus Romanus ignorat, neque unquam ulla ignoratura eſt aut gens, aut ætas, hujus immortalis gloriæ nomen multo tibi plus quam pro virili parte deberi. Tu jam inde a principio, cum a ſanctiſſimo Pontifice Pio Quinto hujus ſaluberrimæ Principum Chriſtiano-

ſtianorum conjunctionis fundamenta jacerentur, ad eam rem ex ipſius ſententia conficiendam, plurimum laboris, operæ, auctoritatis contuliſti. Tu cum claſſi Pontificiæ ſummo cum imperio præfectus eſſes, in Siciliam profectus, interea dum Joannes Auſtrius, non mea tantum, ſed omni omnium prædicatione major adoleſcens, cujus in totam Chriſtianorum claſſem ſumma erat auctoritas ac poteſtas, eodem perveniret, & milites & claſſiarios ſtudioſiſſime exercuiſti, &, ut omnium rerum ad maritimum bellum neceſſariarum copia ſuppeteret, perfeciſti. Tu, quoties de ſumma re deliberatum eſt, eas ſententias dixiſti, quæ ſummam prudentiam cum ſumma animi excelſitate conjunctam indicarent. Tu cum offenſiones quædam intervenirent, quæ rem in ſummum periculum abduxerant: iratorum animis, ſapientiſſime capto a conſilio, & gravi atque accommodata ad tempus oratione mitigatis ac compoſitis, naſcentis mali occaſionem ſuſtuliſti. Tua cohortatione inflammati milites ad pugnam exarſerunt: tuum in ipſa pugna exemplum ſecuti, omnia pro Chriſto pericula contemſerunt. Pervenit, ac perlatus eſt usque huc tuarum immortalitate dignarum vocum ſonus: *Optimis auſpiciis geri, quæcunque pro Chriſtiana religione gererentur; barbaricam audaciam cedentibus inſtare, inſtantibus cedere; noſtrorum & victoriæ & morti immortalem gloriam propoſitam eſſe; illo duce atque auſpice, cujus brachia in cruce pendentis effigies, e ſummo regiæ triremis eminens, noſtros animaret, terreret hoſtes, de ſecundo prælii exitu nemini eſſe dubitandum.* Audivi, audivi ipſe de fortiſſimo viro, cujus eximia virtus & ſæpe alias, & in hoc bello vel maxime ſpectata eſt, quique tuorum in hæc expeditione conſiliorum, ac laborum particeps fuit, quam præclarum tibi, quamque honorificum teſtimonium tribuerit *divinus adoleſcens Joannes Auſtrius*, po-

postridie ejus diei, quo debellatum est, cum aperte prædicaret, tuum in hac sancta belli societate conflanda præter cæteros laborem ac studium; in deliberando prudentiam & altitudinem animi; in re gerenda fortitudinem & alacritatem exstitisse; te & committendi prælii consuasorem, & comparandæ victoriæ adjutorem sibi præcipuum fuisse. Quæ cum omnia magna & præclara sint, multo tamen a tē majora & præclariora populus Romanus exspectat. Properant M. Antoni nostra omnium vota: quique animis præsentis gaudii magnitudinem capere vix possumus, rerum a te gestarum præstantia, quasi quibusdam alis sublati, cogitatione & spe multo jam ulterius provolamus. Non satis est impulisse hostem: prosternendus & opprimendus est, antequam se novis opibus copiisque renovarit. Extorquenda sunt vobis ex illius belluæ faucibus impioque dominatu ampla illa & opima regna, in quæ, a Romano imperio distracta atque divulsa, nullo jure, injustissimus possessor invasit. Tendit vobis Judæa supplices manus, & palmas, quarum feracissima est, vestris victoriis triumphisque despondet, obtestaturque vobis per eum, quem ex purissimæ matris utero mirabiliter exeuntem excepit, cujus vestigiis impressa, cujus admirandis operibus nobilitata, cujus sparso pro nobis omnibus sanguine irrigata est, ne se diutius patiamini indigna Christi hostium servitute oppressam teneri. Duce olim columna Judæi ex dura ac diuturna servitute extracti sunt. Utinam nostris quoque temporibus Judæa ipsa duce Columna ex multo duriori multoque diuturniori servitute extrahatur! Proditum est litterarum monumentis imperante Constantino, Constantini magni filio, visam esse in cœlo sub specie crucis ingentem columnam coronatam, quæ longe lateque collucens, a monte olivarum usque ad eum montem,

tem, ubi Christus pro nobis omnibus morte affectus est, pertingeret. Declarandum est tibi M. Antoni rebus ac factis, tam insigne prodigium ad te & ad gentem tuam pertinere. An vero gentes quædam antiquis temporibus propter violata majorum suorum sepulchra gravissima bella susceperunt: nos JEsu Christi Domini ac Dei nostri sepulchrum, monumentum salutis nostræ, pignus resurrectionis nostræ, ab immundis canibus tamdiu teneri, eisque ludibrio esse patiemur? Ite potius optimis omnibus generosæ ac fortes animæ! Ite accensa divinæ gloriæ studio pectora! continuate victorias! connectite Triumphos! invidete posteris vestris gloriam ejus terræ, ex qua salus nostra prodiit, ab immanibus belluis receptæ ac recuperatæ! Ubi melius sanguis spargi potest? ubi melius vita deponi? ubi verior ac solidior gloria comparari? O Christe, te adpello. In tua manu bellum, & pax: in tua manu victoria; in tua manu regum ac populorum corda sunt. Inspira nostris ardorem pugnandi! da eisdem vim facultatemque vincendi! immitte eam mentem principibus ac populis, qui nondum in hanc sanctam societatem nomina dederunt, ut id primo quoque tempore facere maturent! non quod tu, qui omnia potes, aut eorum opera aut nostra ad hostes tuos obterendos egeas: sed ut omnes, qui tuo nomine gloriantur, in partem aliquam veniant ejus gloriæ, quæ ex nominis ac cultus tui propagatione capietur. Et quando urbem Romam imperii sedem ac domicilium, Ecclesiam Romanam religionis firmamentum esse voluisti: da Pio Quinto Pontifici, da Populo Romano hoc munus, ut in hanc potissimum urbem, & ad hunc potissimum Pontificem partæ tam nobilis victoriæ aliquando nuncius adferatur!

DIXI.

ORA-

ORATIO XX.

Habita Romæ in æde D. Petri in Vaticano V. Id. Maj.

Anno M. D. LXXII.

In funere Pii V. Pont. Max. qui obiit Kal. Maj. ejusdem anni. *

Dicturus ex veteri consuetudine de Pii V. sanctissimi & in omni virtutum genere summi Pontificis laudibus, in hoc orbis terrarum augustissimo nobilissimoque consessu, Patres amplissimi, maximopere commoverer ac conturbarer animo, tum ob virium

---

* Funebres etiam sunt in hoc Volumine Oratio XXIV. & XXVI. & Volumine sequenti, quæ locum extremum occupant Orat. XXV. & XXVI. In *Orationibus Procerum* reperiuntur hujus generis quamplurimæ, a præstantissimis Oratoribus habitæ, ut Vol. I. Orat. 10. *M Antonii Sabellici* in funere Benedicti Rugii Orat. 14. *Maximi Leonelli* in funere Innocentii IIX. P. R. Orat. 21. *Gabr. Mauri* in funere Benedicti Pisauri; Orat. 24. *Jo. Bapt. Rahmnusii* in funere Francisci Faseoli; Orat. 43. *Petri Victorii* in funere Eleonoræ Ducis Florent. & sequens in fun. Ferdinandi I. Imp. a *Franc. Forgatz* recitata; Orat. 5.. in fun. Cæsaris Baronii, Oratore *Mich. Angelo Buccio*, & Orat. 71. *Stanisl. Lubienii* in fun. Sigismundi III. Pol. R. Volum. II. Orat. 163. *Ant. Malagonelli* in funere Clementis. X. R. Pont. Orat. 194. *Aub. Miræi* in obitum Rudolphi II. Imp. & seqens 95. *Jo. Henr. Bœcleri* in funere Linnasti Dorstenfonii. Vol. III. Orat. 213. *Ant. Malagonelli* in fun. Christinæ Reginæ; Orat. 229. *Joh. Georgii Gravii* in obitum Mariæ Stuartæ Angl. Reg. & ejusdem Oratio, quæ locum 251. obtinuit in obitum Guilielmi III. M. Britanniæ R. quam sequitur *Jac. Trigiandi* Oratio in eundem Principem. Num. 272. habetur Oratio, qua *Clemens XI.* P. M. manibus Caroli Card. de Tournon parentavit; ut alias taceam passim in eodem opere obvias.

um mearum imbecillitatem, tum ob brevitatem temporis mihi ad me comparandum dati: si existimarem, aut ullam in quoquam vim dicendi meritis ipsius parem posse reperiri, aut ullam longitudinem temporis suffecturam ei, qui tam copiosi ac multiplicis argumenti partes omnes pertractare ac persequi vellet. Sed cum & omnibus, & vobis præcipue, qui propius illum cognovistis, notum exploratumque sit, iis illum supra cæteros mortales virtutibus floruisse, quarum præstantiam, non dicam exæquare dicendo, sed assequi cogitando difficile atque arduum sit: ipsa me animosiorem atque alacriorem facit suscepti muneris difficultas, cogitantem, quod mihi necessario eveniet, ut & multa memoratu dignissima prætermittam, & ea ipsa, quæ attingam, jejunius multo atque exilius, quam pro ipsorum dignitate, percurram, idem cuilibet quamlibet exercitato & omnibus rebus ad dicendum instructo homini eventurum fuisse. Ac quoniam auguratur animus, eum jam in æternas illas beatorum sedes evectum, & cum Deo conjunctum, quæ hoc tempore a nobis dicuntur, quæque fiunt, audire atque intueri: eundem in hoc munere obeundo modum tenebo, quem tenerem, si ipse, mortali adhuc corpore indutus, præsens adesset: ut & eo genere orationis utar, quo ipsum præcipue oblectari solitum novimus, non pigmentis ac fucis oblito, sed severo ac solido; & ea sola in ipso commendem, quæ ipse in rebus humanis commendanda ducebat. Qui ethnicorum more vixerunt, ethnicorum more laudentur: ego tam sancto tamque Christiano Principi nullam laudem convenire arbitror, nisi vere ac proprie Christianam. Itaque in quibus exaggerandis, & amplificandis veteres plurimi erant, & a quibus fere hujus generis orationum principia ducebant, patriæ claritatem, quam etiam quidam ex illis pri-

propositio

confirmatio

primam partem felicitatis esse dixerunt, nobilitatem generis, opes, ac copias, ea nos, etiamsi vere ac copiose id facere possemus, in talis tamen viri laudibus numeranda non ducemus. Quanti hæc sint, declaravit ipse Christus, qui totius orbis Dominus, obscurum & ante id tempus ignobilem pagum, in quo nasceretur, elegit. Deus & Dei filius, faber & fabri filius haberi voluit; rex omnium, in paupere tugurio natus, non habuit ubi reclinaret caput. Immo vero ii demum glorioſi mihi præter cæteros, atque illustres videntur, etiamsi hæc humanarum rationum momentis expendere libeat, qui Deo tantum freti, ea, quæ inter homines summa habentur, sine ullis ejusmodi præsidiis, sua sibi virtute pepererunt. Pulchrum est enim ita abundare, ut nemini quidquam debeas; ita illustrare alios, ut nihil ipse splendoris ac claritatis ab aliis mutuatus esse dicaris. Sed, his omissis, quæ semper sapientissimus quisque contempsit, jam quasi thesaurum quendam rerum pulcherrimarum, ac pretiosissimarum aperiens, spectatumque proponens, evolvam & explicabo vera illa & divina bona, quæ semper illum bonis amabilem, improbis formidabilem, utrisque admirabilem reddiderunt. Qui statim ab ipso ineuntis ætatis principio, cum & divino lumine illustratus, & domestica, ut credibile est, institutione commonefactus, iis, qui in seculo viverent, difficilem esse in cœlum viam judicasset, impulsu Spiritus sancti, fugit e patria inferiori ac terrestri, ut Abraham, iterque illud arripuit, quod ad illam superiorem ac cœlestem tendenti tutius atque expeditius esse intelligebat. Fugit ut Loth, neque post tergum respexit, cum sciret eos, qui manu ad aratrum appositа respiciunt retro, aptos non esse ad regnum Dei. Fugit ut Jacob, & in ea demum terra conquievit, in qua vidit scalas, per quas itur in cœlum. Dedit enim nomen in lauda-

I.

datissimam illam D. Dominici sodalitatem, in qua, ut primum instituta est, tanquam in opimo ac fertili agro, eodemque bene ac diligenter subacto, & exculto viri & doctrinæ magnitudine, & vitæ sanctitate præstantes, nunquam alii aliis succrescere, alii ex aliis continenter propagari ac proseminari desierunt. In ea ita vixit, ut juvenis senibus, tyro veteranis, novitius exercitatis, tanquam exemplum continentiæ, tolerantiæ, frugalitatis, obedientiæ, omnis denique virtutis proponeretur. Neque vero cœpit quidem ita vivere, sed in eo non perstitit; neque perstitit quidem, sed non longius progressus est; neque progressus quidem, sed in medio curtu defatigatus. Immo vero totum vitæ spatium ita transegit, ut, cum jam pridem ad summam virtutis perfectionem perveniisse judicaretur, ipse tamen quotidie se ipso melior ac perfectior cerneretur. Cum autem alia in hoc viro admirabilia fuerunt, tum singulare studium conservandæ veræ ac Catholicæ religionis, & adversus eos, qui illam ulla ex parte labefactare conarentur, implacabile odium semper eluxit. Quibuscum ille perpetuum bellum gerens, ne punctum quidem temporis in vita ab eis vexandis, & exagitandis conquievit. In aliis erratis condonandis, atque ignoscendis, quanquam & sui & aliorum severissimus censor, non ita se durum atque inexorabilem præbebat: qui ab Ecclesia desciviissent, nisi aut ipsos erroribus, aut ipsis orbem purgaret, vitam sibi acerbam atque insuavem esse ducebat. Exedebat animum ipsius zelus Ecclesiæ; neque quisquam unquam verius idem, quod olim David dicere potuit: *Nonne qui oderunt te, Domine, oderam, & super inimicos tuos tabescebam? Perfecto odio oderam illos.* Ergo cum ei munus in eos inquirendi publice mandatum esset, quas ille potentum inimicitias, quas minas, quæ pericula, quas vitæ ac capi-

Ps. 139. 21.

tis dimicationes sibi, dum illos modis omnibus persequitur, defugiendas putavit? quas non potius ultro ac cupide appetiit? quam sæpe ab illis petitus, a Deo mirabiliter servatus est? ut de eo dici possit, quod alicubi ait Cyprianus: non animum martyrio, sed martyrium animo defuisse. Ob hæc tanta, ac tam præclara in Christianam Remp. merita, primum creatus Episcopus Nepesinus, deinde a Paulo IV. in vestrum, Patres amplissimi, Collegium adscitus, atque aggregatus, quanta cum dignitate dignitatem illam sustinuerit, quid opus est, præsertim apud vos agentem, pluribus verbis exponere? Quantum ei prudentiæ & acuminis ad videnda ea, quæ vera & recta essent, quantum animi & libertatis ad eadem proferenda quantum auctoritatis ad obtinenda semper fuit? Nihil unquam ille in dicenda sententia aut metui, aut gratiæ dedit; nunquam ad cujusquam voluntatem orationem suam accommodavit; nunquam quidquam veritate prius, aut antiquius habuit. Itaque vulgo etiam dicebant, nihil ab eo precibus peti oportere: preces enim apud eum neque ad justa impetranda necessarias esse, neque ad injusta extorquenda efficaces. Quod si quidam ex veteribus Romanis eo nomine felix habitus est, quod ab eo nemo ullam rem improbam petere auderet: quid hunc dicemus, quem omnes, qui quid petituri erant, in quo vel minimum turpitudinis inesset, tanquam
11 scopulum quendam refugiebant? Ut autem divino consilio, vestris suffragiis, in Pii Quarti locum suffectus est, tanta subito exstitit bonorum alacritas, & exsultatio, tanta improborum fuga, & trepidatio, ut neque illi quidquam sibi optatius potuisse contingere, neque hi uspiam se jam tuto posse consistere arbitrarentur. Cernere erat bonos hilares & erectos, tristes improbos & abjectos; illos gaudio triumphantes, hos de conscisendo

do sibi voluntario exsilio consilia inter se communicantes; illi gratulatum ad templa convolabant, hi adspectum hominum lucemque vitabant; illos sublatos in cœlum, hos amandatos infra terram putares. Neque vero multis edictis aut programmatis opus fuit ad pestes quasdam hominum ex urbe pellendas. Ut sol exoriens nebulas disjicit, ut ventus aream purgat: ita nomen ipsum novi Pontificis dissipavit improbos, & urbem tetra illa impurorum hominum colluvione purgavit. Jam in ipso Pontificatu qualis fuerit, si quis subtilius requirere instituat, ita reperiet, multis seculis nullum Pontificem fuisse, qui ad veteres illos, Sylvestrum, Gregorium, Leonem, ejusdemque generis alios, vivendi ratione, & consuetudine propius accesserit. Primum enim si privata & domestica spectemus, eandem in victu cultuque parcimoniam retinuit, ~~quibus~~ a principio se, cum adhuc in monasterio esset, assuefecerat. Eadem jejunia erant, eædem preces, eadem statis anni temporibus a certis ciborum generibus abstinentia, eadem interioris vestitus asperitas: neque quisquam unquam intemperans tanto studio voluptates corporis consectatus est, quanto ille eas perpetuo repudiavit. Imo vero, quarum Ecclesiæ constitutionum propter senectutem, aut propter imbecillitatem corporis gratia plerumque petentibus fieri solet; iis ut ipse se solveret, quanquam & affecta ætate, & corpore admodum imbecillo, nunquam tamen adduci potuit. Quotidie fere sacrificabat; si id non poterat, omnino tamen sacrosancto Missæ sacrificio intererat. Nunquam ex ejus ore verbum unum prodiit, quod non aut ad DEI laudem, aut ad eorum, qui aderant, emendationem pertineret. Sic quanquam adhuc in terra positus, versabatur in cœlo: & cum hic nobiscum viveret, jam tamen civis erat Sanctorum & domesticus Dei. Tota

quoque ejus familia ad exemplum Domini composita erat: cumque multis in locis familiares principum sumptuoso vestis genere, arrogantia & contemptu cæterorum, licentia & dicendi & faciendi quidquid collibuit, distingui ab aliis soleant, hic suos ita instituerat, ut nulla re magis quam modestia singulari, & præcipua quadam sanctimonia vitæ a vulgaribus discernerentur. Atque hæc privatim. Publice autem quot quantaque beneficia & in hanc urbem, & in totam Christianam Rempublicam contulit? Revocavit veterem Ecclesiasticam disciplinam: quæ ita jam obsoleverat, vix ut ejus imaginem in veterum scriptis agnosceremus. Judiciorum severitatem, quam jam improbissimus quisque aut eludere aut perrumpere solebat, renovavit: cumque acrioribus remediis egere hoc seculum judicaret, propositis etiam acerbioribus suppliciis, hominum libidinem audaciamque frenavit. In quo, si qui sunt, qui eum ut nimis severum, ac rigidum culpare audeant, & ut molles ægroti de medicamentorum amaritie conquerantur: facere id non possunt, quin eadem opera de sua nequitia & levitate fateantur. Nam si adversus extraneos tantum severitatem adhibuit, in se autem, & in suos remissus, atque indulgens fuit, tum sane hos reprehensores audiamus: sin & domi, & foris, & in suos, & in alienos sui se similem præbuit, neque quenquam usque eo carum habuit, ut ad ejus peccata connivendum duxerit; fateamur, id quod res est, severitatem illam ab eximio quodam justitiæ studio profectam, his temporibus necessariam ac salutarem fuisse. Jam eum & ab omni avaritia ac sordibus longissime abfuisse, & liberalitate ac magnificentia excelluisse, & res ipsa loquitur, & ii quoque, qui propter eas quas dixi causas parum ejus gloriæ favent, confitentur. Cui rei argumento est & innumerabilium privatorum inopia sublevata & infi-

infinita illa vis pecuniarum, qua omnibus prope orbis Christiani partibus aliqua difficultate pressis ac laborantibus sine ulla cunctatione subvenit. Illud vero immortale, & omnium gentium omniumque seculorum prædicatione celebrandum beneficium, quo universam Christianam Rempublicam affecit, inita & constituta cum Philippo Rege vere Catholico, & cum Venetis, belli adversus Turcas gerendi societate, quis unquam satis pro dignitate laudaverit? Quam in societatem ut cæteros quoque principes Christianos perduceret, cum alia multa molitus est: tum anno superiori, periculosissimo tempore maximis caloribus, eum, quem semper meritissimo unice dilexit, sororis suæ nepotem, Michaelem Cardinalem Alexandrinum, sibi sanguinis quidem conjunctione proximum, sed virtutis imitatione propiorem, in cujus aspectu ac colloquio acquiescebat, cum quo cogitationes ac consilia sua communicabat, in quo maximum posteritatis suæ præsidium collocarat; eum igitur legatum in Hispaniam, in Lusitaniam, in Galliam misit; neque ejus, quem tantopere amabat, vitam in apertum discrimen exponere veritus est, dum ne quid intentatum relinqueret, quod ad Christi gloriam & ad Christianorum utilitatem pertineret. Hæc ego cum laudo, Patres amplissimi, vos laudo. Magna enim vestra laus est, aliorum quidem, quod ex corpore vestro talem principem elegistis; aliorum vero, quod vos talis princeps in amplissimum ordinem adlegit. Singulares Principis nostri virtutes Deus Opt. Max. singulari felicitate cumulavit, datis ei de duplici genere hostium duabus maximis pulcherrimisque victoriis, altera terrestri de iis, qui in Gallia & a Christo, & a Rege defecerant; altera navali, cujus recens adhuc memoria est, de sempiterno Christiani nominis hoste, Turcarum tyranno. Sed & hæc & alia

plurima, quæ sciens prudensque, ne longior sim, prætereo, historiarum scriptores monumentis suis commendabunt æternitati: mihi autem breviter de ipsius exitu, ac migratione ex hac vita dicendum est, ut intelligant omnes, vitam ita laudabiliter actam non minus laudabili fine esse conclusam. Duo sunt, quæ, cum ad extremum vitæ ventum est, etiam spectatæ virtutis viros de gradu dejicere interdum solent, doloris acerbitas, & mortis metus. Et sunt tamen, qui quamdiu a se mortis periculum abesse confidunt, dolorem satis forti animo ferunt. Sunt etiam qui, dum ne gravi & diuturno dolore crucientur, imminentem mortis necessitatem satis æquo animo exspectant. Qui autem utrumque præstet, ut neque doloris acerbitate, ac diuturnitate frangatur, neque adventantis, atque imminentis morti metu terreatur, ei pectus incredibili quadam fortitudine armatum esse ac munitum necesse est. Quæ laus si cui unquam merito tributa est, huic certe omnium confessione tribuenda est. Qui cum quadraginta totos dies tantam vim doloris perpessus sit, quanta maxima cadere in hominem potest, nunquam tamen ullam vocem parum se dignam emisit, sed illud in ore frequentissime habuit: *Domine adde sane ad dolorem, dum addas & ad patientiam.* Mortem autem, sibi ab ipso morbi principio certam atque exploratam, ita non exhorruit, ut de ea sine ulla prorsus aut vultus, aut animi perturbatione loqueretur, planeque ostenderet eam a se, ut Divus Paulus ait, in lucro poni. Ac ne cui dubium sit, præsciviisse eum, sibi ex illo morbo moriendum fore, duas apertas, atque illustres ejus rei significationes dedit. Unam, quod Cardinalem Alexandrinum pridie Paraseves, hoc est, vicesimo nono ante ipsius obitum die, sacrosanctam Eucharistiam sibi porrigentem, & usitata verborum formula utentem, jussit insistere,

sistere, & ita verba concipere, ut in iis tantum sit, qui sanctissimum illud Sacramentum pro viatico accipiunt, ut paulo post ad aliam vitam commigraturi. Alteram, quod cum, ob quandam morbi levationem, depulsum ab eo esse mortis periculum, constans opinio esset, septem illa præcipua urbis templa invisere voluit, ejusque itineris, quanquam viribus morbi gravitate & longinquitate dejectis, magnam partem pedibus confecit, aperte profitens, velle eorum reliquias postremum videre, quos se non multo post visurum esse speraret in cœlo. Mortem autem illius & præcesserunt multa prodigia, terræ motus, fluminum inundationes, crebri fulminum jactus, & secuta est tanta populi consternatio, ut ejus desiderium vix longo tempore mitigari posse videatur. Sed nos quidem alienissimo Reipub. tempore, optimo & præstantissimo principe orbati sumus: ille autem, ut confidimus, e tenebris ac vinculis corporis in lucem libertatemque productus, promissam piis omnibus possidet hæreditatem: ita ut mors ipsius, si sortem nostram respicimus, luctu & lamentationibus; sin ipsum, cultu & gratulationibus prosequenda sit. Vos vero, Patres amplissimi, quos jam unos mœsta tanti gubernatoris obitu intuetur Ecclesia, quorum ex auctoritate ac suffragiis, secundum Deum, tranquillitas temporum & salus Reipublicæ pendet, consulite quam primum rebus afflictis, & ex vestro nobilissimo corpore ac Collegio, aliquem ejusmodi Ecclesiæ rectorem deligite, qui & sedare possit mœrorem ex hujus morte conceptum, & voluntate, prudentia, usu rerum, auctoritate, aptissimus sit ad perficienda pulcherrima ac præstantissima opera, quæ præpropera hujus morte imperfecta atque inchoata manserunt. Peroratio

DIXI.

De vita & ratione ad eloquentiæ laudem perveniendi.

ORATIO XXI.

Habita Romæ Non. Novembr.
Anno cIↃ IↃ Lxxii.

Cum secundum Tusculanarum exponere inciperet.

Exordium.

JUs civile me non vulgari via, sed nova quadam, & ante me in his quidem scholis inusitata ratione tradere ingressum, & in opere institutoque pulcherrimo quartum in annum, magna auditorum frequentia, magna animi contentione versantem, vestra, Cardinales amplissimi, in medio cursu insistere, aliudque munus suscipere coegit auctoritas. Nam, cum homo eruditissimus, qui tradendis eloquentiæ præceptis in hac urbe consenuerat, & adflicta valetudine, & ipsa jam ætate otium ac quietem postulante, missionem a vobis honestissimam impetrasset, nec ei facile successor idoneus reperiri posse videretur; mihi potissimum mandandum esse ab eo derelictam provinciam censuistis. Parebo libens, ut debeo, auctoritati vestræ: neque mihi quidquam unquam a vobis imponetur aut laboris, aut oneris, quod non ego prompto atque alacri animo subeam: quæque mihi a vobis imperata erunt, nunquam aut aspernabor ut nimis humilia, aut ut nimis ardua extimescam. Vestrum est, decernere ac statuere, quam a quoque nostrum hujus quasi Reipublicæ litterariæ partem administrari ac procurari velitis: nostrum, parere & mandata vestra subsequi, neque unquam ita nobis placere, aut tantum nobis tribuere, ut de vestro judicio iudicemus. Equidem quod ad me attinet, neque ullam artem, quæ quidem hominis ingenui studio digna sit, sordidam & abjectam esse duco: & hanc, ad quam tradendam nunc vocor, semper nobilissi-

Propositio implicita.

Confirmatio I.

lissimam existimavi: &, si aliter sentirem, fortassis tamen non vererer imitari Laconem illum, qui in convivio extremo loco jussus accumbere, convivatoris ingenium ac judicium commendavit, qui rationem excogitasset, qua illi quoque loco dignitatem compararet. Non enim tantum, ut vulgo dicitur, magistratus virum ostendit, & in luce hominum collocat, sed etiam sæpe magistratum is, qui eum gerit, exornat. Epaminondam ferunt, cum a civibus suis Telearchus creatus esset, (erat is apud Thebanos non magni momenti magistratus,) non detrectasse, sed dixisse, ita gesturum, ut deinceps Telearchia honoratior haberetur. Atque ita effectum est. Tantum enim Epaminondæ valuit auctoritas, ut post eum Telearchi perpetuo creati sint ex principibus civitatis. Hæc & talia dicerem, si in eloquentiæ professione parum inesse dignitatis existimarem. Sed & de re ipsa & de me longe mihi alia opinio est. Quamvis enim non inficior, magnum me semper amatorem atque admiratorem disertæ atque ornatæ orationis fuisse, studioseque in eam rem operam dedisse, etiam, si vultis, aliquando imposuisse populo, & apud eos, qui me cum deterioribus comparabant, in aliquam non infantis, neque indiserti hominis opinionem venisse: vereor tamen, ne exemplo meo comprobem id, quod tradunt rei militaris scriptores, etiam veteranos milites pro tyronibus habendos, cum diu a pugnando cessarunt. Sed quoniam id tantum a me exspectari ac requiri puto, primum, ut vobis, adolescentes, indicem ac commonstrem, eas vias, quibus ad eloquentiam posse arbitror perveniri: deinde ut ad superandam earum difficultatem, quantum in me erit, si quid modo erit, (neque autem multum, neque tamen nihil omnino fore confido,) auxilio sim: suscipiam, ac subibo paulo majore cum fiducia onus id, quod mihi, si meum

perpetuum publicæ utilitatis ſtudium divinæ benignitatis aura comitetur, utcunque poſſe videor ſuſtinere. Ut enim, ſi quis homo egens ac tenuis, alios ſe collocupletaturum eſſe profiteatur ridiculus ſit, ſin id tantum polliceatur, oſtenſurum ſe, quam viam inſiſtere debeant, qui rem facere cupiunt, nihil tamen alienum atque abhorrens a fortuna ſua ſuſcipere videatur: ſic ego, ſi ea me traditurum dicere auſim, quibus eloquentes fieri poſſint, merito irridear, cum ipſi mihi eorum perexigua pars ſuppetat; ſin id tantum dicam, poſſe me iis, qui eloquentiæ ſtudio tenentur, vias, quæ ad illam ferant, oſtendere, & ad id quod adamarunt conſequendum aliquid opis afferre: cauſſæ, ut opinor, nihil ſit, cur me quisquam aut nimium mihi adſumere, atque arrogare dicat, aut ea polliceri, quæ
II. præſtare non poſſim. Nolite autem, auditores, exiſtimare, me vulgare aliquid vobis & in medio poſitum polliceri, cum polliceor, me vobis itineris ducem ad eloquentiam fore: neque ita eloquentiæ nomen accipite, ut vulgo accipi conſuevit. Hodie enim ut quis vulgaria Rhetorum præcepta utcunque didicit, & in Ciceronis ſcriptis tantum poſuit operæ, ut, adhibito Nizolii libro, poſſit orationem aut epiſtolam ſcribere, cujus tum ſingulæ voces, tum ipſa etiam ſtructura & collocatio Ciceronem oleat, protinus magno eorum conſenſu, qui nihil altius, aut ſublimius cogitant, eloquentis nomen aſſumit. Ita ſi de quopiam iſtorum percunctere, num Platonem, Ariſtotelem, Theophraſtum legerit; denique num Philoſophiam attigerit, negabit: ſe enim, relicto aliis Philoſophiæ ſtudio, eloquentiæ gloria contentum fuiſſe. Quid Herodotum, Thucydidem, Xenophontem quam diligenter, ſtudioſeque verſaverit? Aliquid ſe fortaſſe ex eis libaſſe dicet, ſed properantem & aliud agentem, & qui unam modo ſpectaret eloquentiam.

Certe

Certe igitur Homerum, quem ut cæterarum ingenuarum artium, ita eloquentiæ quasi fontem quendam esse dicunt, Sophoclem, Euripidem, a quo optime ali eloquentiam, ipsi eloquentiæ magistri prodiderunt, cæteros denique Græcos & Latinos Poëtas accurate pervolutasti. Quem tu mihi, inquit, Homerum, quem Sophoclem, quas nugas nominas; quasi ego poeta, non orator, esse voluerim. Nimirum igitur, cum a te omne aliud scriptorum genus abdicasses, in illis eloquentiæ luminibus Lysia, Hyperide, Andocide, Isæo, Isocrate, Demosthene, quamplurimum olei consumpsisti, in eis egregium aliquod studium collocasti, eos sæpe relegens in succum ac sanguinem convertisti tuum. Imo, inquit, quorundam ex istis vix ipsa nomina agnosco: alios a Cicerone meo commendari memini, qui mihi solus in amoribus ac deliciis fuit, quem ego, admirabili quodam eloquentiæ studio inflammatus, nunquam ex oculis, ex manibus, ex sinu deposui; cujus in scriptis ita diligens ac sollicitus fui, ut quemadmodum nummi aurei aut argentei a plumbeis tinnitu ipso dignoscuntur, ita ego voces Ciceronianas ab iis, quæ Ciceronis non sunt, sono ipso discernere ac dijudicare possim. Bene sit, inquam, istis auribus tuis tam delicatis, tamque eruditis: sed cur, quæso, cum Ciceronem tanti facias, eos, quos tantopere ab eo laudari videbas, non attigisti? Istos, inquit, legissem, si Græce eloquens esse voluissem. Latinæ quidem eloquentiæ laudem affectanti satis esse unus Cicero visus est. Quæ ista (malum) Latina eloquentia est? aut quando quisquam veterum istud iter ad eloquentiam tenuit? Mihi quisquam eloquentiam vocat, cum genera caussarum, & nomina figurarum, & vulgaria quædam præcepta de conformandis orationis partibus, & hujusmodi nænias didiceris, voculas ex Cicerone collectas con-

conjungere, & ex eis quasi tessellis jejunam ac famelicam orationem contexere, sedulo caventem, ne quid dicatur, quod non ante Cicero dixerit? Picarum & psittacorum ista eloquentia est, auditas voces iterare ac reddere, neque quidquam unquam dicere, quod sit vere ac proprie tuum. Aliud antiqui vocabant eloquentiam: qui nisi qui de civilibus negotiis ornate ac copiose loqui posset, qui dicendo animos audientium flecteret, qui admirationem concitaret, qui modo clamores faceret, modo circumfusam multitudinem stupore defigeret, neminem eloquentem vocabant. Itaque qui se dicendi magistros profitebantur, multa de ratione argumentandi, multa de virtutibus ac vitiis, multa de permotionibus animi, multa de veterum institutis, ac legibus, multa de ratione instituendarum ac gubernandarum civitatum disputabant: seque propterea non Rhetores, aut, quæ tum usitata erat ipsorum appellatio, Sophistas, sed glorioſiore ac magnificentiore nomine Politicos nominabant. In quo etsi eos Aristoteles coarguit, ipse tamen docet, Rhetoricen quiddam esse ex Dialectica, & ex Politica conflatum atque commistum: & opus Rhetorices esse ait, iis in rebus omnibus, quæ in consultationem cadunt, omnia videre, quæ ad fidem faciendam accommodata sunt. Tribus autem præcipuis capitibus hoc contineri ait: si ita dicamus, ut, qui audiunt, bonos viros esse nos opinentur; si eorum animi motus quosdam concipiant ad id, quod volumus, efficiendum atque obtinendum accommodatos; si id, quod probare volumus, aut demonstremus, aut demonstrare videamur. Ut autem Dialecticus, (non ille ex scholastico pulvere clamator odiosus ac molestus, sed verus ac germanus Dialecticus,) duobus ad probandum instrumentis utitur, syllogismo & inductione: sic ei compar ac geminus & in dissimili genere simillimus orator

duo

duo alia habet, quæ duobus illis ex altera parte respondeant, enthymema, quod syllogismo, exemplum, quod inductioni. His duobus armatus est, his pugnat, his & suam & aliorum dignitatem tuetur: neque sine magna copia enthymematum & exemplorum ad omnem dicendi materiam comparata, eloquentis nomen sustinere quisquam potest. Enthymematum copia a Philosophis, exemplorum a poëtis & historiarum scriptoribus petitur: neque quisquam oratoris, aut eloquentis nomine dignus evaserit, qui non prius omnia Philosophorum scripta, quæ quidem ad formandos mores & ad tractandam Rempublicam pertinent, omnem historiam veterem, omnes antiquos & Græcos & Latinos poetas diligenter & accurate pervolutarit. Magnus labor, dixerit aliquis. Fateor: sed magnum est & id, quod hoc labore petitur. Et verum est, quod ait Horatius; *nil sine magno Vita labore dedit mortalibus.* Ad hanc facultatem consequendam ego me vobis, auditores, quantum vires meæ ferent, ducem ac comitem profiteor. Vestra res agitur: vobis, ut ille ait Comicus senex, seritis, vobis occatis, vobis eisdem metitis, vobis denique iste pariet lætitiam labos. Videbitis me quotidie caussa vestra efficientem, quæcunque potero, conantem etiam ea, quæ non potero. Alite vos, quoque studium meum attentione vestra, & dum ætas apta est ad labores perferendos, dum animus nullis aliis curis occupatur, dum cætera, quæ ad capiendum ingenii cultum requiruntur, affatim suppetunt, nolite committere, ut utilitas vestra, quæ & Gregorio Pontifici Maximo, & amplissimis Cardinalibus, quibus ille munus hoc demandavit, & nobis omnibus tantæ curæ est, a vobis, a quibus minime decet, negligatur. Equidem pro mea virili parte nullo loco vobis deero: docebo, admonebo, instabo, urgebo, excitabo, nonnunquam etiam, si

res

res ita poscere videbitur, objurgabo atque increpabo. Nolite exspectare, dum vobis aduler. Contemnam vos, si vos litteras contemnetis. Sin eas amabitis: & amabo ipse commoda vestra ex animo, &, ut vos me vicissim merito ametis, operam dabo. Sed, ut diei tempus est, diutius detinendi non estis. Secundum librum Tusculanarum disputationum explicare decrevi. Cras id facere incipiam. Polliceor autem vobis, qui me attente audient, curaturum me, ut eis operæ suæ ratio constet.

DIXI.

Pro Carolo IX. Galliarum Rege Christianissimo ad Gregorium XIII. Pont. Max.

ORATIO XXII.

Habita Romæ V. Kalend. Januar.
Anno cIↃ IↃ Lxxvii.

Post lanienam Parisiensem.

SI pro cujus quisque propugnatione ac defensione plura pericula subiit, plus excepit acerbitatum, pluribus quasi procellis ac tempestatibus agitatus est, eo plus gaudii ex iis, quæ ad retinendam atque amplificandam illius dignitatem pertinent, ad eum pervenire credendum est: dubitare non potes, Beatissime Pater, quin Carolus Rex, te Pontifice creato, tanto cæteros Reges eximia quadam percepti ex ea re gaudii magnitudine superaverit, quanto non hujus modo memoriæ, sed omnium ætatum ac seculorum Reges gravi ac diuturna susceptorum pro Sedis Apostolicæ auctoritate laborum ac discriminum perpessione superavit. Quo tibi gratior esse debet ac jucundior gratulatio, quæ tibi hodierno die fit ejus Regis nomine, qui cum, pro incredibili

studio

ſtudio atque obſervantia erga te ſua, prima omnium hoc officio fungi cuperet: iis tamen difficultatibus, quæ omnibus notæ ſunt, impeditus, non prius tibi gratulari potuit, quam divino conſilio contigit, ut poſſis tu quoque ei viciſſim vere ac merito gratulari. Etſi autem, quæ proxime in Gallia pro religione geſta ſunt, propter ſummam illius regni nobilitatem atque amplitudinem toto jam orbe celebrantur, neque locus, neque regio in terris ulla eſt, quæ non plena ſit & laborum ac miſeriarum, quas Galli ſuperioribus annis pertulerunt, & virtutis ac felicitatis, qua nuper uſus Carolus Rex, maxima ex parte eos in veterem ſtatum vindicavit: quia tamen neque Regis noſtri & nomine & re Chriſtianiſſimi pietas in Deum, quam ipſe omnibus notam ac teſtatam eſſe vult, ulla ex re melius cognoſci, neque ullum dicendi argumentum hoc quidem tempore reperiri poteſt, in quo plus aut dignitatis, aut delectationis ineſſe videatur: peto a te, Beatiſſime Pater, ut hoc temporis, quod mihi ad dicendum tua benignitate conceditur, in harum potiſſimum rerum tractatione conſumi collocarique patiaris. Quis igitur in Gallia rerum ſtatus fuerit, quo tempore Carolus nonus ad regni gubernacula morte fratris admotus eſt, omnes facile recordamur. Nam, quæ mali vis, jam tum Henrico regnante, in venis ac viſceribus Galliæ concepta ac concluſa latuerat, cuique optimus ille Rex, ob perpetuo deplorandum inopinatæ mortis eventum, remedium adhibere, cum maxime cuperet, non potuerat: eadem cum ſe ſub Franciſco ſecundo commovere cœpiſſet, & ab eo quoque, intempeſtiva morte prærepto, compreſſa modo & cohibita, non etiam exſtincta & ſublata eſſet, ad extremum univerſa ſe ingreſſo regnare Carolo effudit. Ut autem aquæ impetus ſaxorum lignorumve oppoſitu diu retentus ac retardatus, ſi

for-

forte tandem ea, quæ obstabant, aut sublata, aut perrupta & disjecta sunt, multo major ac vehementior esse consuevit: ita illi hominum omnia turbare cupientium cœtus, quos ad id tempus legum ac regum terror tanquam vinctos infrenatosque tenuerat, fractis postremo repagulis furere ac bachari per nobilissimum regnum, & in summa impietate summam licentiam nacti, divina humanaque omnia cædibus & incendiis miscere cœperunt. Atque ut antiqui fictis fabulis memoriæ prodiderunt, Hercule recens nato, duos ad eum inusitatæ magnitudinis angues superne lapsos esse, qui jacentem adhuc in cunis opprimerent; ita hoc novo Hercule, (qui enim adhuc adolescens tot jam monstra perdomuerit, meritissimo hujus nominis honore affici potest,) regni habenas tractare aggresso, infinita quædam non e superiore loco demissa, sed ex inferis emersa existit anguium vis, qui & pestilenti afflatu suo omnia contaminare, & teterrimum virus suum longe lateque spargens, non ipsi modo regi adhuc puero, & regnum & vitam adimere, sed & ex toto regno verum Dei cultum, quo uno æternæ vitæ spes continetur, exterminare conarentur. Qui divini quidem numinis metu jam pridem projecto, legum autem & judiciorum auctoritate tum maxime propter infirmam regis ætatem contempta ac conculcata, quam stragem, quas calamitates, quam vastitatem, quot inaudita crudelissimorum facinorum exempla in Galliam intulerunt? Horret ac refugit animus ea memorare, quæ post illas pestes ac furias ab humani generis hoste immissas, contigerunt: profanata, eversa, incensa templa; aras sacerdotum cæde maculatas; abstractas ex sedibus suis virgines Deo sacras; direptas urbes; campos manantes sanguine; fluviorum cursus humanis corporibus impeditos; ludentem excarnificandis hominibus sævitiam, feritatem

tem, ne conditis quidem mortuorum ossibus ac cineribus abstinentem. Quis usque eo Gallici, aut potius Christiani nominis hostis est, qui illa sine lacrymis aspicere potuisset? O Gallia, Gallia, tot virorum fortium, tot egregiorum principum, tot summorum Pontificum, qui tanta cum laude Ecclesiæ Dei præfuerunt, parens! Tune illa es, quæ susceptam a Christi Apostolorum discipulis fidem nunquam postea deseruerας? quæ non a tuis tantum, sed ab aliorum quoque finibus hæreticos aliosque hostes nominis Christiani tam sæpe depulerας? quæ Europam, Africam, Asiam, gestis pro Christi fide bellis nobilitaveras? quæ violatam ab aliis Sedis Apostolicæ dignitatem tam sæpe restitueras? tam firmis præsidiis sepseras? tam multis ornamentis affeceras? quæ urbem Romam ab imminenti direptionis & excidii periculo tam sæpe liberaveras? Vere enim hoc, Beatissime Pater, vere & sine cujusquam injuria gloriari possumus, duabus præcipue laudibus homines nostros, post Christum natum, supra cæteras gentes perpetuo floruisse: quod & Christianæ religionis non conservandæ tantum, sed etiam propagandæ studiosissimi, & ad accipienda omnia regum suorum imperia paratissimi semper fuerunt. Omnes autem illarum pestium conatus eo dirigebantur, ut & a Deo, & a Rege abductam Galliam, earum, quas dixi, laudum utraque spoliarent. Quod si utrumque consequi ac perficere non possent, certe quidem ut eam a summorum Pontificum cultu, & a Romanæ ac Catholicæ Ecclesiæ communione divellerent. Hoc præcipue imbiberant, hoc spectabant, hæc eis a principio mens, hoc consilium ac propositum fuit. Neque vero dissimulanter ferebant, conquieturos se, &, ut prius regis imperio parituros, dum Romani Pontificatus auctoritas e Gallia tolleretur. Quin etiam, si se rex ab hac sancta sede dissociare vellet, promptam ei & faci-

lem viam ad fines regni proferendos, & ad finitimas provincias sub imperium suum subjungendas ostentabant. Sed magnus & a natura ipsa ad honestatem conformatus animus, nec asperitatibus terreri, nec ulla utilitatis specie a recto avocari potest. Rex fortissimus & majoribus suis dignissimus, qui *pietatis ac justitiæ* gloriam ita etiam puer adamasset, ut ipsis earum virtutum nominibus quasi pro symbolo utatur, omnia sibi prius perferenda statuit, quam quidquam committendum, quo earum alterutra vel minima ex parte violari videretur. Repudiatis igitur omnibus improborum consiliis ac suasionibus, magno ille quidem cum dolore ac cruciatu animi, sed tamen, ut qui corruptas ac vitiatas corporis sui partes, aliis omnibus frustra tentatis, urunt postremo, aut secant, ne earum contagio cæteris obsit: cum jam in lenioribus remediis nulla spes esset, ad acriora descendere, & vim quodammodo visceribus suis inferre coactus est. Intestinum ac domesticum bellum, in quo omnia, quæ cogitari possunt miserrima, insunt, necessario ei adversus suos suscipiendum ac gerendum fuit: & ruina restinguendus ignis, ne tota Gallia eodem incendio conflagraret. Commissa multa prælia, multa cæsa hominum millia, sæpe fusi ac profligati hostes: rex tamen clementissimus, & suos, si qua ratione posset, prolatando potius ad sanitatem perducere, quam delere ac perdere cupiens, eis conditionibus acquieverat, quas æquissimas etiam iniquissimi judicarant. Pacata ac composita omnia videbantur, jamque spes erat, plerosque ex illis miseris agnituros errorem suum, & ad Ecclesiæ gremium suapte sponte redituros: cum illi patriæ prædones, ac parricidæ, qui totam prope Galliam insepultis suorum corporibus obruerant, quasique sepelierant, quorum ipsi gladii assuefacti trucidandis insontibus, assidue cædem sanguinemque sitiebant, pa-

parum se anteactæ vitæ responsuros judicarunt, nisi palmas illas, quarum adhuc cruda & recens memoria erat, novi sceleris accessione cumularent. Agebant illos præcipites & ad supplicium rapiebant pœnæ eorum, quæ tam multa adversus Deum & homines impie nefarieque commiserant: iis illi agitati, & a mente consilioque deducti, veriti non sunt adversus illius regis caput ac salutem conjurare, a quo post tot atrocia facinora non modo veniam consecuti erant, sed etiam benigne & amanter excepti. Qua conjuratione sub id ipsum tempus, quod patrando sceleri dictum ac constitutum erat, divinitus detecta atque patefacta, conversum est in illorum sceleratorum ac fœdifragorum capita id, quod ipsi in regem & in totam prope domum ac stirpem regiam machinabantur. O noctem illam memorabilem, & in fastis eximiæ alicujus notæ adjectione signandam, quæ paucorum seditiosorum interitu regem a præsenti cædis periculo, regnum a perpetua civilium bellorum formidine liberavit! Qua quidem nocte stellas equidem ipsas luxisse solito nitidius arbitror, & flumen Sequanam majores undas volvisse, quo citius illa impurorum hominum cadavera evolveret & exoneraret in mare. O feliciſſimam mulierem Catharinam regis matrem, quæ cum tot annos admirabili prudentia parique sollicitudine regnum filio, filium regno conservasset, tum demum secura regnantem filium adspexit! O regis fratres ipsos quoque beatos! quorum alter, cum, qua ætate cæteri vix adhuc arma tractare incipiunt, ea ipse quater commisso prælio fraternos hostes fregisset ac fugasset, hujus quoque pulcherrimi facti præcipuam gloriam ad se potissimum voluit pertinere; alter, quanquam ætate nondum ad rem militarem idonea erat, tanta tamen est ad virtutem indole, ut neminem nisi fratrem in his rebus gerendis æquo animo sibi passu-

rus fuerit anteponi. O diem denique illum plenum lætitiæ & hilaritatis, quo tu, Beatissime Pater, hoc ad te nuncio allato, Deo immortali, & divo Hludovico regi, cujus hæc in ipso pervigilio evenerant, gratias acturus, indictas a te supplicationes pedes obiisti? Quis autem optabilior ad te nuncius adferri poterat? aut nos ipsi quod felicius optare poteramus principium Pontificatus tui, quam ut primis illis mensibus tetram illam caliginem, quasi exorto sole, discussam cerneremus? Hoc ille nobis portendebat ac præsignificabat dissectus draco, gentis tuæ, Beatissime Pater, nobilissimum ac pulcherrimum insigne: fore ut immanis ille draco, aut illa potius multorum capitum hydra, quæ non paludem aliquam Lernæam, sed potentissimum & opulentissimum regnum tamdiu obsederat, te Pontifice dissecaretur. Nunc igitur contemplare, quæso, animo novum illum Davidem, cæsi ac prostrati gigantis spoliis ac sanguine decorum, eumque hilari vultu ad genua tua provolutum, ita tecum loqui existimato: Ego, Pater sanctissime atque optime, cum majores meos, maximos & potentissimos reges, accepissem omnes usque a Hlodoveo in sinceritate atque integritate religionis Christianæ, ne uno quidem excepto, plus mille annos firme ac constanter perstitisse; eosdemque præcipua quadam erga Sedem Apostolicam observantia, periculisque ac laboribus pro illius defensione aditis, & illud, quo nullum pulchrius est, Christianissimorum nomen, & primarium inter reges Ecclesiæ filios locum consecutos: statim a puero illud mihi proposui, ut eos potius aut adæquare, aut etiam, si fieri posset, superare contenderem, quam committerem, ut non satis respondere traditæ mihi ab illis gloriæ judicarer. Itaque & Pium Quintum, dum inter homines fuit, sanctissime ac religiosissime colui; &, eo ad meliorem vitam vocato, cum pri-

primum audivi te in locum illius esse suffectum, tanto gaudio affectus sum, quantum percipi, aut cogitari maximum potest. Multa enim jampridem de tuis in omni genere præclaris virtutibus audiveram, quæ te isto honoris amplissimi fastigio dignissimum reddidissent. Prudentiam, quam nihil fallere; justitiam, quam nihil inflectere; fidem & constantiam erga amicos, quam nulla temporum asperitas imminuere aut labefactare potuisset. In colendo Deo pietatem sine simulatione; in regendis hominibus severitatem sine superbia; in administrandis negotiis & sine festinatione diligentiam, & sine tarditate gravitatem. Movit etiam me subita illa totius Cardinalium Collegii in decernenda tibi summa potestate consensio: quæ neque sine certa & explorata opinione virtutis tuæ, neque sine singulari divinæ providentiæ afflatu potuit contigisse. Magna me spes tenet, fore ut sub tali Pontifice in ovile Christi gentes, & quæ veram religionem nondum acceperunt, aggregentur, &, quæ ab eo desciverunt, denuo congregentur. Quam ad rem perficiendam omnes meas & regni mei opes tibi libentissime defero, ea fide, quam rebus in regno meo gestis satis jam & tibi & universo orbi, ut arbitror, approbavi: simulque tibi & *Apostolicæ Sedi*, *quam debeo*, *obedientiam præsto atque exhibeo*, *& præstiturum atque exhibiturum in perpetuum spondeo.* Neque dubito fore, ut a te vicissim quæcunque ad meam & regni mei dignitatem pertinebunt, non tantum intacta & inviolata conserventur, sed etiam, ubi occasio tulerit, augeantur. Hæc, quæ tibi rex ipse, Beatissime Pater, præsens dicere cuperet, quia id non poterat, per hunc illustrem virum Nicolaum Rambolletii Dominum, equitem ordinis regii, unum ex intimis consiliariis suis, custodiarum suarum Præfectum, Caroli Cardinalis Rambolletii fratrem & natura & virtute

germanum, significanda censuit. Quanquam enim facile intelligebat, hæc eadem te ex præstanti viro parique dignitate prædito Francisco Barone Feralio, Oratore apud te suo cogniturum: non tamen sibi visus est suam in te colendo pietatem satis declaraturus, nisi hujus rei caussa propriam ad te legationem destinasset.

DIXI.

De utilitate, jucunditate ac præstantia litterarum.

ORATIO XXIII.

Habita Romæ XV. Kalend. Novembr.

Anno cIↃ IↃ Lxxiii.

CUm mihi a summis viris, quorum auctoritate, atque imperio nostra omnium studia diriguntur, mandatum esset, ut hodierno die, quo, ut scitis, more majorum, noster hic quasi Musarum exercitus quotannis lustrari solet, de præstantia litterarum, & earum artium quæ litteris continentur, aliquid publice dicerem, quo juvenum animi ad earum amorem incitarentur: quod prius facere debueram, sed inconsulto quodam obsequendi studio abreptus non feceram, cœpi oneris susceptι magnitudinem cum viribus meis sollicite comparare. Atque interdum quidem ita ratiocinabar, ut mihi nihil arduum, aut difficile impositum crederem. Nam, ut Cyrenæus Poeta facile ait esse omnibus Apollinem laudare, in quo tot, tantaque laudum argumenta sint: ita facile videbatur homini quamlibet infanti atque indisserto laudare eas artes, quas vere ac merito bonorum fontes nominare possumus. Neque enim dubitabam, quin omnium concessu multo justius artibus nostris, quam illis, de quibus id Xenophon dixit, honos hujus nominis tribueretur. Cogitabam etiam, tum demum in summa

me

me difficultate versaturum fuisse, si eas aut, quod nefas est, vituperare jussus essem, aut earum dignitatem abjicere & extenuare dicendo: nullum enim sane argumentum, quod quidem alicujus momenti esset, ad eam rem reperire potuissem. Quod si Socrates præsente Phædro amorem vituperaturus, facere id non audet, nisi sibi prius pallio caput obnupserit: multo me magis verecundari par fuisset, in tanto eruditissimorum hominum cœtu declamantem adversus eas artes, quarum omnes dignitate, ac pulchritudine, ita incensi estis, ut sine earum tractatione ne vitam quidem ipsam jucundum putetis. Nunc, ut idem ille sapientissimus senex factu facile esse ait Athenienses Athenis laudare, quod, quæ quisque amat, ea libentissime laudari audit: sic & ipse mihi videbar facilem & expeditam provinciam suscepisse commendandi ac celebrandi apud vos ea, quæ vobis omnibus in amoribus ac deliciis esse constaret. Sed interdum occurrebant alia quæ me commoverent, nec quieto esse ac securo animo sinerent. Nam & in tam ubere ac copiosa materia necesse est, unicuique audientium multa in mentem venire, quæ commode dici queant; neque fieri potest, ut, quidquid omnes cogitant, dicat unus; & ea est hominum natura, ut, cum quis, quod ipse dixisset, id ab eo, qui dicit, omissum videt, non hoc quoque dici potuisse, sed hoc potissimum dici debuisse contendat. Ita dum pro suo quisque captu, quid ipse dicturus fuerit, cogitat, & alia prope omnia fastidiens, dum id unum dicatur, avide exspectat: quidquid dixeris, semper videberis omisisse præcipua: & omnia communia ac contrita dixisse, quod ea non dixeris, quæ si dixisses, ipsa quoque aliis obsoleta & vulgaria viderentur. Ut melior hac in parte sit eorum conditio, qui aridis, ac sterilibus in argumentis versantur: quorum, sive abundarunt, laudatur ingenium; sive defecerunt,

fecerunt, materiæ jejunitas accusatur: cum contra, ubi ampla dicendi seges est, quidquid allatum est, ubertati materiæ adscribatur; quidquid omissum est, tibi. Ego vero quomodo aut quiddam allaturum esse me sperem, quod novitate audientium animos teneat, cum iis in rebus mea versatura sit oratio, in quibus præstantissima se omnium ætatum ingenia exercuerunt: aut ita dicturum, ut non innumerabiles alii iisdem de rebus ornatius ac copiosius dixerint? Sed mihi neque valde laborandum est, ut nova conquiram, (non enim cantilenæ sunt hæ, quibus novitas, ut ait Telemachus, conciliat gratiam, sed præcepta, quibus vetustas addit auctoritatem,) &, si vera, utilia, apta ad id, quod mihi propositum est, digna hujus loci auctoritate, digna vestris auribus attulero, quibus ea cumque verbis extulero, hoc ipso me satis ornate dixisse arbitrabor. Agite igitur, Viri præstantes, & cum aliis nominibus, tum præcipue harum, de quibus dicere ingredior, artium cultu & tractatione clarissimi: agite studiosi adolescentes, quorum mollis adhuc, & tenera ætas in ejusdem gloriæ spem, eodem quasi lacte Musarum educatur, cognoscite mecum felicitatem vestram, qui instinctu quodam afflatuque divino ad eas potissimum artes animum appulistis, quibus, sive quis utilitatem sequatur, nihil fructuosius; sive oblectationem, nihil suavius ac jucundius; sive splendorem ac pulchritudinem, nihil illustrius, aut ad struendam nominis immortalitatem firmius ac stabilius reperiri potest. Nam si veteres illi, qui errore ducti plures esse Deos opinabantur, quem cuique eorum diem consecrarant, eo laudes ipsius commemorare ac concinere solebant: multo nobis justior causa est, quicunque iisdem honestissimarum artium studiis, quasi quibusdam sacris initiati sumus, cum hic nobis anniversarius dies, majorum sapientia & auctoritate,

tate, ad intermissam per aliquot menses earum exercitationem de integro repetendam constitutus sit, cur ab earum commendatione principium ducere debeamus, easque celebrare, quas nobis vicissim aliquid celebritatis allaturas esse confidimus. Meminisse autem debemus, idcirco hunc sanctum, atque augustum locum ad hanc rem delectum esse, ut & in laudandis, artibus Deum ipsum laudemus, qui, ut alia omnia bona, ita eas quoque hominum generi dedit: & publice contestemur, ac profiteamur, studia omnia laboresque nostros & Deo auctore, atque auspice, suscipi, & ad ipsius gloriam, tanquam ad finem nobis omnibus præcipue propositum referri. Unde igitur in tanta eorum, quæ se ad dicendum offerunt, copia, potissimum exordiar? An ab eo, quod semper apud gravissimos quosque gravissimum fuit, antiquitatis testimonio? Quæ cum artes omnes bonæ sint, (nam si quæ malæ artes dicuntur, immerito eis artium nomen tribuitur,) has tamen nostras proprio ac peculiari nomine bonas artes vocavit: easdemque artes ingenuas, artes liberales, quod alias aut a servis, aut ab hominibus servili præditis ingenio exerceri, has unas ab ingenuis ac liberis excoli consentaneum judicaret. Quin etiam cum Græci earum cognitionem, sua lingua, tali quodam vocabulo affeciissent, ex quo id modo intelligeretur, statim a pueritia dandam eis operam esse: majores nostri hoc, ut pleraque melius ac sapientius: qui totum hoc artium genus humanitatem vocarunt: credo, indicantes, non multo minus inter homines talibus disciplinis expolitos, & vulgus aliorum, quam inter cæteros & pecudes intereſſe. Homines enim duabus præcipue rebus a cæteris animantibus discernimur, ratione, & rationis interprete oratione: quarum utraque in eis, qui harum artium expertes sunt, rudis quodammodo & in-

choata; qui eas bene penitus combiberunt, perfecta in illis atque absoluta est. Aristippus quidem, cum quæsiisset quidam ex eo, quid boni filio suo allatura eruditio esset, si nihil aliud, hoc certe, inquit, quod in theatro lapis in lapide non sedebit. Idemque alteri, qui, cum sibi nimium magnam mercedem posci pro institutione filii videretur, dixerat: Ista pecunia servum mihi emere possum; Tu vero, inquit jocans, etiam hoc amplius: si unum emeris, duos habebis. Significavit videlicet, quorum colluſtratus doctrinarum luce non esset animus, eos lapidum non hominum, aut, si forte inter homines, servorum, non ingenuorum, loco ac numero esse habendos. Ac mihi quidem hac tota de re cogitanti, quatuor omnino esse viæ videntur, quarum unam aliquam a principio ætatis capessere, ac postea persequi prope necesse sit: ex quibus ne dubium quidem esse potest, quin ea, quam ipsi ingressi estis, longe multumque aliis omnibus anteponenda videatur. Nam qui ista ætate sunt, partim otio se atque ignaviæ dedunt, mollemque vitam ac voluptariam sequuntur, ii præsertim, quibus amplum patrimonium est; partim si anguſtior sit res, quam ut nihil agentes ferat, dant se ad artem aliquam factitandam; alii, qui excelsiori sunt animo, armorum tractationem, & militaris rei gloriam sibi proponunt, alii denique animum ad litteras & ad hæc mitiora studia appellunt. Quid igitur istis turpius aut abjectius, qui, torporem ac desidiam amplexi, vitam luxu atque inertia transigunt, nihil agentes, quo se homines esse testentur? Qui, ut Phæaces illi Homerici.

Non pugnis, durave exercent membra palæstra:
Sed mensam & citharæ strepitum, dulcesque choreas,
Stragulaque & molles curant post balnea lectos:

Margitæ illius simillimi, de quo idem Homerus:

Non

Non fodere ille bonus, durisve ligonibus arva
Vertere, non ulli vivebat ideneus arti.

Sic enim & hi neque domi, neque militiæ, neque privatim, neque publice, neque ſibi, neque aliis utiles, ita vitæ curriculum conficiunt, ut, veluti naves, nullum ſui veſtigium relinquant. Qui mihi, ſi Diis placet, quod nihil agant, quaſi non pudere parum ſit, etiam gloriantur. Alii, inquiunt, in opere occupati ſint: nobis majorum noſtrorum virtute eſt, unde otioſi laute ſplendideque vivamus. Quid majores veſtros nominatis? qui ſi veſtri ſimiles fuiſſent, vos hodie in poſtremis jaceretis. Si, quales vos eſtis, tales ipſi fuerunt, indigni ſunt qui nominentur; ſin alii, vos indigni, qui eos nominetis. At, videte, quantopere a ſapientiſſimi poetæ Heſiodi judicio veſtra ratio diſcrepet; Laborem ille & induſtriam nemini, languorem & ignaviam omnibus turpem eſſe confirmat. Præclare Cicero: *Mihi quidem*, inquit, *qui nihil agit, eſſe omnino non videtur.* Nam & Phyſici docent, quæ cuique rei cauſſa eſt, ut ſit, eandem ei eſſe cauſſam, ut aliquid agat. Sed omittamus hos molles & delicatos, neque eos ex ſomno, cui tam libenter indulgent, excitemus: teneamusque id, quod a ſapientiſſimis viris proditum eſt, nihil eſſe inertia fœdius; otio ali vitia; otium, ut non graviſſimus poeta graviſſime tamen cecinit Catullus, non privatis modo hominibus, ſed & regibus, & prius beatis urbibus exitii cauſſam fuiſſe. Cum igitur otioſa & ignava vita ne vita quidem habenda ſit: videamus, num ad aliquam potius aliarum artium, quam ad litteras, animum adjicere præſtet. Equidem cum mente ac cogitatione perluſtro eas artes, quibus cum hiſce ſtudiis noſtris aut nulla, aut non magna communio eſt, ex iis quidem, quæ ita neceſſariæ ſunt, ut eis civitas nullo modo carere poſſit, duas præcipuas judico, agricul-

griculturam, & mercaturam; ex iis autem, quæ ad ornamentum civitatis, & ad animos honesta voluptate perfundendos pertinent, duas minime sordidas, minimeque illiberales, picturam, & statuariam. Nam quod boni unaquæque civitas percipere ex suo & patrio solo potest, id agricultura educit, atque elicit: quo eget, id aliunde mercatura comportat. Ita civitas sine alterius ope ne suis quidem opibus fruitur; alterius beneficio, fruitur etiam alienis. Pictorum autem & statuariorum opera & voluptatis atque admirationis habent plurimum; & quæ liberalium artium nota est, ingenii, non corporis viribus constant; & ad conservandam clarorum virorum memoriam, cæterosque ad eorum imitationem incitandos, non immerito magnam vim habere creduntur. Sed tamen quis ausit harum artium ullam cum litterarum studio comparare? Nisi forte majus est agrum, quam ingenium, colere, aut jacta in terram semina, depactive surculi, quam ingenia præceptis Philosophiæ consita, ampliores, aut uberiores fructus ferunt. Mercatura autem vel si tenuis est, sordida est, vel si ampla, tot expositа periculis, ut merito ille olim Laco negaverit, optabilem sibi videri fortunam, quæ rudentibus apta esset; cui cuimodi autem sit, tota fere ad quæstum, & ad lucrum refertur. At litterarum tractatio & dignitatis pleniſſima est, & quietis, & eas opes consectatur, quæ nec furem, nec prædonem timent, nec incendiis, ruinis, naufragiis obnoxiæ sunt, nec ullis denique casibus eripi possunt. Jam vero quæ Apellis aut Protogenis tabulæ cum Homeri pictura; quæ Phidiæ, aut Praxitelis statuæ cum litterarum monumentis conferri queant? Quos ipsos hodie ignoraremus, nisi solidiorem ac diuturniorem gloriam essent commendatione scriptorum, quam artis suæ operibus, consecuti. Nam quæ

illi

illi artificio suo elaborarant, & solius corporis effigiem exprimebant, & uno tantum spectabantur in loco, & eam naturam habebant, ut ea, si nihil aliud, ipsa certe longinquitas temporis confectura ac consumptura esset. At eruditorum hominum lucubrationes & clarorum virorum non formam modo corporis, sed ingenia, mores, consilia, res gestas, subjiciunt oculis; & iisdem, quibus orbis ipse terrarum, terminis ac regionibus continentur; & tantam vim habent, ut illa ipsa aliorum omnium humanorum operum confectrix vetustas his unis non modo nihil detrahat, sed majorem indies comparet, ac conciliet dignitatem. Trecentas sexaginta Demetrio Phalereo statuas æreas populus Athenienſis, anno uno eoque non toto, posuerat: quibus omnibus Demetrius ipse superstes fuit. At quæ ipse sibi monumenta ingenii ac doctrinæ magnitudine exstruxerat, ea & multis post ipsum seculis viguerunt; &, cum postea densa quædam & opaca nox omnem prope disciplinarum lucem exstinxisset, ex oculis erepta incredibile desiderium sui in omnium eruditorum animis reliquerunt. Elate & magnifice de se, ut solet, Pindarus, sed tamen vere: Statuarium esse se negat, qui mutas statuas edolet una defixas in basi: sed quos ipse cantibus suis celebret, eorum famam terra marique spargi ac disseminari. Sed erunt fortasse, qui vitam militarem huic nostræ pacatæ, atque umbratili anteponendam putent. Mihi quidem fortium virorum virtutem detrectare, aut conari, ut quidquam ex eorum gloria deteram, neque propositum est, neque fas videtur. Potius omnibus, qui dicendo aliquid possunt, omnem industriam ad eos celebrandos conferendam censeo: & hoc ipsum numero inter præcipua bona, quæ ab artibus nostris in vitam hominum manant, quod earum ope præclara illorum facinora ad immor-

immortalem posteritatis memoriam consecrantur. Sed tamen si quis secum in animo reputet; quæ vita sit ejus hominis, qui, modicis opibus instructus, in litterarum studio molliter ac placide consenescat; & quæ ejus, qui ab adolescentia armis tractandis assuetus, sub dio sæpius, quam sub tecto, sub pellibus sæpius, quam domi somnum capiat, vix dubium fore arbitror, utra melior & magis expetenda sit. Alterius aures tubarum & lituorum, & cornuum clangore; alterius Musarum concentu & Apollinis fidibus adsidue personant. Illius oculi cæde & sanguine, & incendiis; hujus admirabilium naturæ operum adspectu & contemplatione pascuntur. Ille aut in ipso ætatis flore hostili gladio transverberatur, aut mancos ac debiles artus & insignem cicatricibus vultum referens, domum redit; hic ut animo ita & corpore integer, vultum, nisi quantum rugæ, canique venerationis addiderunt, etiam nutrici agnoscendum, perfert ad ultimam senectutem. Neque vero minus glorioſa, aut minus hominum generi fructuosa hujus quam illius opera. Occupatur ille in finibus imperii proferendis; hic in finibus cupiditatum regendis & coercendis. Novit ille, quemadmodum urbes expugnentur; hic quemadmodum gubernentur: ille quemadmodum injuria aut repellatur, aut reponatur; hic quemadmodum & accipiatur æquo animo, & negligatur. Dicet ille, quam multos homines manibus suis trucidaverit: hic quam multos a cæde facienda, oratione sua revocaverit: ille quam multos in servitutem abduxerit; hic quam multos a servitute vitiorum in veram libertatem perduxerit. Illius usus nisi in bello nullus est; hujus opera, & in bello, & in pace salutaris. Itaque si homines inter se amice ac concorditer viverent, si Dei ac naturæ jussa sequerentur, si denique ii essent, qui esse deberent, jacerent omnes artes belli,

belli, ut quarum inter justos justus usus esse non possit, nostræ vero tum demum florerent, ac vigerent, tum demum eas optimus quisque summa corporis & animi contentione sequeretur. Neque vero quemquam ita esse arbitror sanguinarium, cui non præoptanda videatur nullius empta lacrumis gloria, neque ullo, nisi puro illo ac limpido Aganippes rore irrigata, quam tabo & cruore oblita, & multa strage ac cladibus comparata. Multa consulto prætereo: quod mihi, non tam, ut copiam & varietatem consecter, laborandum est, quam ut effugiam satietatem. Quis enim unquam tanta ubertate ingenii, tanta dicendi copia præditus reperietur, qui litteras ita laudare possit, ut non semper, cum plurima dixerit, plura tamen omisisse videatur? Omnia, quæ homines in vita expetunt, cujusque tandem generis illa sint, nulla re certius, aut facilius, quam eruditione ac litteris, acquiri, conservari, amplificari queunt. Est qui rei familiaris anguſtia pressus, ex ea expedire se, & ad moderatas opes sine ulla turpitudine pervenire cupiat? Quæ ad id conficiendum via aut honestior, aut expeditior, aut facilior est? Quam multos extenui & exili patrimonio, aut juris scientia, aut medendi arte fretos, (ut eas portissimum nominemus,) paucis annis ad maximas divitias pervenire vidistis? Nam quod plerique vulgato jam proverbio dictitant, ex omni nostrarum artium numero duas modo illas frugiferas esse ac fructuosas, cæteras cultoribus suis decoquere, ac decollare: in eo vanitatis illos, ac mendacii facile res ipsa coarguit. Nota est historia de Thalete Milesio, qui cum a propinquis objurgaretur, quod omne tempus in sapientiæ studio poneret, quod ad faciendam pecuniam, in qua illi posita putabant omnia, nulli usui esset: vultis, inquit, ostendam vobis, posse hominem huic studio deditum, si ei commodum

sit,

sit, divitem fieri, & hanc esse, si quis velit, ad quæstum ac compendium vel maxime compendiariam viam? Cum illi se velle dixissent, homo, qui ex astrorum scientia, magnam eo anno olearum ubertatem prævideret fore, multo ante exiguo pretio cum contra licitaretur nemo, omnia Chiorum, ac Milesiorum præla ac trapeta conduxit: quæ cum postea suo tempore, quanti voluit, elocasset, magnamque ex eo vim pecuniæ collegisset, ostendit, Philosophos non tam rem facere non posse, quam majoribus ac præstantioribus cogitationibus occupatos, de ea facienda non laborare. Quid Leontinus Gorgias? nonne Rhetorices professione & maximas sibi divitias peperit, & tantam gloriam, ut ei vivo ac videnti honoris ergo aurea statua in Apollinis Pythii templo constituta sit? Quid ille, qui eloquentiæ quasi mercator, atque opifex quidem habitus est, Isocrates? nonne & summa gloria fuit, & iis opibus, ut ter ad trierarchiam vocatus, cum eam bis effugisset, ad postremum splendidissime ac magnificentissime obierit? ad eam autem non fere nisi opulentissimus quisque ac locupletissimus adigebatur. Neque medicus erat optimus pessimi principis magister Seneca, neque de jure consulebatur: & tamen quantam sibi opum vim homo externus, & alienigena eloquentia & eruditione confecit? Scio, hoc, quod dicam, quibusdam incredibile visum iri: sed tamen, si vera sunt, quæ litteris prodita sunt, haud scio, an ullus hodie tota Italia Princeps tantas opes habeat, quantas in Senecam quadriennio Nero congessit. Nam cum ex veteribus illis Romanis M. Crassus opulentissimus fuisse dicatur: Senecæ opes Crassi opibus duplo majores fuerunt. Prope est ut pigeat, in hac parte tamdiu immoratum esse: sed tamen dicendum fuit aliquid adversus stultitiam eorum, qui ajunt, si quis juris scientiam,

&

& artem medendi excipiat, cæterarum artium noſtrarum ſterilem eſſe culturam. Qui error ex eo potiſſimum natus eſt, quod doctrinæ mediocritas magnos afferre fructus non poteſt. Itaque excellendum eſt iis, qui magna & præclara concupiverunt. At nos ſimul atque paulum ultra prima elementa progreſſi ſumus, falſa de nobis opinione tumefacti, quia non in nos continuo opes & honores congeruntur, jacere litteras clamitamus. Non jacent litteræ, non jacent, neque jacuerunt unquam: &, ſi antea jacuiſſent, Gregorio XIII. Pontifice non jacebunt. An ille, cum & omni doctrina inſtructiſſimus ſit, & ad illos veteres atque uſitatos noſtros & litterarum Patronos, Joannem Moronum, ſacroſancti Collegii Decanum, priſcæ majeſtatis abſolutiſſimum exemplar, cujus in ipſo nutu plurimum auctoritatis reſidet, cujus e vultu ipſo, atque oculis elucet gravitas humanitate condita; Aloyſium Cornelium Camerarium, hominem plenum officii, & ad omnium animos ac voluntates devinciendas ipſis Gratiarum manibus factum; & illa duo ornamenta ſeculi, firmamenta litterarum, domicilia virtutis & eruditionis, Guilielmum Sirletum, & Franciſcum Alciatum: ad eos igitur, quorum jampridem in fide, ac clientela eramus, cum proxime eum, quem pleno gradu per ſua veſtigia incedentem videt, quemque optimo jure cordi ſuo cariſſimum habet, fratris filium Philippum S. Sixti Cardinalem addiderit, eumque florentis ætatis commendationem a litteratum patrocinio ducere voluerit: qui tali argumento declaravit voluntatem erga nos ſuam, is metuimus, ne litteras aut egere, aut jacere patiatur? Sed ut, unde digreſſus ſum, redeam, atque id, quod inſtitui, abſolvam: & ad facultates ac copias ſine dedecore parandas accommodatæ ſunt litteræ, & multo magis colendæ iis, qui opibus abundant: ne, ſi id

facere neglexerint, instrumentis sibi a Deo ad virtutem datis per inertiam abusi esse dicantur. Eademque ratio est eorum quibus clari, & eorum quibus obscuri parentes obtigerunt. Nam neque illi ullo majori aut illustriori ornamento condecorare, & ut Homeri verbo utar, coronare possunt nobilitatem a majoribus acceptam: neque hi ex tenebris ulla ratione facilius emergere, seque in luce, atque in oculis omnium collocatos, a contemptu, atque ab oblivione in perpetuum vindicare. Rex erat ac regis filius Alexander Macedo, & viam sibi ad summam claritatem ac potentiam armis quotidie muniebat. At is & plus se debere Aristoteli, a quo eruditus, quam Philippo, a quo genitus fuerat, & cujus in regnum successerat, prædicabat: &, cum ab illo divulgatos esse libros quosdam arduis de rebus scriptos accepisset, ægre tulit, ac generosa quadam indignatione motus, epistolam ad eum scripsit, in qua hæc verba sunt: *Nam qua re post hæc cæteris præstabimus, si quæ a te edocti sumus, ea omnium communia erunt? Ego autem malim optimarum rerum scientia, quam opibus & potentia cæteris anteire.* Hæc igitur ille regum stirpe ac sanguine editus. Obscurissimo autem genere ortos quam multos nominare possumus, quos supra omnes omnium fumosas imagines litteræ collocarunt. Obstetricis filius erat Socrates. Num igitur eo Alcibiades nobilior? Euripidis matrem vendendis oleribus vitam toleraſſe accepimus. At ipse & regum familiaritate usus est, & ita clarus fuit, ut hodie magis Archelaus ex Euripidis, quam Euripides ex Archelai familiaritate noscatur. Tympanistria fuit Æschynis mater, etiam, si Demostheni credimus, vulgati corporis. At eum Rex Macedonum Philippus quantopere coluit? Quid tibicinis filius Pindarus? quanta in gratia apud Syracusarum Regem Hieronem fuit? Sed quid

hujus

hujus rei plura exempla conquiram? Signantur eruditorum hominum nominibus tempora; ut minus sæpe, quibus illi regnantibus vixerint, quam qui eis florentibus regnaverint, quærere soleamus. Neque tamen hæc præcipua sunt eorum bonorum, quæ percipiuntur ex litteris: sunt alia longe majora longeque diviniora. Litteræ inditos nobis a natura honestatis igniculos excitant; luxuriantes quasique fruticantes cupiditates stringunt ac coercent, easque rationis finibus regunt; abducunt a vitiis, duces & magistræ sunt ad virtutem; prosperis in rebus ornamento sunt, solatio in adversis; neque illis exsultare atque efferri suos, neque his frangi ac deprimi sinunt; eam denique tranquillitatem animi efficiunt, quam multi finem bonorum esse dixerunt. Crates quidem Thebanus interrogatus, quid sibi supereſſet ex Philosophiæ studio, notissimo versu respondisse dicitur: *Chœnix lupinum, & mentis a curis quies.* O magnum & excelso animo præditum virum! Quod aliis regna & imperia non adferunt, ut soluto ac libero animo sint, id ipsi, propter litterarum & Philosophiæ commercium, chœnix lupinorum adferebat. Quod si tam multa tamque præclara bona litteris ac disciplinis continentur; si ipsis nominibus ac vocabulis testata est vetustas, earum cognitionem & hominibus, & liberis atque ingenuis hominibus dignissimam esse, si & ignava vita homine indigna est, & nullo in studio melius, quam in litteris industria collocari potest; si ad opes ac potentiam, si ad honores ac dignitates via optime litteris sternitur; si eisdem & animi tranquillitas, & nominis æternitas comparatur: quid statis adolescentes, aut cur oblatam vobis tanti boni consequendi occasionem effugere atque evolare patimini? cur non aliis omnibus curis & cogitationibus ex animo abjectis atque abdicatis, in hanc unam toto pectore in-

cumbitis? Non hoc ſedendi, ut ait Bacchylides, ac cunctandi tempus eſt. Non enim ex plano ac facili gloria hæc petitur: neque lata, ut ait Propertius, via currere ad Muſas datur. Non fruſtra eas antiqui in arduo atque edito monte habitare dixerunt. Laborem & ſudorem & vigilias in earum atrio ac veſtibulo excubare voluit Deus: qui, ut dicebat Epicharmus, labore omnia prope bona hominibus venalia propoſuit. Ego autem, ut libere vobiſcum agam, valde vereor, ne, cum plerisque veſtrum alia omnia abunde ſint, mollitia multi & laboris odio a ſtudiis avocentur. Itaque quibus verbis Homerica Pallas Nauſicam e ſomno excitat, quam ſegnem & ignavam vocat, quod veſtes magni pretii, ſibi emptas a parentibus, neglectui habeat, easque illotas ac ſordidas jacere patiatur; ſurgere igitur eam jubet, & ad eas abluendas cum prima luce proficiſci, præſertim cum inſtet tempus nuptiarum: iisdem merito multos e vobis aliquis quotidie objurgaverit. Surge quamprimum miſer, & ex animo torporem atque ignaviam excute. Quid tu iſtud ingenium, quod tibi a communi omnium parente, Deo, multo qualibet veſte pretioſius datum eſt, ſitu ac ſordibus obſoleſcere quaſique rubigine obduci pateris? cur non potius diluculo ad illos proficiſceris omnibus obvios & expoſitos doctrinarum fontes, quibus te merſans, ex quibus arbitratu tuo hauriens, pectus & purgatum vitiorum maculis, & multa præclariſſimarum rerum cognitione madidum referas? Præſertim cum puerulus amplius non ſis, ſed ea jam appropinquet ætas, qua tibi in lucem atque in conſpectum hominum prodeundum eſt. Hinc enim demum multo magis, quam unde illa dicit, & tibi paries gloriam, & parentum pectus gaudio lætitiaque complebis. Sed jam longior, quam par erat, fui. Cogitate, obſecro vos, languidis ac remiſſis omnia

diffi-

difficilia, navis & induſtriis omnia pervia ac facilia eſſe. Deus optimus maximus, cui, quæcunque hic acta dictaque ſunt, grata & accepta eſſe cupio, vobis omnibus eum animum inſpiret, ut hæc, ad quæ vos hortatus ſum, tam ſequi velitis, quam conſequi poteſtis.

DIXI.

ORATIO XXIV.

Habita Romæ Anno clɔ lɔ LXXIV.

In funere Caroli IX. Gallorum Regis.

HOc igitur unum reſtabat adflictis ac pene proſtratis infelicis Galliæ rebus, ut Carolus Rex, quo ſe illa recreabat ac ſolabatur uno, de quo cogitans, in quem intuens, omnium quas excepit acerbitatum memoriam deponebat, cum bonorum animos ad aliquam ſpem quietis erigere cœpiſſet, in ipſo ineuntis adoleſcentiæ flore, acerba atque immatura morte raperetur? O fallaces hominum ſpes! O incerta vota! O lubrica & ancipitia humanæ vitæ curricula! Merito lacrymis oculi omnium madent; merito omnia planctibus gemitibusque circumſonant; merito undique querelæ & lamentationes exaudiuntur. Tu ipſe, Beatiſſime Pater, cujus & in proſperis rebus ſpectata moderatio eſt, & in adverſis animi magnitudo, in tanto caſu cohibere dolorem non potes: quasque lacrymas gravitas & conſtantia retinere ac frenare conſueverat, eas nobiliſſimi omnium Regni miſeratio, & paterna caritas elicit. Planeque aliis in rebus quærenda eſt fortitudinis ac conſtantiæ laus: in tam gravi vulnere, tam dubiis ac formidoloſis Chriſtianæ Reipublicæ temporibus accepto, immanis quædam duritia

esset, non flere, ingemiscere, non commoveri. Qualem enim, quantumque Regem, & quanta, non dicam indole, (quod tamen in homine adolescente satis esse videretur,) sed quanta omnium regiarum virtutum copia præditum amisimus? Quem cum divina providentia, annos natum non amplius decem, in illo celsissimo majorum suorum solio collocasset: quantas ille jam tum, quamque crebras, in illa ætate, quæ nihil cogitare, nihil loqui, nisi leve, ac ludicrum, solet, inusitatæ cujusdam & inauditæ prudentiæ significationes dedit? Incredibile dictu est, quam sæpe ille in deliberationibus publicis sapientissimorum senum sententiæ puerilis anteverterit, quæque illi dicere in animo habebant, ea prior ipse protulerit: nemo ut esset, cui non, in tanta annorum immaturitate, tanta mentis & consilii maturitas divinum potius quiddam, quam humanum, videretur. Est certe, est aliqua vis originis ac sanguinis; quosque magnis ac nobilibus populis rectores destinavit præpotens ille rerum omnium moderator DEUS, in eis plerumque virtus non exspectat annos; sapientiæque semina in eorum animis & comprehendunt facilius, & tempestivius adolescunt. Jam quæ laus in filiis præcipua est, reverentia adversus parentes, & eorum præceptis ac monitis obtemperatio, ea ille ita præstitit, ut nunquam omnino neque privatis, neque publicis in rebus voluntas ipsius a sapientissimæ matris consilio discreparit. Quid? in fratres quanta, quamque se omni ex parte prodens charitas? Quod & semper alias cognitum est, & proxime cum ab Henrici Regis in Poloniam proficiscentis amplexu avelli non poterat, seque a vita relinqui, quod ab eo relinqueretur, putabat. De pietate autem in Deum, & de ardentissimo studio, quod semper habuit conservandæ ac propagandæ Catholicæ Religionis, quid ego nunc plura prædicem, aut quid res

in

in omne ævum omnium scriptorum ingenia fatigaturas exornare in hac mediocritate ingenii, & in his temporis anguſtiis coner? Cui enim ignotum eſt, aut cui novus, quam tibi, Beatiſſime Pater, vobisque omnibus, Patres ampliſſimi, quos ille labores pertulerit, quibus difficultatibus conflictatus ſit, quæ pericula ſubierit, quibus damnis ſe, Regnumque ſuum ſponte mulctaverit, dum quidvis ſatius eſſe duxit, quam ut quidquam in Gallia, ſe vivo, de Chriſtianæ Religionis integritate minueretur? Qui quot annos regnavit, totidem continenter pro fidei defenſione pugnavit. Etenim tetra illa natio perditorum ac profligatorum hominum, qui fraudibus ac mendaciis ſuis nuper delapſæ de cœlo & ſibi ſolis patefactæ veritatis nomen obtendunt; qui, quod ad legem Dei, cupiditates ſuas dirigere gravantur, legem Dei ad cupiditates ſuas detorquere conantur, quorum conſpirationes ſub Henrico II. initæ, ſub Franciſco II. leviter patefactæ, ſuſceptis a Carolo Regni habenis, aperte ſe ac propalam effundentes, florentiſſimum, dum per illos licuit, Galliæ Regnum omni ſcelere ac crudelitate laceraruntnon tam id agebat, (quanquam id quoque,) ut Regiam auctoritatem convelleret, quam ut Regnum ab Eccleſiæ communione divelleret. At ille generoſi ſeminis adoleſcens, qui amorem Dei & Eccleſiæ ipſo nutricis lacte ſuxiſſet, totaque mente penitus combibiſſet, articulatim ſe prius concidi ac comminui paſſum eſſet, quam a recta illa regula patriæ & avitæ religionis abduci. Itaque dum purgare Regnum ſuum illis peſtibus nititur, dum illius hydræ & in ſuam & aliorum perniciem contumacis aſſidue renaſcentia capita amputare conatur: quatuordecim (tot enim regnavit annos) in perpetuis bellorum fluctibus, & in perpetua Regni ac vitæ ſuæ dimicatione tranſegit. Ut niſi pulcherrimum illud Chriſtianiſſimi cognomen a ma-

joribus ſuis hæreditarium accepiſſet, id ipſe ſibi poſterisque ſuis ſua virtute peperiſſet. Quin etiam, cum capitales quidam ac nefarii homines dicerent, facilem ei eſſe & expeditam viam non modo ad pacandum Regnum ſuum, ſed etiam ad fines illius ſine ullo labore amplificandos ac proferendos, ſi remittere aliquid de tanto illo vetuſtæ religionis conſervandæ ſtudio vellet: magno animo averſatus ac deteſtatus illorum conſilia, omnes ſibi coronas, omnia regna, omnia imperia ſordere dixit præ illa immortalitatis corona, quam ſibi in cœlo repoſitam eſſe confideret. Cumque eum exaggeranda hoſtium multitudine ac viribus perterrefacere vellent: Dominus, inquit, Dominus ipſe eos interficiet ſpiritu oris ſui. Prope ſupervacaneum videri poteſt, cum de tam Chriſtiano Principe verba faciam, quanta illius erga ſedem Apoſtolicam obſervantia fuerit dicere. Quo enim quisque Chriſtum ipſum ſanctius & religioſius colit, eo ſtudioſius & magis ex animo Vicarios ipſius colat, neceſſe eſt. Quo modo ille de Pio V. cujus memoria in benedictione eſt, & ſentiebat, & loquebatur? Quem ſibi non hominem, ſed angelum quendam humana inter mortales ſpecie verſantem videri dicebat: cujus monitus tanquam cæleſtia quædam oracula reverebatur. Nam de te, Beatiſſime Pater, qui ſucceſſor illius omnium votis expetitus, divino conſilio delectus, tam ſubita tamque admirabili totius ſacroſancti Collegii conſenſione declaratus es, quam magnifice in omni ſermone prædicare ſolitus eſſet, dicerem, ſi, quam facile præſtas, ut ab omnibus uno ore lauderis, tam libenter eos, a quibus laudaris, audires. His ille artibus ita ſibi bonorum omnium animos voluntatesque devinxerat, ut, quanquam ex ejus ætate & temperatione corporis, probabiliter ſperare poterant, diu ſe illius virtute fruituros: cuperent tamen omnes, ſi fieri potu-

potuisset, partem aliquam vitæ suæ conferre ac contribuere, & annis suis vitam illius prorogare. Sed nihil in humanis rebus firmum, nihil stabile, nihil diuturnum reperiri potest. Dum condocefacere nos vult Deus, terram nobis non pro domicilio, sed pro diversorio datam; hanc, quæ vita dicitur, non tam vitam esse, quam iter ad vitam; in cœlo, non in terra, nobis esse spem defigendam ac collocandam: agitat omnia arbitratu suo, &, quæ solida ac firmis nixa radicibus putantur, ea momento temporis vertit. Cum vexata tot calamitatibus Gallia paulum tolleret oculos, & Dei ac Regis sui perduellibus partim fractis ac domitis, partim captis ac comprehensis, tandem aliquando se post tot mala respiraturam sperare inciperet: ecce tibi lenta & omnem fallens medicorum industriam febris, vires adolescentis immortalitate digni, & nati ad reliquendum omnibus bonis perpetuum desiderium sui, ita paulatim attrivit ac labefactavit, ut ad postremum inevitabilem ei attulerit ex hac vita migrandi necessitatem. Quod ubi percrebuit, qui tum plangor omnium, quæ complorationes, quæ lamentationes fuerunt? Alius sibi scindebat capillum, alius lacerabat genas, alius pectus & humeros crebris ictibus verberabat; alii interire amores ac delicias Galliæ, alii cadere columen religionis, alii Catholicorum præsidium dejici, alii alia, quæ diversis diversa non diversus suggerebat dolor, miserabiliter querebantur. Ipse unus interritus, & æquissimo animo exitum divinæ voluntatis exspectans, cum matrem, uxorem, fratrem, cæterosque propinquos ad se convocari jussisset, primum quidem Sacramenta, quibus morituri præmuniri, & Deo conciliari solent, omnia & poposcit, & magna cum animi summissione ac divinæ majestatis veneratione suscepit; deinde vero contestatus, eo tantum sibi molestam esse

mortem, quod fratrem suum, tum Poloniæ, mox etiam Galliæ Regem futurum, moriens complecti non posset; cæteroqui gaudere se, quod tantum successorem habiturus esset, cujus singulari & tot jam documentis comprobata virtute, non dubitaret fore, ut res Gallicæ feliciter componerentur; interea obtestari, atque obsecrare matrem, ut regni gubernacula susciperet, quaque prudentia Regnum sibi tot annos conservasset, eadem fratri suo conservaret; sese jam tunc omnem potestatem regiam in eam, usque ad fratris reditum, transferre; hortari cæteros, ut ipsius primum, deinde fratris, cum revertisset, imperio amanter ac fideliter obtemperarent; præcipue autem, ne quid unquam prius, aut antiquius, haberent conservatione Catholicæ religionis; ex ea bona omnia fluere; ea neglecta collabi ac concidere omnia. Sed jam valete, inquit, & mei memores este. Ego enim ad Deum vocor: quem ut æquiorem ac placabiliorem peccatis meis judicem experiar, vestris me omnium adjuvari precibus postulo. Hæc fatus, deficiente jam, & moribunda voce, tuum, Christe JESU, nomen invocans, tuam sanctissima Virgo apud filium opem implorans, ad vos, ut confidimus, evolavit. Ac, si quidem ipsum spectemus, gratulari ei potius quam lugere debemus. Regnum enim terrestre cœlesti, laborem quiete, mortalitatem immortalitate mutavit. Quod mortuus est, humanæ fragilitatis est; quod ita mortuus, divinæ cujusdam felicitatis. Bonum certamen certavit, cursum consummavit, fidem servavit. Aut jam coronavit eum Deus, aut brevi, tuis, Beatissime Pater, & totius Ecclesiæ precibus adductus, coronabit corona justitiæ, quam promisit diligentibus se. At illam tot Regum matrem, toties jam custodem ac conservatricem Regni, ipsa sua felicitate miserandam, quo nunc, quo tandem esse animo creditis? quæ ex

sum-

summis honoribus summos dolores consecuta, ter jam, & in viro & in duobus filiis mortua, vitæ suæ superstes, toties ore suo eorum clausit oculos, a quibus claudi cupiebat suos; tam sæpe eis officia præstitit, quæ sibi ab eis præstari maluisset. Quid illa fortissimarum domina gentium Gallia? quæ sibi eodem funere cum Rege suo efferri visa est; quæ jacet adhuc perculsa & attonita tanto vulnere, metuens, ne, illius atrocitate, etiam illa, quæ consanuisse videbantur, recrudescant. Proh Deus optime maxime, etiam cum ulciscēris, benefice, etiam cum pœnas exigis, misericors: quibus tam gravibus culpis tam diuturnam in se iram tuam Gallia provocavit? Quatuordecim jam anni sunt, & eo amplius, cum illud potentissimum & memoria nostra florentissimum Regnum perpetua bellorum civilium serie ita & ab alienis & suis vexatur, ac diripitur, ut de eo jam dici possit, quod scriptum est apud Prophetam: *Residuum erucæ comedit locusta: & residuum locustæ comedit bruchus: & residuum bruchi comedit rubigo.* Atque ut magis intelligatur, id divina ultione fieri, quoties mihi esse videtur, ut jam jamque componantur ac tranquillentur omnia, in ipso, ut ita dicam, portu frangitur navis. Properarat Henricus II. pacem cum Philippo Rege Catholico quibuslibet conditionibus facere, ut, expeditus belli curis, hujus mali nascentis semina elideret: in ipso ejus rei conatu ac molitione, inopinata morte sublatus est. Sub Francisco II. conspiratione detecta, spes objecta erat, fore, ut paucorum supplicio cæterorum audacia in perpetuum reprimeretur: Ante ipse mortuus est, quam de sontibus comprehensis supplicium sumere ur. Nunc nuper eo rem perduxerat Carolus IX. ut omnes instare finem malorum existimarent. Aliter Deo visum est, qui Henrico III. Galliæ & Poloniæ Regi, quem tam multis tamque illustribus argumentis sibi charissimum esse declara-

Joel 1, 4

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn862961815/phys_0319
DFG

claravit, hanc felicitatem, ut speramus, reservare maluit. Neque dubium est, hoc ita eventurum, si omnes nos a vitiis nostris aversi, quæ Dei placandi certissima ratio est, tota mente convertamur ad Deum, eumque assidue obsecremus, ut compescat iram suam: &, quando Carolum in sinum, ut speramus, suum excepit, Henrici III. ductu, sub Gregorio XIII. raptores quidem lupos interfici; oves autem, quæ aberrarunt, in ovile suum reduci velit. Ita eveniat, Domine JESU, cui laus omnis & gloria debetur in omnem æternitatem.

DIXI.

ORATIO XXV.

Ad S. D. Gregorium XIII. Pontific. Max. Nomine Henrici Tertii Galliæ & Poloniæ Regis, habita Romæ in consistorio publico, Ludovico Castanæo Ruspipocæo, Equite Ordinis Regii, Viro illustri, ejusdem Regis nomine obedientiam præstante, XIII. Kal. Quinct.

Anno cIↃ IↃ Lxxvi.

GRatus quidem ac jucundus tibi esse debet, Beatissime Pater, eorum omnium legatorum adventus, qui huc a Christianissimis Principibus mittuntur, tum ut tibi summum in terris honorem gratulentur, tum multo magis, ut se Christo ac tibi, ut par est, obedire, manere in officio, perstare in fide, & vires, & copias suas ad Apostolicæ Sedis defensionem semper promptas ac paratas & esse & fore profiteantur. Nam & ex ea illa ipsa divinitus tibi data dignitate, majorem a te capi jucunditatis fructum necesse est, cum ea cæteros quoque lætari perspicis: neque tibi, qui communis Christianorum omnium Pater es, ulla ex re verius ac solidius gau-

gaudium objici poteſt, quam cum filios dignitatis tuæ ſtudioſos, auctoritati tuæ deditos, præceptis ac monitis tuis obtemperandi cupidos videas. Sed tamen omnibus ſeculis ea Gallorum Regum in Pontif. Max. aſperrimis ac difficillimis temporibus promerita fuerunt, ut multis nominibus eorum & ſtudium atque obſequium præcipua quadam charitate complectendum, & legati æquiſſimis animis audiendi, & dicta factaque omnia ſingulari quadam paternæ voluntatis propenſione in optimam partem accipienda videantur. Quoties enim in hoc ampliſſimo nobiliſſimoque conſeſſu Reges Galliæ nominantur, toties in omnium animis memoria renovatur, & officiorum, quæ illi longe plurima, longeque maxima in hanc ſanctam Sedem contulerunt, & honorum, quos ab ea viciſſim eximios pro ſua in eam eximia pietate retulerunt. Si quis autem Rex unquam fuit, qui propter virtutis ac rerum geſtarum magnitudinem exquiſitiſſimis honoribus afficiendus eſſet, eum ſe jam nunc in ipſo adoleſcentiæ flore Henricus III. Galliæ & Poloniæ Rex præbuit, nihil ut de eo tam honorifice dici poſſit, quin id jam pridem virtus ipſius in omni genere ſpectata ſuperarit. Quo te libentius accepturum eſſe confidimus eam fidem, venerationem, obedientiam, quam talis tantusque Rex hodierno die per clariſſimum & omni laude cumulatiſſimum virum Ludovicum Caſtanæum Ruſpipocæum, Equitem ordinis Regii, Oratorem ad te ſuum, tibi, Beatiſſime Pater, & Sedi Apoſtolicæ præſtat. Cujus enim Regis nomen a ſummo Eccleſiæ Paſtore & gubernatore audiri libentius debet, quam ejus, qui cum hæreditario jure principem inter Chriſtianos Reges locum majorum ſuorum virtute partum obtineat, ita per eorum veſtigia graditur, ut quantum ab eis omnibus ſplendoris accepit, tantundem ipſe unus facile afferat

rat universis? Qui cum adhuc adolescentulus ac prope puer esset, ita sæpe, ita fortiter, ita feliciter adversus hostes Ecclesiæ dimicavit, ut eorum astus consilio eluserit, temeritatem virtute domuerit, pertinaciam constantia fregerit. Quam sæpe eo sibi per hostiles cuneos omnia ferro pervia faciente ex hostium ipsorum tantæ, tamque præmaturæ virtutis admiratione defixorum manibus tela irrita ceciderunt? Quam sæpe cominus ab eis petitus, ita mirabiliter servatus est, ut DEUS ipse sua manu ictus in eum directos depellere, & telis ac tormentis vim nocendi adimere videretur? At ille laudis & gloriæ cupidus, vitæ ac sanguinis prodigus, Dei memor, immemor sui, in victoria salutem, in virtute victoriam, in vita ob talem caussam in omne discrimen exponenda virtutem positam judicabat. Itaque cum generosissimi adolescentis non jam prælia, sed victoriæ ac triumphi numerarentur, jamque totum terrarum orbem tam inusitatæ tamque inauditæ virtutis fama peragrasset, fortissima ac bellicosissima Polonorum gens eum sibi Regem concordibus suffragiis adoptavit. Quo ille nuncio abstractus ab ingentibus, ac pene ad exitum perductis, liberandæ ac purgandæ Galliæ cœptis, in regnum virtuti suæ ultro delatum proficiscens, quacunque iter fecit omnes & Principes & populos sui amore & admiratione complevit. Vix dum novi & a se expetiti Regis suavitatem Polonia gustaverat, cum secuta Caroli IX. Regis acerba, & perpetuis lacrymis prosequenda mors, res in Gallia componi cœptas, majoribus denuo procellis involvens, totius Regni statum in ultimum discrimen adduxit. Celeriter igitur e Polonia periclitantis & Regem suum implorantis Patriæ voce revocatus, cum easdem illas dissensiones quæ Galliæ Regnum prope subverterant, non modo non sedatas, aut mitigatas, sed auctas etiam ac corroboratas offendisset;

disset; corruptos ac depravatos ob bellorum longitudinem mores: multorum animos, etiam ex iis, qui se Catholicos esse profitebantur, studio partium infectos; plena omnia licentiæ, plena rapinarum, plena scelerum, plena hostium, & externorum & domesticorum: eadem tamen qua semper fuerat animi præsentia ac magnitudine, tuo etiam, Beatissime Pater, & consilio & auxilio fretus, bellum repetiit, ac redintegravit, diuque viris equisque, ut dicitur, tentavit efficere, ut vi & armis perdomita contumacium & Regni perturbatorum superbia, pax & quies tandem aliquando fessæ tot calamitatibus Galliæ redderetur. Sed ut animadvertit, nihil ea ratione quam tam diu tenuerat profici, ac potius & regno & Religioni vehementer offici, quæ jam multis in Gallia locis labasceret, a plerisque etiam penitus exularet: interea uri ac vastari agros, oppida diripi, omnia itinera latronum ac prædatorum cohortibus obsideri, Regni vires quotidianis cædibus ac stragibus enervari, opes immensis sumptibus exhauriri, innumerabilem vim teterrimorum facinorum in utroque exercitu quotidie perpetrari, extremam cladem ac perniciem imminere, nisi mature subveniretur: aliud sibi consilium necessario capiendum judicavit. Optimus ac mitissimus Princeps, qui sanare vellet suos, non perdere, idem fecit, quod prudentes medici solent: qui cum ustionibus, sectionibus, inedia, detractione sanguinis, non morbum, sed ægrotum ipsum confici ac profligari, vident, ad aliam curandi rationem confugiunt; & fomentis ac remediis mollioribus & victu paulo copiosiore indulgentes, malunt ægrotum cum aliqua parte morbi alere, quam utrumque simul e medio tollere. Maluit igitur & ipse in tanto tamque manifesto interitus periculo, ei parti suorum, quæ adhuc supereſſet, ignoscere, quam committere, ut brevi

ne

ne supereſſent quidem, quibus ignoſceret. Cumque cogitaret, illum ipſum rerum omnium præpotentem Deum multa tolerare, quæ non probet; ipſe quoque in tantis anguſtiis multa, a quibus animo & voluntate longiſſime abhorret, interea tamen ſibi toleranda eſſe ſtatuit, dum aliquid melius eveniret. Certe enim, Beatiſſime Pater, fretus ea ſpe, quam in Deo primum, deinde ex omnibus mortalibus in te potiſſimum collocavit, melius aliquando fore confidit. Multa oratione conficiuntur, quæ ferro nunquam confici poſſent. Sæpe quos ſeveritas frangere non potuerat, clementia inflexit. Equi adverſus frenum contumaces, interdum ſeſſore habenas remittente conſiſtunt. Multi, qui terrore & malo domari non poſſunt, indulgentia & facilitate miteſcunt. Pugnabitur adverſus eos, qui a nobis diſſident, precibus aſſiduis, & privatim & publice ad Deum fuſis. Piorum & eruditorum concionatorum vox, præcipuum inſtrumentum Dei ad inſerendam in animis hominum fidem, quæ in plerisque Galliæ partibus armis oppreſſa conticuerat, libere jam toto regno audietur. Licebit impia & peſtifera dogmata rationibus & argumentis confutare ac redarguere, vera ac ſalutaria confirmare & conſtituere. Catholicæ Religionis uſus & exercitatio, quæ multis ex locis indigniſſime ſublata & expulſa erat, reſtituetur ac renovabitur. Dabitur a noſtris opera, ut vitæ ac morum ſuorum exemplo ad bonas partes alliciant, & ad ſanitatem perducant eos, quos armorum vis magis ac magis usque adhuc effrenavit. Rex ipſe una cum Fratre forti ac ſtrenuo, ac Catholicæ Religionis ſtudioſiſſimo Principe, concordibus ac conſociatis animis enixe omnia facient, quæ ad errores ex animis ſuorum evellendos accommodata eſſe arbitrabuntur. Catharina Regum mater, ſumma prudentia & conſilio prædita mulier,

er, & liberorum amans ultra consuetum matribus modum, cujus e sinu pax hæc prodiit, cujus præcipue opera & laboribus conflata & conciliata est, omne ingenium, quo plurimum valet, omnemque auctoritatem suam conferet ad filios in fraternæ concordia perpetuo continendos & ad populos ejusdem Religionis communione devinciendos. Rex quidem ipse, quod maximi momenti est, non tam nomine, quam re & animo, & tota vivendi ratione Christianissimus, vitam sibi potius eripi patietur, quam fidem: neque unquam degenerabit a majorum suorum nota testataque virtute: & quam tibi, Beatissime Pater, ac Sedi Apostolicæ, vere atque ex animo obedientiam præstat, eam se constantissime præstiturum usque ad extremum spiritum polliceatur.

DIXI.

ORATIO XXVI.

In funere Pauli Foxii, Archiepiscopi Tolosani, Regis Galliarum Oratoris.

Ad Gregorium XIII. Pont. Max. & ad sedem Apostolicam;

Habita Romæ, in æde S. Ludovici IV. Kalend. Junii cIↃ IↃ xxcIv.

Ordine analytico

Exordium speciale.

Sl ut opum ac potentiæ, sic eruditionis ac sapientiæ hæredes a magnis ac præclaris viris institui possent, is demum Paulo Foxio idoneus laudator reperiretur, quemcunque sibi earum virtutum successorem esse voluisset. Nam nec in quo amplior & uberior omnium laudandarum artium seges efloruerit, nec in quo vis & copia dicendi major, quam in eo, exstiterit, ex omni memoria nostra deligi quisquam potest. Quo mihi majus ac difficilius onus impositum esse video, in hoc ornatissi-

tissimo confessu de laudibus ipsius verba faciendi: quod neque unquam subire ausus essem, nisi & mea me multis abhinc annis suscepta adversus eum observantia, ut id facerem, adduxisset, & eorum, quorum imperium detrectare non poteram, auctoritas coegisset: neque nunc ei me ferendo parem fore confiderem, nisi mihi, quod vix dictu credibile est, ipsa levamento ac solatio esset difficultas. Nam si quemquam alium de Paulo Foxio pro ipsius dignitate dicere posse existimassem, valde me puderet in eum locum conscendisse, unde nihil aliud viderer præstitisse, quam ut summi viri laudes inopia dicendi detererem: nunc cum satis intelligam, quod mihi eventurum est, ut oratio mea longe multumque infra ipsius dignitatem jaceat, idem cuilibet quamlibet copioso & exercitato homini eventurum fuisse, facile patior delectum potissimum esse me, cujus prædicatione quasique præconio, admirabilium ipsius in omni genere virtutum, ad eos, quibus illæ forte minus notæ fuissent, qualiscunque cognitio perveniret. Sed quoniam & multa mihi ac præclara dicenda, & in unius semihoræ curriculum omnia concludenda sunt, ad res ipsas veniam, neque committam, ut ex tam brevi tempore pars a me ulla in rebus non necessariis consumpta videatur. Primum igitur si generis nobilitas quidquam ad commendationem pertinet, vere hoc affirmare possumus, non multas gentes in universo terrarum orbe reperiri, quæ cum gente Foxia vel antiquitate, vel rerum gestarum gloria comparari queant. Quæ cum ipsa per se nobilissima est, tum hoc nobilior, quod cum potentissimis Regibus & Imperatoribus multiplici se jam pridem affinitate devinxit. Nam ut vetustiora taceam, neque illa repetam, quæ quingentos fere abhinc annos a Comitibus Foxiis gesta, & nobilium scriptorum consignata monumentis, nulla unquam oblitterabit ætas;

Propositio implicita.

Confirmatio 1. generis nobilitas

his

his certe centum proximis annis tres ex gente Foxia nobiles ac potentes reginæ exstiterunt. Earum prima est Anna, Johannis Foxii Candalæ Comitis filia, quæ Ladislao Bohemiæ & Ungariæ Regi in matrimonium collocata, filiam ex eo sibi cognominem sustulit, uxorem postea Imperatoris Ferdinandi, matrem Imperatoris Maximiliani, aviam ejus qui nunc feliciter imperat Rudolphi. Secundo loco nominabo Catharinam, Gastonis quinti filiam, Reginam Navarræ, quæ id regnum, in quod Francisco Phœbo fratri suo successerat, dotale ad Joannem Albretium detulit: quo ex matrimonio natus est Henricus Rex, avus Henrici, a quo hodieque idem regnum hæreditario jure obtinetur. Sed & illius invicti Gastonis, ducis Nemorensis, qui dum vixit, terror hostium Gallici nominis fuit, qui fulminis in morem hostiles turmas disjicere, qui quacunque incedebat, victoriam in manibus gestare videbatur, qui semper vincere assuetus, postremo ad Ravennam, dum pro Ludovico XII. avunculo suo fortissime dimicat, etiam moriens vicit; ejus igitur Gastonis sororem, Germanam nomine, Ferdinandi Castellæ Regis matrimonium tenuisse, notissimum est. Neque hoc loco reticenda est Margarita Foxia, Gastonis quarti filia, quæ Francisco Duci Britanniæ nupta, Annam ex eo suscepit, Caroli octavi primum, deinde etiam Ludovici duodecimi uxorem, ex qua nata est Claudia uxor Francisci primi, mater Henrici secundi, avia ejus, qui hodie regnat, & ut speramus ac cupimus, diutissime & felicissime regnabit, Henrici. Sed aut hæc satis sunt ad ostendendam summam nobilitatem gentis Foxiæ, aut non video, quid satis esse possit. Ex hac tam illustri gente natus est Paulus Foxius anno Christi clɔ lɔ xxiix. patre Joanne Carmanii Comite, matre Magdalena Caupenia, nobilissimus quidem utraque stirpe, sed ingentem virtute sua cumulum ad ve-

2. dotis corporis et ingenii it. mores.

terem ſuorum gloriam additurus. Natus autem eſt ea non oris modo ac vultus, ſed totius corporis pulchritudine, ut ex ipſo aſpectu imago quædam ingenitæ virtutis atque honeſtatis emicaret. Vidi equidem illum & adoleſcens adoleſcentulum, & vir virum, & ſenex ſenem, (mea enim, quam illius, biennio fere grandior erat ætas,) neque quenquam unquam videre memini, in quem verius conveniret id, quod Græci de Alcibiade prædicant, in omnibus ætatis partibus æque gratam ac jucundam ipſius formam fuiſſe. Ingenium ad omnes honeſtas diſciplinas docile, & ad eas percipiendas ita factum, ut quæ diſcebat, non tam accipere a magiſtris, quam ipſe ex ſe parere, & eorum reminiſci quodammodo & recordari, ex illa vetere Platonis ſententia, videretur. Mores & jam tum in illa ætatis teneritate graves, ſeveri, compoſiti, & humanitatis tamen ac facilitatis condimento temperati, ut eos, quibus cum una erat, incredibili quadam jucunditate conciliaret ſibi, & exemplo ſuo, ab omni improbitate revocaret. Denique ut in herbeſcenti ſegetum viriditate certa prope ſpes futuræ meſſis apparet, ſic nemo tunc erat, qui non eum a puero, qualis poſtea fuit, talem facile augurari fore: juſtum, integrum, continentem, abſtinentem, amantem pacis ac concordiæ, veracem, apertum, ſimplicem, ad omnium potius peccata, quam ad ſua, conniventem. Litterarum ſtudia ita puerulus adamavit, itaque in eis poſtea conſtanter perſtitit, ut id unum a publicis negotiis diverticulum perpetuo habuerit, ut quidquid ab eis dabatur otii, ſemper in litteris omne conſumpſerit. Græcis igitur & Latinis litteris Lutetiæ diligenter excultus, ibidemque in Philoſophiæ ſtudio magna cum cura exercitatus, Toloſam ſe ad percipiendam juriſprudentiam contulit, quo in ſtudio tantos brevi tempore progreſſus fecit, ut adhuc adoleſcens publice

2. Litterarum ſtudia

de

de utroque jure magna cum omnium admiratione responderit, eosque honores consecutus, qui amplissimi, confecto studiorum corriculo decerni solent, incredibili hominum cuncursu jus civile docuerit: cum ad eum inusitata quadam dicendi facultate, de obscuris dilucide, de confusis ac perturbatis ordinatim ac dispositè, de dubiis enucleate differentem, etiam ii, qui diu magna cum laude docuerant, discendi causa quotidie convenirent. Inde cum in aulam Regiam venisset, ita statim Henrico Secundo Regi, acri ac perspicaci ingeniorum existimatori, ita cæteris principibus viris carus atque acceptus fuit, vix ut quisquam unus uni carior foret, quam unus hic universis. Ipse vero & officia obibat diligentissime, neque ullum diem abire patiebatur, quo non & regem & cæteros principes salutaret, & cum eis sermonem consereret, & eos, quo opus erat, deduceret ac reduceret. Neque tamen, quod plerique omnes aulici faciunt, reliquum tempus otiosè & inutiliter absumebat: sed repetitis de integro studiis, Platonis præcipue & Aristotelis & Xenophontis ac Plutarchi, & cæterorum ejusdem notæ libros ad formandam vitam, & ad rationem gubernandæ Reipublicæ pertinentes, ita studiosè pervolutabat, ut eos in succum ac sanguinem suum converteret, omniaque eorum præcepta in numerato haberet, quibus non ad inanem loquacitatem, sed ad danda capiendaque de rebus maximis consilia tempestive uteretur. Historiæ quoque multum operæ ac studii dedit, gnarus illustria præcepta nulla re magis, quam exemplis illustribus confirmari. Itaque tum sacram, tum profanam, tum veterem, tum novam, tum domesticam, tum externam ita pertractaverat, ut quacunque de re dicere ingressus esset, optimis & accommodatissimis exemplis ad confirmandum id, quod volebat,

bat, nunquam non abundaret. Quid de temporum ratione, quid de terrarum situ, quid de populorum institutis, ingeniis, moribus, fœderibus, quid de quarundam gentium inter se aut naturali consensione, aut odio vetere & ingenito loquar? quarum ille omnium rerum tantam notitiam habuit, ut id unum tota vita egisse videretur. His omnibus artibus instructus, cum jam ad obeundas legationes esset aptissimus, antequam tamen ullam earum susciperet, ex usu suo fore ratus est, si in amplissimo Senatu Parisiensi per tempus aliquod versaretur, ibique disceptandis quotidie maximi momenti negotiis, firmiora & solidiora sapientiæ fundamenta jaceret, seque illi præstantium virorum cœtui quasi recoquendum & expoliendum daret. Qua ipsius voluntate cognita, confestim Rex HENRICUS eum in Consiliariorum numerum adlegit: in quo hic ei etiam præcipuus honos habitus est, quod cum in eo Senatu plura sint inter se distincta auditoria, quorum ad supremum non nisi gradatim pervenitur, Paulo Foxio jus inter primos assidendi, dicendæque sententiæ statim a principio tributum est. Ibi vero partam sibi antea juris intelligentiam assiduo tractandorum negotiorum usu ita perfecit ac perpolii, ut brevi tempore principem inter Juris consultos locum obtinuerit, cum eos quidem, qui in libris consenuerant, seque uni cognitioni dedideraut, usu & exercitatione rerum forensium; eos autem, qui se magis ad usum forensem applicuerant, eruditionis copia & magnitudine: aut potius, si aperte id quod res est, extincta jam invidia, profiteri volumus, utrosque utraque laude superaret. munera publica et legationes

Prima inde legatio in Scotiam fuit, sub id tempus, quo Maria Regina Scotiæ, mortuo Francisco II. viro suo, in regnum suum reverterat. Ubi Foxius ea fundamenta jecit & tuendi regni & conservandæ

dae religionis, in quibus si postea pari fide ac consilio ædificatum esset, fortassis hodie neque Regina miserabiliter captiva teneretur, neque status religionis laboraret. Illinc cum rediisset, anno M. D. LXI. Legatus in Angliam missus est, ubi quadriennium integrum tanta fide ac diligentia, tanta dexteritate ac prudentia, tanta perspicacitate ac solertia in munere suo versatus est, ut magnis interea in Gallia motibus excitatis, nihil Angliæ Regina struere, nihil moliri, nihil machinari potuerit, ad conatus eorum, qui a DEO & a Rege rebellaverat, adjuvandos, quod non ipse detexerit ac patefecerit, Regique indicaverit, eique viam ac rationem ostenderit, qua pernicioſa Jezabelæ consilia mature præveniret & occuparet. Foxii præcipue consilio, occultisque monitis, inita est a Rege ratio extorquendi ex Anglorum manibus celeberrimi ac munitissimi portus Gratiarum, quo illi, sibi hæreticorum opera tradito, Galliam ab ea parte obsessam tenebant. Foxii consilio repertum est, quomodo Rex ea pactione, quam Henricus secundus fecerat, de restituendo Anglis intra certum tempus Calitio solveretur: utque obsides eo nomine dati, dimidio ejus pecuniæ, qua Rex depaciscendi facultatem dederat, redimerentur. Illud vero commemoratione dignissimum, quod quamdiu in Anglia fuit, nullum unquam diem intermisit, quin, quamlibet fremente Regina, sacrosanctum Missæ sacrificium domi suæ celebrari jusserit: ad quod clam avide conveniebat ac concurrebat magna & Anglorum & exterorum Catholicorum multitudo, quos ille fovebat, consolabatur, protegebat; quorum omnium arx, portus, præsidium, perfugium erat; a quibus non tantum mala multa imminentia depulit, sed effecit etiam, ut multa damna, quæ eis data erant, restituerentur. Ob quæ

merita, ubi primum ex Anglia revertit, in sanctius atque interius Regis consilium adlectus est. Secuta legatio Veneta, in qua non tantum Regi cumulatissime satisfecit, sed etiam illis sapientissimis Patribus, universæque Venetæ civitati jucundissimam virtutum suarum memoriam reliquit. Cujus legationis expleto tempore, cum in aulam rediisset, inter togatos regis consiliarios, & tranquillis & turbidis rebus, unus semper e principibus fuit; cum & doctrina, & usu rerum, & prudentia excelleret: neque sibi quidquam, præter sincerum DEI cultum, dignitatem & utilitatem regiam, allevationem vexati tot acerbitatibus populi, in dicenda sententia propositum haberet. Inde sub finem anni M. D. LXXIII legatus de rebus gravissimis & ad Summum Pontificem, & ad plerosque Italiæ Principes, quæ sibi mandata erant, illa toties experta fide ac dexteritate transegit. Interea, cum Gallici tumultus utcunque compositi viderentur, missus est a Rege ad Henricum Regem Navarræ, qui tunc in Aquitania erat, ut eum auctoritate ac præsentia sua in officio contineret. Quamquam autem vitari nullo modo potuit, quin anno post novæ turbæ concitarentur: tantum tamen Pauli Foxii virtute perfectum est, ut, cum quibuscunque aliis in locis hæreticorum factio potentior erat, divini cultus ne vestigia quidem reliquerentur, everterentur templa, sacerdotes crudelissime contrucidarentur: Agini, quæ urbs secundum Burdegalam Aquitaniæ principatum obtinet, & in toto eo tractu, rebus divinis libere opera daretur, starent sarta tecta templa, sacerdotes ab omni contumelia & injuria tuti forent, sacræ & Catholicæ conciones nunquam intermitterentur: cum & publice & privatim Foxius Catholicis animos faceret, eosque ad bene sperandum excitaret: ita ut eorum

eorum protector, conservator, parens uno omnium consensu haberetur. Scripsit ea de re Clerus Aginensis ad virum summa dignitate præditum Carolum Rambolietum Cardinalem, petens ab eo, ut hæc omnia summo Pontifici diligenter exponeret, eique omni asseveratione confirmaret, quicquid templorum, quicquid sacerdotum cæterorumque divino cultui mancipatorum hominum in ea provincia maneret, id omne, secundum DEUM, unius Pauli Foxii virtuti auctoritatique deberi. Sæpe igitur in magnum vitæ discrimen adductus est, cum iniquo animo ferrent milites a templis deprædandis cupiditatem, a sacerdotibus mactandis crudelitatem suam unius homines auctoritate prohiberi. Multa prætereo memoratu dignissima: sed mihi non tam orationis conquirenda copia est, quam vestra satietas refugienda. Decernitur ei a Rege legatio ad summum Pontificem: ita tamen, ut priusquam in eam proficisceretur, una cum Catharina Regis matre Aquitaniam, Galliam Narbonensem, Provinciam, Allobroges obire, in singulis oppidis consistere, ac conventus agere, resque perturbatas, quantum temporum ratio ferret, optime ac commodissime componere juberetur. Quid ego nunc dicam, quam salutare iter illud fuerit, aut quantam afflictis rebus levationem attulerit? Catholica religio multis in locis, a quibus exulabat, restituta; Bona sua, & exercendorum munerum suorum facultas, Ecclesiæ ministris reddita; multorum animi, qui nutabant, confirmati; multa munita loca in Regis potestatem redacta; auditæ populi querimoniæ; adhibita remedia multis malis, quæ superiorum temporum calamitate importata erant. Quarum omnium rerum laus DEO primum, deinde Pauli Foxii prudentiæ magna ex parte tribuenda est. Regina Regis matre Lugdunum usque

deducta, Romam iter cœpit: ubi ita se moresque suos, totamque anteactam vitam Pontifici probavit, ut ab eo decoratus sit Archiepiscopatu Tolosano, ad quem ipse multis ante annis miro bonorum studio efflagitabatur. Neque dici potest in obeundo Legati munere quantopere & Pontifici, & Regi, & omnibus summis pariter ac infimis gratus acceptusque fuerit, integritate vitæ, summa vultus ac sermonis comitate, promptissimo ad opem ferendam animo, sive quis auxilio, sive consilio indigeret. Quanquam autem nulla ei pars ætatis a magnis memorabilibusque rebus vacaverat: exigua tamen omnia videri poterant, prout ea erant, quæ agitabat animo, si quando in Galliam redire, & Ecclesiam sibi creditam præsens gubernare potuisset. Imbiberat enim penitus in mandata sibi provincia ad Tridentini Concilii præscriptum omnia revocare & exigere, omnem munerum Ecclesiasticorum nundinationem, fœdasque illas, sed nimis usitatas eorum fiduciarias mancipationes funditus tollere, dissolutos ac diffluentes Ecclesiasticorum mores severis legibus coercere ac constringere, clericorum seminaria instituere, templa eversa erigere, ruinosa fulcire, reditus Ecclesiasticos injustis possessoribus eripere, Xenodochiorum ac collegiorum præcipuam curam suscipere, & perficere, ut eorum, qui illa fundassent atque instituissent, mens ac voluntas diligenter ac religiose observaretur, omnia denique summo studio facere, quæ ad boni & inculpati præsulis officium pertinerent. 6. Vitæ finis. Sed o spes hominum fragiles! o fallacia consilia! Hæc eum cum maxime meditantem, & ea una in cogitatione noctes diesque defixum, morbus gravis & mortifer occupavit. Cujus primam impressionem expertus est adstans ad aram, cum solenni die, quanquam principium quoddam leniter commotæ valetudinis sentiens, abstinere tamen a re

re divina facienda noluisset. Quem cum & medicorum cura, & singulari victus temperantia depulisse jam videretur, haud ita multo post, cum ad homines Galli de magna re sua periclitantis causam adjuvandam, ut, erat in omnes officiosissimus, iniquo & alieno tempore accurrisset, domum ut rediit lassus, denuo decubuit: nec alius ei postea morbi quam vitæ finis fuit. Quo autem ille animo morbum sævientem, quo mortem certam jam & imminentem tulit? quot quantasque moribundus animi vere Christiani significationes dedit? Qua submissione animi peccata sua confessus, eorum sibi veniam a Deo & a Pontifice dari petiit? Qua veneratione sacrosanctum CHRISTI Corpus excepit? Quam placide ac patienter sacro oleo perunctus ac delibutus est? Quibus omnibus sacramentis armatus ac munitus, cum toto morbi tempore, non tantum quamdiu sui compos erat; sed etiam cum propter vim morbi in capite grassantem aliquo mentis errore afficeretur, sic quoque tamen nihil aliud quam CHRISTUM, CHRISTUM DEUM suum, in ore perpetuo habuisset, ad eum, quem spirabat unum, quo fidebat uno, ut quidem speramus ac cupimus, evolavit. Peroratio.
Hem Paule Foxi, quantam quamque justam multis mœrendi occasionem morte tua obtulisti! & si tua quidem causa, nihil est quod lugeamus. Tu praeclare ac laudabiliter vitæ cursum confecisti. Tu ita maximis honoribus perfunctus es, ut te semper homines majoribus dignum dicarent. Tu ausam lacessere te invidiam virtute constantiaque superasti. Tu, quod ii, qui olim habiti sunt sapientissimi, in aliqua felicitatis parte posuerunt, in ipso senectutis limine ereptus, impendentia deterioris ætatis incommoda morte vitasti. Is cujus tu judicium maximi faciebas, Gregorius Pont. Max. & vitam tuam summe probavit, & mortem

mortem non modo honorificentissimis verbis, sed etiam lacrymis prosecutus est. Omnium erga te ordinum charitatem satis hæc ipsa principum virorum, quæ ad cohonestandum funus tuum convenit, multitudo declarat. At Tolosæ dolendum, quæ similem tui pastorem nunquam fortassis habitura, prius te spoliata est, quam vigilantiæ tuæ fructum ullum percipere posset. Dolendum Regi, qui tam duris temporibus, tanta fide, tanta prudentia præditum Consiliarium amiserit. Dolendum Ecclesiæ, quæ labantibus in Gallia rebus suis magnam auxilii spem in auctoritate tua collocarat. Sed omnibus in rebus divinæ voluntati acquiescendum. Nos, quod unum tibi præstare possumus, & colemus memoriam tui, & te fusis ex animo precibus adjuvare conabimur, sperantes fore, ut ipsi vicissim tuis precibus adjuvemur.

DIXI.

MARCI

MARCI ANTONII MURETI ORATIONUM VOLUMEN ALTERUM.

De mysterio & festo Circumcisionis Dominicæ.

ORATIO I.

Habita in Sacello Pontificio Kal. Jan. M. D. LXXXIV. *

Exordium generale.

QUod felix faustumque sit tibi, Beatissime Pater, vobis Patres Amplissimi, nobisque omnibus & universæ Reipublicæ Christianæ, exorientis anni primus hic nobis illuxit dies. Quo die optare ac precari mutuo solebant veteres, ut sibi annare ac perennare feliciter liceret, seduloque operam dabant, ut dira, & tristia, & feralia ne nominarent quidem: sed bona tantum verba dicerent: jurgiis utique omnibus abstinerent: læta inter se omnia & amica loquerentur. Quo nos æquius est, conjunctis & vocibus & animis tibi Beatissime Pater, cujus vita tanto opere bonis omnibus optabilis est, cujus salute, magna ex parte, tranquillitas orbis terrarum continetur, cujus ex hilaritate publica hilaritas pendet, non hunc modo, sed secuturos etiam annos faustos ac felices precari, & omni ope conari, ut ea tantum loquamur, quibus Christianas mentes, hilarari par est: dira

* Orationes sacras *Lunigius* quoque in *Orationibus Procerum* habet Parte III. ubi num. 171. 172. 173. 174. leguntur, quas Clemens XI. qui nunc sedem Romanam occupat, die Apostolorum Petri & Pauli, Natali Christi & in Paschate habuit.

dira autem & triſtia, id eſt, ea, quæ Deo diſplicere novimus, neque loquamur, neque cogitemus. Ac mihi quidem hujus anni principio, plura etiam ſolito concurrere videntur, propter quæ nobis hic dies auguſtior & religionis ac ſanctimoniæ plenior eſſe debeat. Idem primus anni dies eſt, & dies Dominicus, id eſt, primus omnium dierum; natalis cœli, terræ, angelorum; natalis ipſius temporis: quo die populus Iſraeliticus maris rubri tranſitu a Pharaonis ſervitute liberatus noſtræ a ſervitute peccati per baptiſmum liberationis typus fuit; quo die primum manna e cœlo defluxit; quo die verum manna natus eſt Chriſtus; quo die in vitam effractis mortis repagulis rediit; quo Spiritus ſanctus cœlo demiſſus beatiſſimum illum cœtum divina luce colluſtravit, inflammavit, corroboravit.

Propoſitio. Agedum igitur, precati prius eundem illum Spiritum, ut & mihi dicenti, & vobis audientibus adeſſe dignetur, de myſterio Circumciſionis dominicæ, quæ nobis ex Evangelio paulo ante recitata eſt, pauca quidem, ſed Deo dante animis profutura, meditemur. Tribus autem capitibus mea concludetur oratio. Primum enim dicam de inſtitutione Circumciſionis. Secundo, cur Chriſtus voluerit circumcidi. Poſtremo, quid nobis attulerit Circumciſio Chriſti; & quem ex ea fructum capere debeamus.

I. Omnes ritus externi, quos populo Hebræo, quem præ cæteris diligebat, obſervandos Deus ipſe præſcripſerat, eorum quæ adveniente Chriſto expleta ſunt, figuram quandam ac præſignificationem continebant. Quoniam enim populus ille duræ ac rigidæ cervicis erat; neque facile capiebat, niſi ea, quæ corporeis oculis videret, quæque contrectaret: idcirco ei Deus proponebat craſſa quædam & corporalia, ut eum facilius ad ſpiritualia intelligenda quaſi manu duceret. Hujus generis fuit & Cir-

Circumcisio: quam Abrahamo, fœdus cum eo statuens, & in ipsius semine omnes gentes benedictum iri pollicitus, in carne fieri imperavit Deus, ut illi jam tunc eminus ostenderet futuram, cum ille desideratus gentibus adveniisset, perfectam animorum ac mentium Circumcisionem. Cujus perfectionem ut symbolice exprimeret, octavum illi diem præstituit; quo numero in scripturis divinis absolutio ac perfectio significari solet. Lapideum etiam cultrum ad eam adhiberi voluit; ut ostenderet, perfectam Circumcisionem fore in lapide, in illo, inquam, lapide angulari, qui summis ima connectit, qui facit utraque unum; in illa petra, ad quam beati sunt, qui allidunt parvulos suos; ex qua fluit mel, quo saturatur populus Dei; ex qua perpetuo erumpunt aquæ salientes in vitam æternam. Carnis igitur circumcisio, ut præclare scribit Ambrosius, mysticum quoddam præceptum fuit castimoniæ & coercendarum ac refrenandarum cupiditatum. Ideoque in ea corporis parte jussa est fieri, in qua præcipue libidinis impuritas effervescere videtur. Sed non est inusitatum ex parte totum intelligi: ut cum caput pro homine dicimus; ut cum ex oculorum aut genarum pulchritudine totius corporis pulchritudinem intelligi volumus. Sic igitur & Deus unam modo corporis partem circumcidi jussit: cum tamen vellet, inania omnia & supervacanea & immoderata resecari. Et hoc est, quod Abrahamo imperavit, ut circumcideret non se modo & filium, sed & vernas, & eos, quos pretio comparasset. Vernæ sunt sensus nostri: vernæ sunt facultates animi: vernæ sunt affectiones quædam omnibus nobis ingenitæ: domi enim nasci videntur. Hæc igitur omnia circumcidenda sunt. Circumcidit oculos suos, qui avertit eos, ne videant vanitatem. Circumcidit os suum, qui diligenter cavet, ne in eo inveniatur

niatur dolus. Circumcidit aures suas, qui sepit eas spinis, ne voces improborum audiant. Circumcidit ingenium suum, qui sapit ad sobrietatem, refugitque ita scrutari majestatem, ut opprimatur a gloria. Circumcidit memoriam suam, qui bona fide obliviscitur injuriarum. Circumciderat pater Abraham naturalem erga liberos charitatem, cum filium sibi charissimum immolare, mandante Deo, parabat. Circumcidit amorem vitæ, qui odit animam suam in hoc mundo, ut eam in futuro lucretur. Sed & pretio empta, id est, labore & studio parta, opes, honores, potentiam, eruditionis ac doctrinæ copiam, talia omnia, qui non circumciderit, ejus anima morietur.

II. Dixi breviter de institutione circumcisionis. Sequitur, ut dicam, cur Christus circumcidi voluerit; quem constat & supra legem fuisse, & circumcisione nihil eguisse. Aperi nobis Christe causas eorum, quæ causa nostra pertulisti! Venerat Christus non ut everteret legem, sed ut impleret; factus erat sub lege, ut eos, qui sub lege erant, liberaret. Sua igitur voluntate subditus legi, ea, quæ legis erant, implere omnia voluit. Voluit etiam, ut qui omnia provideret ac prospiceret, jam tunc confutaret errorem illorum, qui negaturi erant, corpus ipsius vere corpus fuisse. Certe enim circumcidi & sanguinem fundere, nisi verum corpus, non poterat. Cupidus igitur salutis nostræ, purissimi illius sanguinis, quem pro nobis in cruce fusurus venerat, jam tunc tener puerulus guttas aliquot sparsit. Sic cum e mortuis surrexisset, palpandum se ac contrectandum Thomæ dedit, ne cui unquam locum ullum relinqueret de corporis sui veritate dubitandi. Sed & nos exemplo suo obedientiam & submissionem animi docere voluit, ut cum eum, qui legibus omnibus superior erat, legi tamen paruisse vide-

videremus: tanto promptius ac libentius colla suavissimo ipsius jugo submitteremus. Sic ab Johanne citra ullam necessitatem in aqua baptizari voluit, ut nos in aqua & Spiritu sancto baptizaremur; sic beatissimam Virginem, matrem suam, purificari, qua tamen nihil unquam purius fuit; sic agno paschali & azymis cum Apostolis vesci, ut nos ipso, qui verus agnus, verus panis azymus est, vesceremur. Explevit denique legitima omnia, III
ut nos explendorum illorum necessitate soluti ac liberati, quæ vetustis Patribus in figura obtigerant, eorum veritate frueremur. Quamvis igitur Petrus, quo facilius Judæos ad Christi fidem alliceret, circumcisionem toleravit ad tempus; quamvis Paulus, qui omnia factus est omnibus, ut omnes Christo lucrifaceret, eadem de caussa Timotheum circumcidisse legitur, quod lacte ali oportebat eos, qui solidi cibi nondum capaces erant: nos tamen hodie veritate patefacta ac definita, carnis quidem circumcisionem non tantum ut mortuam omittamus, sed ut mortiferam refugiamus, ne impletam a Christo legem negare, & alibi quam in ipso spem salutis collocare videamur; sed pro illa vetere figura veram mentium & animorum circumcisionem amplectamur; omnem inanitatem, omnem fastum, omnem libidinem, omnia denique vitia a nobis circumcidamus, resecemus, amputemus. Vere de carnis circumcisione ab Apostolo dictum est: *si circumcidamini, Christus vobis non prodest quidquam.* Vere hoc quoque de circumcisione cordis dici potest: nisi circumcidamur, Christum nobis nihil profuturum. Christe Jesu, qui hodierno die caussa nostra circumcisus es, fac ut nos quoque tua caussa circumcidamur! evelle ex cordibus nostris omnes radices vitiorum! elide fibras omnes cupiditatum: extingue omnia nequitiæ semina! perseca gladio verbi tui, quicquid in nobis

redundat! ure igne Spiritus sancti spinas illas, quæ in nobis perpetuo succrescentes tui seminis profectum impediunt: ut expediti pondere inutilium sarcinarum, tua vestigia facilius & alacrius persequamur! Tu vero, beatissime Pater, quem merito alterum Abraham vocare possumus, pater multarum gentium, pater Neophytorum, quos tam multos te Pontifice Christo renascentes videmus, pater Græcorum, qui rejectis erroribus gentis suæ in spem reliquorum convertendorum tua liberalitate educantur, pater Germanorum, pater Britannorum, quibus miseris, pro fide Christi vexatis, patria pro carcere ac carnificina, Roma pro patria ac domicilio est, pater pupillorum, pater viduarum, pater omnium Christo hærere cupientium, qui nuper in ista viridi ac vegeta senectute, tot repente fusis purpureis floribus, ver media hyeme renovasti, & ad coronam, qua sacrosanctum caput tuum cingitur, tot longe lateque lucentes gemmas addidisti: ingredere ut facis bonæ spei plenus feliciter in hunc annum! multiplicentur dies tui! reflorescat caro tua! renovetur, ut aquilæ, juventus tua, ut cum una nobiscum tu novus Abrahamo tot annos, quot vetus ille vixit, exegeris, ab illo, qui hodie circumcisus est, Abrahami secundum carnem filio, in regnum promissionis, filiis ab æterno præparatum eveharis! Amen, Amen, Domine JESU, qui cum Patre & Spiritu sancto unus Deus vivis & regnas per innumerabiles myriades seculorum.

De

De S. Johanne Evangelista.

ORATIO II.

Habita in Sacello Pontificio VI. Kal. Jan. M. D. LXXXII.

TRibus de caussis ab Ecclesia divinitus institutum arbitror, Beatissime Pater, vosque patres amplissimi, ut quo die cujusque Sanctorum memoria recolitur, eodem die de vita ac laudibus ipsius aliquid publice disseratur. Primum, ut eis honos debitus non pro ipsorum dignitate, sed pro virium nostrarum tenuitate, tribuatur; II. deinde ut omnes nos ad persequenda, pro suo quisque modulo, eorum vestigia incitemur; III. postremo, ut, cum eos & generis nostri amantissimos, & apud Deum, cum quo regnant, gratiosissimos esse, intelligamus, opem ipsorum ad conciliandam nobis DEI gratiam postulemus. Hodie igitur, cum mihi, licet immerenti, minimeque ad tantum munus sustinendum idoneo, mandatum sit, ut in hoc majestatis & venerationis plenissimo loco de illius, quem Christus eximie præter cæteros amavit, S. Johannis Apostoli & Evangelistæ laudibus breviter disseram: tria illa, quæ dixi, quantum in me erit, præstare conabor, sperans fore, ut non propter me, (neque enim dignus sum, qui hic audiar,) sed propter eum, de quo dicturus sum, mea benigne ac placide excipiatur oratio.

Quid igitur primum in hoc sanctissimo planeque divino viro laudabimus? Quid primum proponemus, quod imitemur? Quid prius, quam, quod Christo se vocanti ne tantulum quidem reluctatus facilem se illi statim ac morigerum præbuit? Nulla ille adhuc eum admirabilia opera edentem viderat; non regio cultu atque apparatu nitentem, non ingenti satellitum turba stipatum videbat; neque tamen ita respondit: Quis tu es, qui tam pro imperio, ut te relictis omnibus sequar, jubes? Quam mihi spem, si id fecero, vitæ melioris ac nitidioris ostentas? Nihil tale: sed illo divinæ vocis oraculo, tanquam penetrabili quodam jaculo, usque ad ipsam animæ medullam transfixus ac transverberatus, desertis parentibus, abjecto omni instrumento artis, qua usque ad eum diem victitarat, nulla interposita mora, totus ad Christum & corpore & animo transiit. Nimirum ut exsiccata materia ignem facile comprehendit; sic animus ille ab omni

improba cupiditate purus ac siccus ad conjectam unicam ignis divini scintillam totus exarsit. Felix piscatio, felix jactus, felicia retia, quibus piscator ipsemet captus, eum vicissim, a quo captus est, cepit! At nos miseri in medio Ecclesiæ gremio nati atque educati, tot testimoniis, tot miraculis, tot Sacramentis confirmati, quam sæpe vocanti nos Christo resistimus? quam sæpe pulsanti cordis nostri fores aperire nolumus? quam sæpe nos sub alas suas congregare cupientem refugimus? Jam vero cum se ad optimum magistrum optimus discipulus contulisset, ita se ad illius voluntatem conformare, ita sermones illius avide haurire, ita ex nutu illius pendere cœpit, ut nunquam ab ejus latere discederet; nihil sibi præter eum dulce, nihil amabile, nihil expetendum duceret; omnem spem, omnem suavitatem, vitam denique ipsam in eo videndo atque audiendo positam crederet. Itaque tanta sibi eum charitate devinxit, ut ab eo, quem amor erga homines hominem fecerat, ipse tamen eximie ac singulariter præ cæteris omnibus sectatoribus ac discipulis amaretur. Cujus præcipui amoris caussam quamvis magni ac probati scriptores ad perpetuam & animi & corporis castimoniam referunt: ego tamen, ut hoc non nego, ita non dubito, etiam alia fuisse, quæ tantam illi apud Christum gratiam conciliaverint. Omni ex parte amore digniſſimus fuerit oportet, quem optimus judex amore digniſſimum judicavit. Et quando in divinis litteris ne propria quidem plerumque singulorum nomina mysterio carent: vere hic ac merito Johannes vocatus est, quo in nomine Hebraicæ linguæ periti divinæ gratiæ significationem inesse ajunt. Neque vero facile dixerim, utrum majus ac præstabilius sit, plus cæteris amare Christum, an plus cæteris a Christo amari: quorum illud Petro, hoc Johanni sacrarum litterarum auctoritate tribuitur. Novit hoc, qui novit omnia. Nobis certum exploratumque sit, & summe amari, qui summe amet; & summe amare, qui summe ametur. Et tamen ille Coryphæus Apostolorum & a Domino aliquoties acriter & severe objurgatus legitur, & illum duriſſima illa ac pavoris pleniſſima nocte ter abnegavit: hic puriſſimus Domini amator neque unquam ab eo confitendo deterritus est, & eum usque ad ipsam crucem secutus esse perhibetur. Ter & amplius beata copula, quæ Deum & hominem, cum homine Dei simillimo, indissolubili amoris nodo colligavit! Propter hanc igitur nullis humanis verbis enarrabilem charitatem, testis perpetuus adhibitus est a Domino illis omnibus operibus, quibus ipse divinitatem suam quam maxime patefacere quasique contestari volebat. Vidit eum non modo morbos fugantem, immundos

spiritus

spiritus ejicientem, cœcos videre, surdos audire, mutos loqui jubentem, mortuos excitantem, ventis & fluctibus imperantem, quod alii quoque viderunt: sed cum Dominus admirabilem illam divinitatis suæ gloriam quibusdam ex Apostolorum numero, mortali adhuc corpore conclusis, aliqua ex parte spectandam exhibere statuisset, ejusque rei caussa in montem Thabor conscendisset: ad hoc glorioſissimum spectaculum Johannem cum aliis duobus adsumsit. Ea quoque nocte, qua futurum erat, ut in manus inimicorum traderetur, cum, ut qui verus homo esset, cogitatione imminentium contumeliarum & appropinquantis sæviſſimæ mortis angeretur, ob idque patrem oraturus a multitudine secederet: eosdem sibi tres illos comites, quibuscum animi sui mœrorem familiarius communicaret, abduxit.

At hæc, quanquam magna sunt, ei tamen cum aliis communia sunt: quæ subjungam, hujus propria ac peculiaria. Cujus enim amoris videtur, quod in illa mysteriorum pleniſſima cœna quam Dominus cum suis, antequam morte sua mortem noſtram deleret, exegit, qui in illo sacroſancto sinu recumberet, hic potiſſimum electus est? Tunc videlicet, illius beatiſſimi pectoris pressu, in quo Pater omnes scientiæ ac sapientiæ thesauros condiderat, in morem ejus aquilæ, sub cujus figura eum tanto ante Ezechiel viderat, non usque ad tertium modo cœlum, ut Paulus, sed longe supra omnes cœleſtes orbes evectus, & ipse cœlum quodammodo effectus, ea non tantum didicit, sed vidit ac spectavit, quæ cum postea exponeret, Theologi nomen proprie effecit suum. Inde illa fluxerunt, quæ cum immortali voce intonaret, cur a Domino tonitrui filius vocatus esset, ostendit. *Vidimus, vidimus gloriam ejus, gloriam quasi unigeniti a patre.* Et rursus: *Quod fuit ab initio, quod audivimus, quod vidimus oculis noſtris, quod perspeximus, & manus noſtræ contrectaverant de verbo vitæ, teſtamur & annunciamus vobis.* Neque non illud singulare, quod Dominus in cruce jam pendens, id quod chariſſimum habebat in terris, nitidiſſimum illud domicilium Spiritus sancti, illam omnis maculæ expertem matrem suam Johanni commendavit, eumque illi filium esse jussit. Beatiſſima Virgo, quid tibi tunc animi fuit, cum alterum tibi enatum filium audires? Certe unum pepereras, unigenam ut DEI, sic tuum. Sed veri amoris ea vis est, ut ex pluribus unum efficiat. Ita vere dicere poteras, hoc quoque filio accepto, unicum tamen tibi filium esse. Tu vero,

beatissime Apostole, quantam tunc amoris prærogativam consecutus es? quantum tibi a Domino supra cæteros cohæredes prælegatum est? Quantam consolationem sensisti acerbissimi doloris, quem ex Domini morte capiebas, cum talem thesaurum apud te ab eo deponi, cum te ipsius voce in suum locum substitui videres? Jam minus miror, quod subvectus amoris alis ad sepulchrum ipsius ea celeritate properasti, ut etiam Petro præcurreris: quod cum in vitam superata morte rediisset, stantem in littore primus agnoveris. Obversabatur ille tibi perpetuo ante oculos: neque poterat ulla res intervenire tanta, quæ memoriam ipsius ex animo tuo oblteraret. Longus sim, si cætera sigillatim persequi velim: ut ferta illa & opima Asiæ arva divini verbi semine obseverit; ut mortiferum poculum innocuus obduxerit: ut in ferventis olei dolium injectus, illaeso corpore exierit, tanquam nefas ducente flamma, eos artus violare, quos nulla unquam libidinis flamma violasset; ut relegatus in Pathmon, divinum illum libellum Apocalypseos conscripserit, quo, quæ postea contigerunt, ita complexus est, ut non ea eventura vidisse, sed eorum, cum jam evenissent, historiam contexuisse videatur; ut rogatu fratrum, ad retundendam Cerinthi, Ebionis, Marcionis rabiem, Evangelium jam centum, ut S. Chrysostomus auctor est, natus annos litteris consignaverit; ut cum præ senectute ad plura verba non sufficeret, cygneam illam cantionem: *Filioli, diligite inter vos*, sæpe in Ecclesia iteraverit, cum hoc præcepto omnia diceret contineri; ut denique, cum Ephesi in summa tranquillitate usque ad centesimum & vicesimum ætatis annum adventum Domini exspectasset, ita ut Dominus fore prædixerat, excessu placidi soporis simillimo ad eum evolarit. O te, sanctissime Johannes, supra quam a nobis aut dici aut cogitari potest, beatum! qui virgineo nitore, Apostolica dignitate, Evangelistæ gloria, Martyrii, citra violentam mortem laurea, prophetico spiritu, unus ex omni cœlicolarum numero insignis, quæ singula cæteros ornant, consecutus es universa. Tu, tu igitur, Beatissime, suscipe causam nostram! pone nos apud eum in gratia, apud quem tu semper in maxima gratia fuisti! commenda nos ei, quæ tibi commendata est, ut ei, qui tibi illam commendavit, utriusque precibus commendemur! tu, cui venenum nocere non potuit, effice, ne cuiquam nostrum hæreticorum venena noceant! tu, quem oleum fervens non læsit, impetra nobis, ne unquam pravarum cupiditatum ferfore lædamur! procurato Christianis principibus illam, quam tu tantopere commendabas, pacem & animorum conjunctionem!

nem! inprimis autem Gregorio XIII. Clementissimo Patri ac Domino nostro, obtine a Christo placidissimam & tuæ similliman senectutem: ut, cum Ecclesiæ pacem fundaverit, cum oves, quæ aberrarunt, in Christi ovile reduxerit, cum quod facere jam feliciter exorsus est, ut nomen JEsu omnium gentium linguis celebretur, effecerit: vigil, prudens, fidelis dispensator inventus, super omnia bona constituatur, illius, qui cum Patre & Spiritu sancto unus DEUS vivit & regnat ultra omnem æternitatem! Amen.

Cum Senecæ librum de Providentia interpretaturus esset.

ORATIO III.

Habita Romæ III. Non. Jun. Anno cIↃ IↃ Lxxv.

DE Seneca nihil hoc loco constitui dicere: nam si vituperatores illius confutare vellem, necessario mihi ducenda essent præcipua argumenta e scriptis ipsius, ut ostenderem, eum & doctrinæ copia, & scribendi elegantia longe multumque omnibus obtrectatoribus suis præstitisse. Nunc cum apud eos disseram, quibus Senecæ scripta nota non sunt: (quotus enim quisque vestrum ante hunc diem ea, non dicam, evolvit aut legit, sed inspexit aut attigit?) puto me commodius esse facturum, si prius hunc libellum, mole quidem, ut videtis, exiguum, sed & orationis ornamentis, & argumenti gravitate, ut sentietis eximium vobis proposuero, ac deinde permisero, ut ex eo Senecam, tanquam ex ungui, ut dicitur, leonem æstimantes, de ipsius sapientia & eloquentia arbitratu vestro judicetis. Urbane Ulysses apud Euripidem in Cyclope, cum Sileno vinum venditurus esset, ita eum alloquitur:

Vin' tu prius gustare quid vini feram?
Cui Silenus:
Ita convenit, nam gustus emptorem vocat.

Ego quoque cum vobis hunc scriptorem non quidem vendere, sed certe commendare, atque, ut apud vos in pretio sit, efficere cupiam, debere videor eum vobis prius quasi gustandum dare. Hoc tantum a vobis peto, ne quid huc præjudicatæ opinionis adferatis, neve permoveamini stultis ac temere jactis vocibus quorundam, qui, quæ non intelligunt, vituperant. Tribuite hoc mihi, ut me non quidem valde intelligentem & idoneum, sed tamen non multo deteriorem, quam isti sunt, harum rerum judicem existimetis. Qui cum &, ex quo huic muneri præpositus sum, nihil antiquius habuerim, quam ut vos, quantum in me est, omni liberali doctrina excolam atque augeam, & multorum annorum laboribus ac vigiliis hoc consecutus sim, ut non in vulgus modo, sed apud ipsos principes civitatis non omnino malus eloquentiæ existimator habear: non debeo videri aut tam iniquus, ut obstare profectui vestro, aut tam stultus, ut existimationi meæ nocere de industria velim. Sed hæc quidem hactenus: jam enim quod hujus libri argumentum sit explicare decrevi. Vos quæso, excitate atque expergefacite animos vestros, quæque de rebus omnium maximis ac gravissimis dicere ingredior, ea ut penitus percipiatis, operam date.

Veteres illi, quorum animi densissimis errorum tenebris involuti ea, quæ nobis divinitus affulsit, æternæ veritatis luce caruerunt, cum verum Deum ignorarent, in varias sententias distrahebantur, &, ut nullo firmo ac stabili fundamento subnixi, & commenta opinionum sequentes, huc illuc, tanquam incertis acti tempestatibus fluctuabant. Interdum itaque cum in cœlum oculos sustulerant,

lerant, & illam admirabilem innumerabilium ſtellarum ſine ulla erratione decurrentium varietatem notaverant: facile intelligebant præpotens aliquod numen eſſe oportere, immenſum, infinitum, æternum, quod illi tantæ moli præſideret, a quo hæc rerum univerſitas & a principio conſtituta eſſet, & ejus conſilio ac voluntate regeretur. Rurſus autem cum eorum, quæ infra lunæ orbem ſunt, inconſtantiam ac mutabilitatem viderent, nihil in eis ineſſe certum, nihil perpetuum, nihil conſtans: eo prolabebantur impietatis, ut partim ex omnibus rebus divinam providentiam tollerent, partim ſupera quidem ac cœleſtia mente ac conſilio regi, hæc autem inferiora ſine ullo rectore incertis fortunæ caſibus agitari exiſtimarent. Sed cum & dierum ac noctium viciſſitudinem, & quadripartitam anni temporum varietatem & certa tum dierum tum noctium & incrementa & deceſſiones, & omnia humanis uſibus ſervientia viderent, hærebant attoniti, ut qui perſpicerent, tantum & tam ſapienter inſtitutum ordinem niſi a Deo eſſe non poſſe. Conturbabantur tamen cum aliis argumentis, tum hoc præcipue, quod in rebus humanis multa viderent ſecus evenire, quam ipſi divinæ ſapientiæ ac bonitati convenire exiſtimarent. Etenim ita ſtatuebant: ſi humanarum rerum procurationem haberet Deus, fore ut bonis ac piis & juſtitiæ cultoribus bene eſſet, malis, impiis & injuſtis male. Nunc autem contra videbant, optimos quosque plerumque premi paupertate, cum multi improbi divitiis abundarent; ignominiam, exilium, orbitatem, morbos, tormenta, cruciatus, proprium quodammodo bonorum virorum patrimonium eſſe: cum interea multi omnibus flagitiis cooperti in ſummis deliciis viverent, & in omnibus negotiis ſuis ſecundiſſima fortuna uterentur. Ergo alii fortunam accuſabant, ut iniquam & injuſtam,

quæ quasi dedita opera improbis mater, bonis noverca esset; alii ut cæcam & temerariam, quæ nunc bonos, nunc malos nullo discrimine aut extolleret, aut deprimeret; idemque dicebant de Pluto, quem divitiarum Deum esse fingebant, &, ut fit in erroribus, desultoria quadam levitate in contrarias sententias ferebantur. Nam ubi quid bonis bene evenerat, aut ubi improbus aliquis & diu divina patientia abusus pœnas dederat, tum Deum & esse, & humana curare clamabant. *Estis io superi*, ait Statius, cum convaluisset a periculoso morbo vir eximiæ probitatis Rutilius Gallicus. At contra ubi quid contigerat contra quam æquum esse censerent, Deos aut nullos esse, aut crudeles & injustos esse dicebant:

Marmoreo Licinus tumulo jacet; at Cato parvo;
Pompejus nullo; credimus esse Deos?

Mortuus erat alicujus amicus, quem ipse diutius vivere cupiisset? Negabat Deos esse: id enim ab eorum justitia alienum videri. Itaque in morte Tibulli Ovidius:

Cum rapiant mala fata bonos, ignoscite fasso,
Sollicitor nullos esse putare Deos.

Apud Senecam Jason, cum Medeam occisis filiis evolantem videret:

Testare, inquit, *nullos esse, qua veheris Deos.*

Neque ulla tam levis, aut ridicula causa erat, quæ non ad suscipiendam impietatem satis idonea videretur. Reliquerat amicam amator? Nulli dii erant. Propertius:

Et queritur nullos esse relicta Deos.

Cupidum & libidinosum adolescentem impudica muliercula fefellerat? Nutabat male de Diis fundata opinio, Ovidius:

Esse Deos credamne? fidem jurata fefellit:
Et manet in solito qui fuit ore decor.

Valde scilicet id Dis curandum fuit. Apud Virgilium amisso immatura morte filio,

Atque

Atque Deos atque astra vocat crudelia mater.
Tibullus l. 4. 35

Ecce tibi alter: quia serpentes una cum pelle senium exuere dicuntur, Deos crudeles vocat, quod non idem beneficium formosis tribuerint.

Crudeles Divi, serpens novus exuit annos,
Forma non ullam fata dedere moram.

At illa quidem levia, & a Poëtis fortasse per jocum dicta, etsi tales joci nullo modo ferendi videntur. Serio quidem loqui videtur apud Aristophanem Chremylus, qui se, cum pius ac justus esset, & male tamen rem gereret, gravique paupertate premeretur, ac videret interea alios sacrilegos, calumniatores, improbos divitiis abundare, profectum esse dicit ad Apollinem, ut ex eo scisciteretur, quæ ejus rei causa esset; multoque magis ille in vetere tragœdia:

Τολμῶ γαρ εἰπειν, μη ποτ' ὦσιν θεοί.
Κακοὶ γαρ εὐτυχοῦντες ἐκπλήττουσί με.

Et eodem argumento delusi, ut ait Juvenalis:

Sunt, qui in fortunae jam casibus omnia ponant,
Et mundum nullo credant rectore moveri,
Natura volvente vices & lucis & anni.

Gravissime autem dubitationem ea de re suam expressit optimus ævi sui poëta Claudianus: *In Rufinum l. I. init.*

Saepe mihi dubiam traxit sententia mentem,
Curarent Superi terras, an nullus inesset
Rector & incerto fluerent mortalia casu?
Namcum dispositi quaesissem foedera mundi,
Praescriptosque mari fines, annique meatus,
Et lucis noctisque vices: tunc omnia rebar
Consilio firmata DEI, qui lege moveri
Sidera, qui fruges diverso tempore nasci,
Qui variam Phœben alieno jusserit igne
Compleri, solemque suo: porrexerit undis
Littora, tellurem medio libraverit axe.
Sed cum res hominum tanta caligine volvi
Aspicerem, laetosque diu florere nocentes,

Vexa-

Vexarique pios: rursus labefacta cadebat
Religio, causaeque viam non sponte sequebar
Alterius, vacuo quae currere semina motu
Affirmat, magnumque novas per inane figuras,
Fortuna non arte regi; quae numina sensu
Ambiguo vel nulla putat vel nescia veri,
Abstulit hunc tandem Rufini poena tumultum,
Absolvitque Deos.

C. 32 Multo autem nervosius ac vehementius apud Ciceronem Cotta in tertio de natura deorum: *Telamon*, inquit, *uno versu totum locum confecit, utrum Dii homines negligant.*

V. Ennii Nam si curent, bene bonis sit, male malis: quod nunc abest.

Debebant illi quidem omnes bonos efficere, si quidem hominum generi consulebant: sin id minus, bonis certe consulere debebant. Cur igitur duos Scipiones, fortissimos & optimos viros in Hispania Poenus oppressit? cur Maximus exsulit filium consularem? cur Marcellum Annibal interemit, cur Paulum Cannae sustulerunt? cur Poenorum crudelitati Reguli corpus est praebitum? cur Africanum domestici parietes non texerunt? Sed haec vetera, & alia permulta: propiora videamus. Cur avunculus meus, vir innocentissimus, in exilio est? cur sodalis meus interfectus domi suae Drusus? cur temperantiae prudentiaeque specimen ante simulacrum, Vestae, Pontifex Maximus est Q. Scaevola trucidatus? Cur etiam ante tot Civitatis Principes a Cinna interempti? Cur omnium perfidiosissimus, C. Martius Q. Catulum, praestantissima dignitate virum, mori potuit jubere? Dies deficiat, si velim numerare, quibus bonis male evenerit: nec minus si commemorem, quibus improbis optime. Cur enim Marius tam felici septimum Consul, domi suae senex est mortuus? Cur omnium crudelissimus tam diu Cinna regnavit? At dedit poenas. Prohiberi melius fuit, impedirique, ne tot summos interficeret, quam ipsum aliquando poenas dare. Et paulo

paulo infra: *Anaxarchum Democriteum a Cyprio tyranno excarnificatum legimus: Zenonem Eleatem in tormentis necatum. Quid dicam de Socrate? cujus morti illacrymari soleo Platonem legens. Videsne igitur, deorum judicio, si viderent res humanas, discrimen esse sublatum? Diogenes quidem Cynicus dicere solebat, Harpalum, qui temporibus illis prædo felix habebatur, contra Deos testimonium dicere, quod in illa fortuna tam diu viveret.* Piget plura recitare: est enim ipse Ciceronis liber in manibus. Seneca igitur cum & ab ea disciplina esset, quæ omnia maxima minima divino consilio gubernari statuit, & ei quem unice diligebat Lucilio idem persuasisset: quia tamen scrupulus in Lucilii animo aliquis residebat ex eo, quod perspicere non poterat, cur DEUS optimos quosque tot acerbitatibus vexari sineret, ejus rei causas ad eum misso hoc commentariolo tractandas explicandasque suscepit. Unde constat, veram illius scriptionem non esse eam, quæ vulgo recepta est, quam ego tamen, ne omnia novare dicerer, retinui, *De providentia*: sed *quare bonis viris multa mala accidant, cum sit providentia*, ut constat ex Lactantio in libro de ira DEI; cujus verba huc pertinentia in eis notis, quas vestra causa ad hujus libri finem addidi, reperietis. Quod sit hujus libri argumentum videtis: quod mihi quidem ita pulchrum & cognitu dignum videtur, ut injuriam quodammodo vobis facturus videar, si tam male de vobis existimem, ut vos pluribus verbis ad ejus tractationem & cognitionem excitandos putem. Mihi credite: qui me attente audient, perficiam cum Deo volente, ut & gravissimam ac pulcherrimam quæstionem tractatam divinitus a Seneca, & a me ipsum Senecam non negligenter tractatum esse fateantur.

Operæ pretium facturus videor, si antequam ad expendenda Senecæ dicta veniam, exponam vobis, quid

super

ſuper ea ipſa quæſtione, quæ hoc libello continetur, homines eruditiſſimi iidemque ſanctiſſimi ſenſerint. Nam ſi ut vaſa eum odorem quo primum imbuta ſunt, ita animi, quas primas opiniones combiberunt, conſtantiſſime ſervant: diligenter nobis videndum eſt, ut in gravibus & ſeriis rebus ſtatim a principio videamus, quid veriſſimum ſit, idque animo conceptum ac comprehenſum perpetuo retineamus. Joannes igitur Chryſoſtomus, qui ſingularem vitæ ſanctitatem admirabili quadam & doctrinæ abundantia & dicendi facultate cumulârat, cum dixiſſet, multis abſurdum quodammodo videri, quod Deus pios viros, quosque ipſe apertiſſimis ſignis ſibi chariſſimos eſſe declarat, plerumque tamen omni genere acerbitatum agitari vexarique patiatur, undecim cauſſas adfert, cur ita fieri expediat, quas ſingulas non modo exponere, ſed etiam breviter illuſtrare ac confirmare decrevi. Prima igitur eſt, ne qui res magnas ac præclaras gerunt, propterea inflentur ac ſuperbiant, ſed ſubmittant animos, memores inbecillitatis ſuæ. Confirmatur hoc teſtimonio Davidis & Pauli, quorum ille bono ſibi fuiſſe ait, quod a Deo depreſſus, caſtigatusque ſit, ſeque ex eo magis illius juſtitiam perſpicere: hic autem, cum usque ad tertium cœlum raptus eſſet eaque vidiſſet, quæ vix homini in hac vita videre fas eſt, ne propterea ſibi placeret, neve inſolêſceret, additum ſibi eſſe ait angelum Satanæ, a quo quaſi colaphis cæderetur. Hæc igitur prima cauſſa eſt. Altera, ne cæteri mortales in errorem trahantur, & de præſtantibus viris, non ut de hominibus, ſed ut de Diis quibusdam, exiſtiment: a cujus erroris periculo liberantur, cum illos magnos & egregios viros multa perpeti vident, quæ illos non Deos ſed homines eſſe declarant. Nam ſi qui multa bella geſſerant, multas urbes expugnaverant, multa hominum millia occiderant, antiquitus in

Deo-

Deorum numerum ſtulta vulgi opinione referebantur: quid putatis eventurum fuiſſe iis, qui verbo, qui nutu, qui contactu, qui umbra ſua fugabant morbos, claudis inceſſum, ſurdis auditum, cœcis uſum oculorum reſtituebant, mortuos in vitam revocabant, niſi vulgus hominum eos ipſos, per quos tam multa admirabilia opera edebantur, eſurire, ſitire, algere, aegrotare, cædi, mutilari, ejusdemque generis alia innumerabilia quotidie ſubire ac perferre vidiſſet? Sic quoque, quamvis vociferarentur, nihil eorum ſua virtute fieri, CHRISTUM eſſe, qui per doctrinæ ſuæ præcones ea perficeret; vix tamen impedire poterant, ne ſibi divini honores haberentur. Ad Paulum quidem & ad Barnabam Lyſtrenſes aliquando etiam tauros coronatos adduxerant, quos eis tanquam diis immolare cupiebant, niſi ſumma vi prohibuiſſent. Tertia cauſſa eſt, ut poteſtas DEI tanto magis eluceſcat, qui per homines imbecilles, morbis obnoxios, egentes, carceribus & ergaſtulis clauſos, vinculis & compedibus impeditos, catenis onuſtos, ea faciat, quorum magnitudinem cæteri omnes obſtupeſcant. Itaque Paulus ipſe cum feſſus malis quodam tempore petiiſſet a DEO, ut a ſe tantas illas & tam multas acerbitates amoveret, reſponſum hoc tulit: *Satis tibi ſit, quod mihi carus acceptusque es. Quo enim tu infirmior es & pluribus difficultatibus conflictaris, eo magis perſpicitur poteſtas mea.* Quarta eſt, quod ſi bonis viris omnia proſpera ſuccederent, ſi divitiis abundarent, ſi colerentur ac ſuſpicerentur a cæteris, ſi nunquam ægrotarent, nunquam dolerent, nullum incommodum ſentirent: fortaſſis exiſtimaret vulgus, eos pietatem colere non ſuapte ſponte, ſed illa quaſi mercede allectos & invitatos. Nunc cum eos non egeſtas, non ignominia, non cruciatus corporis, non tyrannorum ſævitia, non mortis metus a Dei cultu & a vera pieta-

pietate possit abducere, manifesto constat, honestatem ac virtutem, & Deum inprimis ipsum ab eis propter se, non propter ullam mercedem amari. *Non gratis te colit Job*, dicebat Deo perpetuus ille humani generis hostis; *Tu enim eum cumulasti opibus, auxisti liberis, perpetua denique vitæ prosperitate prosecutus es.* At Deus, *Tu vero*, inquit, *domos ejus inflamma, messes combure, pecora interfice, liberos eneca, totum ipsius corpus arbitratu tuo lacera ac lania; nullus restet novis ulceribus locus; jaceat in sterquilinio, cui prius somnum capere licebat in purpura; ne sit quidem quo se absergeat, sed testa manantem ex ulceribus saniem abradat: ut liquido constet eum mei gratuitum non mercenarium esse cultorem.* Eadem æquitate animi homo sanctissimus tulit adversa, qua & V prospera exceperat. Quinta, ut homines tanto certius atque exploratius habeant, non omnia morte terminari, sed supereſſe aliam vitam, in qua & præmium tribuatur justis, & ab improbis ac conſceleratis pœna exigatur. Nam si ne homines quidem usque eo injusti reperiuntur, us eos, quos causſa sua multa perpessos vident, sine præmio abire patiantur, quanto minus id de Deo aut cogitare aut suspicari possumus? Cum igitur multos plerumque videamus homines optimos & innocentissimos, quantum quidem hominis natura fert, in hac vita nunquam interquiescere ac respirare a moleſtiis, sed perpetua quadam calamitatum serie usque ad extremum spiritum premi: cogitemus neceſſe est, aut, quod natura ipsa abhorret ac refugit, DEUM injustum esse, aut post hanc vitam sua esse hominum generi præmia, pro suis cuique actionibus divinitus constituta. *Si spes nostra*, ait Paulus, *iisdem quibus hæc vita terminis ac finibus circumscripta teneretur, nihil nobis infelicius foret.* VI Sexta, ut nos quoque, si quando tale aliquid nobis eveniat, patienter feramus, neque desponeamus animum,

aut

aut statim propterea DEO invisos esse nos arbitremur: cum iis quoque, qui Deo charissimi & acceptissimi erant, aut eadem, aut graviora contigisse videamus. Septima, ne ullus tergiversationi locus VII
sit, si quis nos ad illorum præstantium virorum imitationem cohortetur, quasi eos non ejusdem, cujus & nos sumus, sed divinioris cujusdam naturæ fuisse causemur. Octava, ut sciamus quibus rebus VIII
felicitatem metiri ac dirigere, quosque ex omni hominum numero felices ac beatos, quos contra infelices ac miseros ducere debeamus. Non enim, qui multa possidet, beatus est: sed multo ille beatior, qui non tantum divitias non concupiscit, sed iis, quas habet, ultro se spoliat, ut copiis suis aliorum inopiam sublevet. Non qui innocens exulat, miser est: sed tanto felicior, si id æquo animo ferens, operam det, ne ab illa æterna ac cœlesti patria exulare cogatur. Non qui firmo ac valenti corpore est felix: sed ille, qui in corpore quamlibet infirmo perpetuam animi retinet firmitatem. Non cui multa dura, & perpessu aspera eveniunt, miser: sed is potius, qui prosperis successibus ebrius: neque altius oculos mentis attollens, in caducis ac fallacibus hujus vitæ bonis acquiescit. Nona, ut magis IX
illustretur eorum patientia ac fortitudo, qui se a calamitatibus vinci non sinunt. Neque enim a nobis cognoscerentur, nisi a Deo in hujusmodi certaminibus exercerentur. *Aurum*, ut dicturus est Seneca, *probat ignis, miseria fortes viros*. Decima, quoniam X
humanæ naturæ imbecillitas ne optimos quidem viros omnis peccati expertes esse patitur, (neque quisquam aut est, aut fuit præter pauciissimos, quibus id singulari DEI beneficio tributum est, quin aliquando offenderet ac prolaberetur) ut hic potius quam alibi peccata expientur, ut si qua macula ex illis profanationibus suscepta est, temporariis illis acerbitatibus, quasi nitro quodam aut lo-

mento eluatur ac deleatur. Nam cum justitiæ divinæ consentaneum sit, neminem in cœlum pervenire, qui ulla ex parte pollutus contaminatusque sit: expedit iis ipsis, qui Deo chari sunt, ita in hac vita purgari, ut cum e corporis vinculis exceſſerint, nulla alia purgatione egentes, ſine ulla mora in cœlum evolare expediti ac liberi poſſint. Undecima, ut quo plura acerba patiuntur, quo plures difficultates ſuperant, quo dimicant acrius, eo majoribus præmiis ornentur, eo plures coronas accipiant, eo majorem in omni æternitate gloriam conſequantur. Hæc igitur vir ille ſanctiſſimus, non, ut ego nunc, aridō & inculto dicendi genere, ſed ornato, ſplendido, efficaci: aureo denique illo eloquentiæ flumine, quod ei Chryſoſtomi nomen meritiſſimo comparavit. Ac vereor ne quis interdum me, quod e talium ſcriptorum fontibus hauriam, quo diſputationes meas irrigem, reprehendendum putet. Unde igitur per Deum immortalem! potius repetam, quod honeſtius aut majori cum fructu vel a me dicatur, vel a vobis audiatur? An totos dies nunc in poëticis fabulis, nunc in Stoicorum aut Epicureorum ſtultiſſimis opinionibus perſcrutandis ac perveſtigandis conteremus, idque cum faciemus, tempus bene collocare putabimur: ad ea cognoſcenda, quæ ignorare ſine pernicie non poſſumus, nullam partem temporis conferemus? At hæc inquiet aliquis, in Theologorum ſcholis aut concionibus tradi ſolent: a te alia quædam requiruntur. Fateor equidem ab eis hæc omnia non tempeſtivius modo ac convenientius, ſed etiam melius copioſiusque tractari. Sed tamen utinam ſatibus præceptis & templa, & ſcholæ, & porticus, & ambulationes, & fora, & compita omnia perſonarent! Mandatum eſt mihi, ut vobis iter ad eloquentiam commonſtrare conarer. Nunquid igitur

vos

vos eloquentiores effecturus sum, si hoc quantulumcunque est, quod in dicendi facultate consecutum esse me nonnulli putant, in nugis & fabulis exercuero, quam si vos ad graves & serias res bonis & lectis verbis explicandas, quantum vires meæ ferent, exemplo meo & incitare & assuefacere studuero? Mihi vero certum ac constitutum est, ea vobis perpetuo tradere, quibus vos non disertiores modo & in loquendo argutiores, sed etiam meliores ac sapientiores redditum iri arbitrabor. Eloquentiam esse, ait Cicero, non inanem loquendi profluentiam, sed sapientiam copiose loquentem. Quod si est, qui nihil præter verborum floseulos & pigmenta tradunt, minimam partem eloquentiæ tradunt; si quis est, qui & res cognitu dignas adferat & eas non vulgari neque sordido orationis genere efferat, is demum bonus & utilis dicendi magister habendus est. Vera autem sapientia aut illo, ex quo hodierna mea disputatio depromta est, aut nullo prorsus genere scriptorum continetur. Sed longior fui quam putabam. Qua igitur de re Chrysostomi disputationem audiistis, de eadem perendie, si Deus volet, disputantem Senecam audietis.

Cum explicare inciperet libros Platonis de optimo Reipublicæ statu:

Sive Præfatio in Primum Platonis de Republica librum.

ORATIO IV.

Habita Romæ Prid. Non. Novembr.

Anno clɔ Iɔ Lxxiii.

SUscepi hoc anno duos utriusque linguæ clarissimos & eloquentissimos scriptores interpretandos. Platonis quidem libros de justitia, sive de optimo Reipublicæ statu; Ciceronis autem libros de

finibus bonorum, & malorum: ſperans fore, ut Deus quidem huic conatui meo arduo, & difficili, ſed honeſto atque utili faveat; vos autem, qui, quanta hic veſtra utilitas agatur, videtis, dignum iis auctoribus, qui vobis proponuntur & rebus, qui ab eis tractantur, ſtudium ad me audiendum adferatis. Ac mihi quidem nihil in eo temere feciſſe videor, quod horum librorum explicationem conjungendam judicarim. Agitur enim in utrisque de ſummo bono: in iis quidem de ſummo bono Civitatis; in his autem de ſummo bono ſingulorum. Eſſe autem idem re ipſa, & totius Civitatis & uniuscujusque civis bonum & Plato & Ariſtoteles ſæpe docuerunt. Sed ſcio fore nonnullos, qui meum conſilium vituperent, quod me in latinis tantum ſcriptoribus verſari, a Græcis prorſus abſtinere cuperent. Erunt etiam qui ab homine tradendis eloquentiæ præceptis præfecto ac præpoſito orationem potius Ciceronis aliquam, aut aliquem eorum librorum, qui ab eo de arte Rhetorica ſcripti ſunt, explicari debuiſſe contendant. Quibus utrisque breviter ſatisfaciam, ut & omnem eis, quantum in me quidem erit, errorem eripiam: & tamen caveam, ne hæc ipſa, ut apud nonnullos ſupervacanea, ſic apud plerosque neceſſaria purgatio nimium temporis nobis eripiat. Primum igitur iſtis Græcæ linguæ oſoribus ita reſponſum volo, omnem elegantem doctrinam, omnem cognitionem dignam hominis ingenui ſtudio, uno verbo, quicquid usquam eſt politiorum diſciplinarum, nullis aliis quam Græcorum libris ac litteris contineri. Itaque quod olim M. Catonem illum Cenſorium vaticinantem ferunt, cum adhuc Græcis litteris infenſus eſſet, quas tamen poſtea cognito errore ſenex aviditſime didicit, Græcos, ſimul atque litteras ſuas in urbem miſiſſent, omnia perdituros: multo nos hodie & verius & certius atque exploratius prædicere

dicere possumus, si homines nostri paulo magis Græcas litteras negligere cœperint, omnibus bonis artibus certissimam pestem ac perniciem imminere. Hoc si isti aut videre per insciitiam & ignorationem harum rerum non queunt, aut cognoscere propter obstinatum quoddam & inveteratum in Græcos odium nolunt: persistant sane & obdurent in sententia sua; nobis ignoscant, si quo in studio plurimum operæ posuimus, ab eo non facile abducimur: sed & ejus dignitatem conservare nitimur, & quas ex eo utilitates percepisse nobis videmur, eas cum aliis communicare conamur. Sid adversus hos & diximus alias plura, & quoties dabitur occasio, dicturi sumus. Hoc autem tempore nobis æquiores esse debent, quod ita nostram docendi rationem temperabimus, ut etiam iis, qui Græce nesciunt, multum tamen nos ad illam ipsam, quæ in manibus est, qualiscunque est, Marsilii interpretationem commodius intelligendam auxilii allaturos esse speremus. Qui autem aliena esse hæc ejus personæ, quam hoc tempore sustinemus, putant, primum hoc, velim, in memoriam revocent, quibus temporibus ars Rhetorica doceri cœpta est, eosdem habitos esse & politicos & dicendi magistros. In quo ut, qui tum se eos pro talibus venditabant, nimium sibi sumpsisse, artique suæ pro soccis, ut ita dicam, cothurnos induisse fateamur: ex eo tamen ipso intelligi licet, magnam aliquam inter eas facultates affinitatem ac similitudinem esse. Neque enim res plane disjunctæ ac dissimiles jungi ac permutari inter se solent: neque quisquam est, aut ita duro ore, aut ita hebetibus oculis, ut earum unam pro altera aut aliis tentet obtrudere, aut sibi ipse patiatur obtrudi. Deinde Aristoteles, qui, quæ quasi sylva ac materies oratori proposita sit, unus omnium & vidit optime, & diligentissime persecutus est, rhetoricam ex

quadam dialectices, & politices permistione quasique consitione docet existere, ut, non dicam tueri munus suum, sed ne esse quidem ac constare possit, nisi decerptas ac delibatas ex earum utraque particulas corrogarit. Ut igitur veteres illi arroganter, qui cum pectendæ modo & intorquendæ & tanquam calamistris inurendæ orationis vias traderent, politicos se haberi volebant: ita nos modeste, qui quod nobis deest, quoque carere non possumus, a Philosophis mutuamur. Quid non Hermagoras, cujus auctoritatem secuti plurimi sunt, civiles quæstiones oratoris esse materiam tradidit? A quo qui dissenserunt non eo errasse illum dixerunt, quod oratori nimium tribuisset, sed quod parum. Nonne Aristoteles ipse diligenter cognoscendas esse Oratori rerum publicarum formas præcipit? Quid vero apud Ciceronem frequentius, quam sine Philosophia non posse effici eloquentem, omnemque ubertatem dicendi ac copiam a Philosophorum scriptis esse Oratori petendam? qui etiam se non ex Rhetorum umbraculis, sed ex Academiæ spatiis Oratorem extitisse profitetur. An unquam Pericles fulgurare, tonare, permiscere Græciam dictus esset, nisi Anaxagoram audiisset? Demosthenem autem, quo nemo unquam in dicendo nervosior aut efficacior fuit, unde hausisse illam vim, qua superat omnes, nisi ex Platonis schola & sermonibus creditis? Sed est quoddam genus hominum, qui cum se Ciceronis studiosissimos haberi velint, uni ex omnibus Ciceronis auctoritatem ac judicium maxime contemnere videntur. Nam cum Cicero toties inculcet, ei qui ad eloquentiæ gloriam aspiret pervolutandum esse omne scriptorum genus, ut multiplici rerum cognitione quasi lætificata efflorescat, ac redundet oratio: hi perinde ac si ho aut non legerint, aut satis putent esse, quod legerint, ad unius Ciceronis scripta, tanquam ad Sirenios

nios scopulos, adhæresçunt, ea una manibus terunt, eorum non voculas modo, sed syllabas prope omnes minuta quadam & anxia curiositate ad calculos vocant, ab eis commovere oculos nefas putant, præter unum denique Ciceronem, aut tres, si forte, aut quatuor illorum temporum æquales, aut certe illi ætati suppares, aliorum omnium scriptorum contactum ipsum refugiunt, ne inquinentur. Itaque ut Ixion in Poëtarum fabulis nubem amplexatus dicitur, cum sibi Junonem amplexari videretur: ita isti pro vera & solida & succi & sanguinis plena eloquentia, ariditatem quandam ac sterilitatem orationis, & jejunam & fame ac macie enectam, & nullius rei nisi odii plenam in verbis ad Lydium illum Nizolii lapidem examinandis morositatem amplexantur. Ridicula capita! Cujus se admiratores præcipuos videri volunt, ejus monita ac præcepta ad se pertinere non censent. Nos vero demus operam, ut simus, quod isti non sunt, vere ac serio Ciceroniani, & illi saluberrimo Ciceronis præcepto obtemperantes excutiamus, ac perscrutemur omnes forulos bibliothecarum veterum; inprimisque amemus atque admiremur Platonem: quo ille laudando ac commendando expleri non potest; quem nec nimis valde, nec nimis sæpe laudari posse ait; quem omnium, quicunque unquam scripserunt, locutive sunt, principem; quem cum Panætio, Philosophorum Homerum, quem auctorem divinum, quem quasi Deum quendam Philosophorum vocat; cujus sapientiam & eloquentiam sic admirata est antiquitas, ut Jovem ipsum dicerent, si Græce loqueretur, sic loqui. Atque equidem constitueram hodie de Platone aliquid dicere: sed me copia ipsa deterruit. Vix enim potest quisquam ullum paulo digniorem lectu scriptorem, eorum quidem, qui post Platonem vixerunt, in manus sumere, ut non in aliquid,

quid, quod de Platone ample ac magnifice dicatur, incurrat. Quare de ipso quidem in præsentia silentium erit: sed quando librum primum de Republica explicare ingredior, attingam prius & exponam breviter nonnulla, quæ Platonis interpretes quasique hypophetæ in uniuscujusque libri Platonici principio tractare consueverunt. Primum igitur dicam, quid in his libris propositum sit Platoni: quod Græci σκοπὸν, aut πρόθεσιν vocant, Deinde quo in genere eos scripserit: quod illi εἶδος aut χαρακτῆρα, dicunt. Postremo eorum ὕλην sive materiam explicabo. Materiam autem voco, ne quis sit error, non id, quo de agitur, ea enim est, quam dixi πρόθεσιν: sed certam quandam totius disputationis, ut Rhetores loquuntur, περίστασιν, quæ loco, tempore, personis continetur. Quid igitur Platoni præcipue propositum sit in his dialogis, non eadem omnium sententia est. Sunt enim, qui de justitia hic, non de republica, præcipue disputari contendant, quæ vis ejus, quæque natura sit, & ut ex ejus cultu omnia bona & privatim & publice ad homines perveniant, contraque mala omnia ab injustitiæ fonte manent. Hujus opinionis suæ tria potissimum argumenta afferunt. Unum quod principium totius disputationis, quæ cum Cephalo posteaque cum Polemarcho & Thrasymacho instituitur, manifesto a justitia ducitur, neque quidquam ab eis aliud quæri videtur. Alterum, quod quicquid in his libris de Republica dicitur, accessio quædam est & appendix disputationis de justitia. Cum enim ex dubitationibus Clauconis & Adimanti expressior quædam & evidentior justitiæ tractatio requireretur, eaque videretur semper aliquid obscuritatis habitura, quam diu in uno homine insisteretur, quod majorem & latiorem campum haberet oratio, transiit Socrates ad explicandam formam totius Civitatis, ut

cum

cum docuisset, toti Civitati & necessariam & salutarem esse justitiam, etiam in singulis eandem illius esse vim, facilius & apertius cerneretur. Qua in transitione comparationem adhibuit elegantissimam, quæ his verbis explicata est libro secundo: *Si quis*, inquit, *nobis proposuisset aliquid longo intervallo legendum, quod minutis litteris scriptum foret, neque nos valde acutis & perspicacibus essemus oculis, posteaque alicui nostrum veniret in mentem, idem alibi extare in grandiori tabula grandioribus litteris scriptum, nemo esset, quin lucro quodammodo apponeret, illam prius grandiorem tabulam suspicere, ut postea, quæ in minora scripta essent, iisdem vestigiis facilius persequi posset.* Addit deinde, eandem esse, & idem efficere justitiam in tota Civitate & in uno homine, sed vim illius in Civitate, quæ maior ampliorque sit, & facilius & clarius perspici posse. Quod si disputatio de Republica ad illustrandam justitiæ naturam quæsita est, constat hanc quidem esse principem & προηγουμένην, illam de Republica adscitam, & ἐμπίπτουσαν καὶ παρεμβεβλημένην. Postremo id e Socratis ipsius verbis apertissime colligi, qui quoties, ut fit in disputando, a justitia evagatus est, ad eam rediens, ait se redire ad id, quod quæritur, & de quo instituta est disputatio: & ad ipsum libri decimi finem ita totum sermonem concludit, ut dicat, colendam esse justitiam, ut & nobismetipsis & Diis immortalibus amici simus. Hæc igitur argumenta sunt eorum, qui de justitia, non de republica præcipuam quæstionem in his dialogis esse ajunt. Qua in sententia Marsilius fuit, qui quidem in hujus libri argumento ita scripsit. Atque (ut sæpe in his libris, sed præcipue in secundo declarat,) totam disputationem de justitia a nobis inscribi mavult, quam de republica. Idem sentit & Chalcidius principio commentarii, quem scripsit in Timæum. Sed

& multorum ex veteribus eadem fuit opinio. Alii tamen, quorum non minor est auctoritas, præcipuam esse censent quæstionem de republica: idque his argumentis confirmant. Primum quod inscriptio est, de republica. Quod argumentum ut plus habeat ponderis, ostendunt inscriptionem illam esse antiquissimam maximeque γνησίαν. Intelligendum est enim, non omnes inscriptiones librorum Platonis aut antiquas aut indubitatas esse. Nam & Platoni quædam tribuuntur, quæ Platonis non sunt, (ut Axiochus sive de morte, qui Xenophanis Platonici est, quod & Marsilius scivit; ut Alcibiades secundus, quem & Achenæus ait putari Xenophontis, & stylus ipse id ostendere videtur; & Halcyon sive de mutatione formæ olim legebatur inter opera Platonis, hodie inter dialogos Luciani: cum eorum neutrius sit, sed Leonis Academici) & ii dialogi, qui sine ulla dubitatione Platonis sunt, aliter ab aliis nominantur: ut Parmenides ab aliis περὶ ἰδεῶν, ab aliis περὶ γυμνασίας, ab aliis περὶ τοῦ ὄντος, ut testatur Proculus; ut Philebus, ab aliis de voluptate, ab aliis de summo bono; & qui hodie titulum habet ἐρασῶν, id est, amatorum, ab omnibus antiquis ἀντερασῶν, i. e. rivalium nomine citari solet, estque ea verior inscriptio. Qui ergo ab inscriptione argumentantur, ajunt verissimam & antiquissimam horum librorum inscriptionem esse πολιτείαν, id est, de Republica, non de justitia. Nam & Aristoteles cum eorum epitomen quandam confeciisset, ait: ἔτως ἐπιτετμῆσθαι τὴν πλάτωνος πολιτείαν & in convivio, & in Politicis, quoties horum librorum mentio est, ita eos nominat. Theophrastus quoque in libris de legibus eadem appellatione utitur. Sed & Plutarchus in quæstionibus Platonicis, & Athenæus, & Origenes, & ex latinis Cicero, Macrobius, Lactantius, Chalcidius, omnes de-

ni-

nique antiqui hos libros de republica, non de justitia vocant. Jam vero Platonicarum inscriptionum tria genera sunt ἐκ προσώπων, ut Parmenides, Protagoras, Gorgias, Hippias; περιστατικαὶ, ut Convivium; πραγματικαὶ, ut νόμων, Πολιτικὸς, σοφιστής. Hæ postremæ semper continent τὸ προηγμένως ζητέμενον. Hæc autem & vera est, & πραγματική.

* *Desiderantur hic argumenta reliqua pro sententia eorum, qui Quæstionem Platonis in his libris præcipuam esse, de Republica censent. Neque ultra dicendo progressus ipse videtur Muretus. Cætera enim, quæ proposuerat, rejicit insequens.*

PROOEMIUM.

quod e commentario ejus in primum ac secundum Platonis de Republica librum transcribere placuit.

EXposui paulo ante utrorumque argumenta & eorum, qui existimant, in his Dialogis præcipuam quæstionem esse de Justitia, & eorum, qui de Republica totam hanc disputationem institutam esse contendunt. Nunc quid vere de hac quæstione dici possit, breviter explicabo. Mihi certe utrique recte dicere videntur. Nam σκοπὸς est & περὶ δικαιοσύνης, & περὶ πολιτείας. Non ut sint duo σκοποὶ: sed ut hæc duo idem sint. Nam quod est ἐν μιᾷ ψυχῇ δικαιοσύνη, id in civitate talis πολιτεία. Nam & in Politia tria genera respondent tribus animæ partibus: τὸ φυλακικὸν τῷ λόγῳ. τὸ ἐπικουρικὸν, ὡς πολεμῶν τῷ θυμῷ. τὸ θρεπτικὸν τῷ ἐπιθυμητικῷ. Platoni videtur, μίαν ἕξιν εἶναι τὴν τε πόλιν κοσμοῦσαν, καὶ οἶκον, καὶ ἕκαστον: etsi hoc reprehenditur ab Aristotele principio Politicorum. Ergo & quilibet nostrum vivit πολιτικῶς ὑποκεκοσμημένος, & πόλις δικαίως τεταχθεῖσα. Estque justitia, πολιτεία ψυχῆς, & πολιτεία δικαιοσύνη πόλεως. Et qui de justitia differit,

differt, si de omni, differt & de Politia, & contra. Atque ipsum Platonem ita sentire constat ex illa ipsa comparatione lib. II. Non enim transit ut ab uno in aliud, sed ut a parvis litteris ad majores, quibus idem scriptum sit. Ergo ὕλη alia, sed εἶδος idem. Inde in Theætero præcipit, oportere ἕκαστον βλέπειν εἰς τὴν ἐν ἑαυτῷ πολιτείαν καὶ τῷ ἀρίστῳ tradere τὴν ἀρχὴν αὐτῆς, ἀλλ' ἐ τῷ φιλοχρημάτῳ. Et apud ipsum ἡ σωφροσύνη χαριεντηρίζει virtutem moralem: nihil enim ita necessarium τοῖς παιδευομένοις, ὡς τὸ σωφρονεῖν, ἡ δὲ δικαιοσύνη τὴν πολιτικὴν, nihil enim tam necessarium Rectori civitatis. ἡ ἀνδρεία τὴν καθαρτικὴν, καὶ ἡ φρόνησις τὴν θευρητικήν. Non ergo duo σκοποὶ sed unicus, περὶ πολιτικῆς δικαιοσύνης, καὶ περὶ δικαίας πολιτείας. Et incipiendum quidem a justitia, quæ est quasi πολιτεία in uno; desinendum autem in πολιτείαν, quæ est justitia in multis. Ipse autem inscripsit tantum περὶ πολιτείας, ὡς γναριμωτέρας ὄσης. Additum est a posterioribus: ἢ περὶ δικαίε. Male vulgo πολιτειῶν. Hic enim una tantum, quæ tamen recte dicitur πολιτεία πρώτη: ut illa, quæ in libris νόμων, δευτέρα: & tertia in Critia. Atque inde error.

Περὶ τῦ εἴδες.

Ipse tertio horum librorum facit εἴδη τρία, διηγηματικὸν, μιμητικὸν, μικτὸν. Hi libri sunt ἐν μικτῷ. In parte εὐκρίνεια, in parte τὸ πρέπον mirabile.

Περὶ ὕλης.

Τόπος, id est, locus, in quo hi sermones habiti esse dicuntur, Pyræus, quia loca maritima tumultuum plena sunt, ut & hic dicitur disputatum esse ἐρισικῶς, καὶ ἐκ ἀθορύβως de justo. At hæc commemoratio pridianæ disputationis, & illa ejusdem epitome in Timæo, in ipso Astu. Hæc displicent. Tempus, quo disputatum est, Bendidia. At hæc disputatio pridie Panathenæorum & illa in Timæo in

in ipsius Panathenæis. Hic quoque ἀλληγορίζειν ἀκαίρως. Πρόσωπα: Cephalus, Socrates, Polemarchus, Glauco, Adimantus, Thrasymachus, Lysias, Euthydemus, Niceratus, Clitophon, Charmantides. Sed detrahunt Cephalum, ut sint decem, quot & libri, & hunc numerum esse eundem cum quaternario, qui sacer est Minervæ, & alia, quæ somnia videntur. Marsilius etiam ineptius: Cephalum, quod sit caput disputationis; Polemarchum, quia primus pugnam aggreditur; Thrasymachum pugnatorem ferocem; Socratem, servatorem potentem. Si hæc nomina ficta essent, ut Thraso, Gnatho, Peniculus, Pyrgopolinices, fortasse aliquid diceretur. Tale est de numero librorum Homeri μῆκος. Ridetur a Plutarcho, & Longino περὶ ὕψους, Philistus, quod in nomine Niciæ argutus videri voluerat: & quod dixerat, mutilatis Hermis Athenienses ab Hermocrate Hermonis filio multa mala accepisse. Longinus addit, potuisse eum de Dionysio Tyranno ita ludere, quem Dio & Heraclidæ de Tyrannide deturbarunt. Nam Plautus non illepide in Bachidibus:

Adeon me fuisse fungum, ut illi crederem,
Cum mihi ipsum nomen ejus Archidemides
Clamaret, dempturum esse, si quid crederem?

Sed in seriis talia omnia ridicula sunt & frigida; in jocando non illepida. Ut Cicero: Pollex non Index; & Verres; & libertum furacem Tollium pro Tullio; & Biberius Caldius Mero & similia.

Cum

Cum in Platone explicando progrederetur:

Sive præfatio in secundum Platonis de Repub. librum.

ORATIO V.

Habita Romæ IV. Kal. Martii M. D. LXXIV.

MUlta sapienter ab Euripide dicta sunt, quæque præclare sustineant famam illius Oraculi, quo traditum est, eum in tribus, qui illa ætate sapientissimi essent, ipsius Dei voce numeratum: rectèque judicavit Q. Cicero, cum dixit se singulos ejus versus singula testimonia putare. Apud eum autem quodam loco mirari se dicit Hecuba, quod non, aliis omnibus studiis omissis, omnes homines ad studium eloquentiæ incumbant: eam enim unam in rebus humanis quasi regnum quoddam obtinere. Est & alibi apud eundem Poëtam, orationem ad res efficiendas non minus valere, quam ferrum. Quæ non splendidius aut magnificentius dici, quam verius, & docet vetus historia, & communis vita declarat. Quid enim notius est, quam in omni ætate extitisse semper aliquos, qui quasi quodam gubernaculo, ita lingua huc illuc mentes audientium flecterent, quietas concitarent, commotas ac concitatas tranquillarent ac mitigarent, perspicue veris fidem detraherent, incredibilibus probabilitatem conciliarent, veteres opiniones evellerent, novas insererent, quid denique & quatenus ab aliis credi vellent, ipsi definirent, quasque terminos pangerent? Neque vero hujus tantæ ac tam admirabilis potestatis suæ ipsa sibi parum conscia eloquentia est: neque unquam eam obscure ac dissimulanter tulit, quæ, ut e vetere comœdia cognoscimus, ab ipso prope ortus sui principio ausa sit profiteri, se vias tenere ac tradere, quibus causa inferior dicendo superior fieri posset. Neque vanam aut inanem

inanem illam gloriationem fuisse, gravissimis persæpe maximeque insignibus exemplis in omni Civitate patefactum est. Cum igitur homines natura potentiæ cupidi sint, & tantum ad eam in eloquentia momenti sit; omnia omnes ejus consequendæ caussa facere, ut ait Euripides, consentaneum esset. At mihi tamen contra nonnunquam accuratius hæc in animo reputanti, mirum videri solet, non jampridem omnes dicendi magistros, una cum illo suo præclaro artificio ex omnibus locis communi aliquo gentium ac populorum scito ejectos, expulsos, exterminatos fuisse. Neque enim adversus illos aut accusatore ullo, aut teste opus est. Ipsi se indicant, ipsi se deferunt, ipsi, quod occultandum potius videretur, id sine metu ac pudore præ se ferunt, id ostentant, eo se venditant, eo gloriantur. Nihil tam certum tamque exploratum esse, quod non in dubium vocari, nihil tam absurdum, tamque perversum, quod non eloquentiæ viribus obtineri ac persuaderi queat: voces sunt hominum istam facultatem non calumniari & in odium vocare, sed ornare & hominibus commendare cupientium. Hoc autem quid aliud est, quam noctem ac caliginem rebus inducere, & quasi Circeo quodam poculo ad eam dementiam homines adigere, ut certi ac firmi in quo insistant nihil habeant, sed modo huc, modo illuc incertis opinionum fluctibus agitati vagentur? Si pharmacopola aliquis oppida circumiens ejusmodi venenum venale circumferret, quod potu quidem jucundissimum esset, sed potum adimeret hominibus omne judicium veri & falsi: omnes ut opinor, ei advenienti portas clauderent, omnes eum a finibus suis abigerent; interdicerent etiam, ne quis ab eo ejus veneni miscendi ac temperandi rationem didicisse vellet. At non dissimilem in eloquentia inesse vim ipsi illius professores prædicant. An si quis alie-

alienas fruges excantaverit, aut malis carminibus mentem alicui eripuerit, afficietur supplicio, idque aut docuisse, aut didicisse capitale erit: qui mollitis verbis & ad fallendum compositis multitudinem infatuaverit, eique gravissimis in rebus illuserit, aliosque eandem fallendi ac circumscribendi artem docuerit, is non modo ante oculos omnium impune volitabit, sed ultro ob eam ipsam caussam amplissima sibi decerni præmia postulabit? An qui judicem pecunia corruperit, exulabit: qui eloquentia, laudabitur? At hoc eo etiam terrius ac sceleratius est, quod pecunia corrumpi nisi improbus & impurus judex non potest: eloquentia etiam optimorum virorum judicia interdum depravantur. Itaque ut Pittacus graviorem pœnam constituerat, si quis alienam uxorem blanditiis ad faciendum adulterium pellexisset, quam si ei vim attulisset, quod vi adhibita corpus tantum, blanditiis etiam animus corrumperetur: Ita qui fictis verbis severitatem judicum inflectunt, gravius puniendi essent, quam qui eos largitione corrumpunt. Lacedæmonii quidem, quorum civitas optimis institutis temperata putabatur, nullum apud se huic præstigiatrici locum esse voluerunt, sed simplex quoddam & apertum, & pauciſſimis contentum verbis adamarunt dicendi genus. Athenienses autem, apud quos ista & nata & alta atque educata, & suo quasi mundo muliebri instructa & exornata Pandora est, quid non ab ea malorum ac calamitatum pertulerunt? Grata enim & accepti beneficii memor alumna non aliunde sibi potius quam a lare, aut, ut ipsi loquuntur, a Vesta, incipiendum putavit: & altricibus suis Athenis egregia sane nutricia persolvit. Nam quibuscunque tempestatibus ac procellis Atheniensium vexata Respublica est, earum longe maximam partem oratoribus suis acceptam ferre meritissimo potest. Quorum etiam unus, ut Enceladus, cui

cui mons Ætna impositus est, quoties se commorit totam Siciliam concutere dicitur: ita ipse cum se dicendo incitaverat, universam permiscere ac perturbare Græciam dicebatur. Et ea ipsa tamen in Civitate ab Areopago eloquentia exulabat. Quod enim templum justitiæ dicaverant, in id patere aditum judiciorum corruptrici eloquentiæ noluerunt. Nam quod a multis persæpe dictum est, non eloquentiæ istam culpam esse, sed hominum, ea secus, quam oportet utentium: ipsius quidem hunc esse finem, ut innocentiæ, non flagitio, ut æquitati, non injustitiæ, ut veritati, non ut mendacio patrocinetur: videamus, ne rebus ipsis hæc oratio refellatur. Veritatis per se magna vis est, ita ut suis opibus pollens, suis copiis freta, suis præsidiis firma aut nihil, aut non admodum externa auxilia requirere videatur. Itaque idem ille, quem principio nominavi, Euripides veritatis simplicem esse ait orationem, neque ullis medicamentis ac lenociniis indigere. Neque quisquam unquam se orator magnopere jactaverit, quod veram & justam caussam obtinuerit; ne dignantur quidem ad eas, quæ hujusmodi sunt, accedere. Si quem depositum ac desperatum & manifestis criminibus oppressum, & tacito omnium præjudicio morti destinatum reum recipere potuerint: in eo sibi placent, se circumspiciunt, se jactant, cœlum digito sibi videntur attingere: ut cum Cicero in Cluentiana caussa gloriatus est, se tenebras judicibus offudisse. Quanto verior esset gloriandi caussa, si tenebras ab eorum animis discussisset, si omnem errorem eripuisset, si id, de quo judicaturi erant, in clara, ut ita dicam, luce videndum collocasset! At hoc viri boni erat, non oratoris boni. Immo vero, ait alius, ne orator quidem esse potest, nisi qui vir bonus sit. Scio istud dici & ad auctorem M. Catonem referri: sed me magis Aristoteles

movet, qui me Philosophus cum aliis rebus rapit, tum quod mirifice veritatis amans videtur. Is igitur, bonus vir sit orator, an minus, negat quidquam ad artem pertinere: Illud quidem esse in arte vel præcipuum, ita fingere ac conformare orationem, ut te, quicunque sis, ii, qui audient bonum virum esse & sibi amicum putent. Egregiam vero & expetendam artem, quæ eam injustitiæ partem doceat, qua nulla capitalior est, quo modo consequi possis, ut cum maxime fallas, tum maxime vir bonus esse videaris. Quod si maxime ad verum & ad falsum persuadendum utilis est eloquentia: tamen in tanto periculo, & in tanta multitudine hominum ea improbe utentium, non passim, neque quibuslibet usus illius permittendus esset; sed ut Cretenses armorum tractationem ingenuis permittebant, servis denegabant: ita deligendi essent publice ex omni multitudine certi tantum, qui eloquentiæ præceptis instituerentur. Quid enim est, quo ista præclara facultas, cum semel frontem perfricuit, progredi non audeat? Ornat exquisitissimis laudibus res contemptissimas & abjectissimas, comam, calvitium, culicem, muscam; nonnullas etiam aperte malas & hominum generi noxias, febrem, pestem, bellum, stultitiam: homines teterrimos, Phalarin, Busirin & ejusmodi alios. Quæ & si nonnullis fortasse toleranda videri possint, ut ludicra, neque alio pertinentia, quam ad exercitationem & ad ostentationem ingenii: tamen haud scio an rectius ex civitate tollerentur. Certissima enim pestis animorum est mendacium, cui assuefieri periculosum est, cum, ut verissime cecinit Evenus, consuetudo progressu temporis tandem in naturam convertatur. Semper mihi placuit dictum Solonis, qui cum Thespin primum tragœdiarum scriptorem ipsum fabulas suas, ut tum erat, docentem spectasset, postea quæsiisse ex eo dicitur, ecquid puderet,

deret, in tanta auditorum multitudine tam multa mentiri? cumque ille respondisset, turpe non esse, talia joco & agere & dicere: ibi tum prudentissimus senex baculo, quem ex Athenienſium consuetudine gestabat, terram percutiens; *Næ nos*, inquit, *si istos jocos hic laudare assuescemus, cito eosdem in contractibus & in judiciis reperiemus.* Sed tamen ne summo jure agamus, neve omnia nimis ad vivum resecare videamur, demus hanc veniam Sophistis, ut tanquam neurospastæ, aut ii, qui agilitate quadam & celeritate manuum, levibus ac politis calculis huc illuc movendis spectantium oculos eludunt, quos Græci Psephopæctas vocant, ita ipsi quoque talibus argumentis inter pueros ludant: præsertim cum periculum non sit, ne quis, quod muscam a Magistro laudari audierit, in captandis postea ac colligendis muscis nimis magnum studium ponat; aut quia febris pestisve multis laudibus ornata sit, talia bona non ipsi potius rhetori evenire optet, quam sibi. Quid, cum ea sibi ad dicendum argumenta sumunt, quibus subruuntur fundamenta virtutum, amor honestatis excutitur, animi hominum pestiferis ac nefariis opinionibus imbuuntur, tamen ne eos ferendos esse dicemus? Olim quidem, cum Athenienſibus ob Oropum vastatam Sycionii, qui eis judices a Senatu dati erant, mulctam quingentorum talentorum irrogassent, eaque justo gravior videretur: misere Athenienses legatos in hanc urbem, per quos a Senatu peterent, uti aut ejus pœnæ gratia sibi fieret, aut certe aliquid ex ea diminueretur. Ejus legationis principes fuerunt Carneades Academicus, Critolaus Peripateticus, & Diogenes Stoicus. Quibus, dum otiosi in urbe sententiam Senatus exspectant, lubido incessit, Græco more ἐπιδείξεις facere, & quotidie in cœtu ac conventu hominum de variis quæstionibus disputare. Ibi tum Carneades, qui vi & copia

dicendi antistare collegis putabatur, quodam die de justitiæ laudibus ornate ac luculenter dixisse perhibetur: cum quidem Ser. Galba, & M. Cato ille Censorius ei disputationi interessent. Sed ille idem Carneades quæcunque tum de justitia dixerat, ea postridie contraria disputatione subvertit, multoque plura collegit, quibus planum faceret, justitiam meram esse stultitiam, oppidoque antiquos ac simplices esse illos, qui si modo impune injusti esse possent, a facienda injuria, propter inanem quandam umbram & opinionem justitiæ, temperarent. Sensit Senatus, ad eam disciplinam nimio plus docilem esse multitudinem: neque tanti esse audire doctores Græcos composite ac modulate verba fundentes, ut propterea ferendum esset corrumpi civium ingenia, & ad improbitatem ac nequitiam a fide & a virtute traduci. Conticescere igitur eos jussit & quam primum remisit in Græciam: ne populus ille, cujus potentia & auctoritas apud exteras gentes non armis magis quam opinione justitiæ creverat, bene dicendi studio captus bene vivendi studium abjiceret. At si jure ob eam Carneades vituperatus est, quomodo defendetur Plato? Nam quæ tum pro justitia adversus justitiam Carneades dixit, eorum semina multo ante & in Gorgia, & in primis duobus de republica libris a Platone sparsa erant. Meministis, quam multa hujus generis in superiore libro Thrasymachus dixerit, quibus multo plura, multoque ad persuadendum efficaciora in eo, quem nunc explicare ingredimur, a Glaucone & ab Adimanto adferuntur. Num igitur & Plato vituperandus, qui mandanda illa & consignanda litteris duxerit; & male Cicero, qui tot annis post eadem in suos de Republica libros transtulerit; & nos hodie parum prudentes, qui vestra, adolescentes, ingenia, quorum nobis cultura commissa est, in his potissimum disputati-

disputationibus cognoscendis exerceàmus? Immo vero & nulla in Platonem reprehensio cadit, & culpa vacat Cicero, & a nobis ex omni scriptorum numero nullus eligi poterat, in quo majore fructu, quam in Platone, vestra elaboraret industria. Nam ut cæterorum, quæ supra diximus, dissolutionem in aliud tempus reservemus, & eam tantum partem pertexamus, cujus præcipue caussa hunc sermonem exorsi sumus, dispar quidem fortasse Carneadis caussa atque ratio fuerit: Plato certe nihil se, nihil Philosophia indignum susceptit; nihil quod non omni ex parte ei, quem vere ac merito animorum Æsculapium nominavit antiquitas, conveniret. Non enim has subdolas justitiæ criminandæ rationes ipse commentus est, neque earum quasi sator ac parens fuit: sed eas, cum ab hominibus improbis proditæ vagarentur ac spargerentur licentius, jamque per multorum animos quasi contagione quadam serperent, ne diffluerent ac manarent latius, præcidendas ipse atque amputandas putavit. Non poterat autem justitia perfecte cumulateque defendi, neque profiteri, quanto plus in ea non dignitatis modo, quod & adversarii fatebantur, sed utilitatis quoque, quam in injustitia inesset, nisi omnia, quæ pro injustitia dici consueverunt, accurate & exponerentur, & refellerentur. Hoc igitur ita præstitit Plato, ut nihil in ejus argumenti tractatione vafre, acute, callide, apte ad fallendum dici possit, quod ipse prætermiserit. Ac Thrasymachum quidem, ut sophistam, induxit, serio & ex animi sui sententia pro injustitia perorantem. Cujus inania argumenta & futiles ratiunculas, cum libro primo, nullo prope negotio, ludibundus refutasset Socrates, illam quasi velitationem multo gravior pugna excipit cum Claucone & Adimanto. Quos tamen, quia viri inprimis boni erant, & justitiæ amantes, statim a principio profitentes ac contestantes

ſtantes facit, ea ſe dicturos, non quæ ſentirent ipſi, ſed quæ ab aliis dici ſolerent, quæque reprehendi ac convinci cuperent: Cum igitur accuratiſſime & exquiſitiſſime ab eis eſſet accuſata quidem & abjecta juſtitia, defenſa autem & collaudata injuſtitia, ut vix eorum orationi reſiſti poſſe videretur: Deum immortalem! quo robore, qua firmitate, qua copia argumentorum, quanto orationis impetu fregit ac diſſipavit illas injuſtitiæ copias Socrates? Qui quidem eo rem perduxit, ut aperte demonſtraverit, id quod etiam hodie nonnullis Chriſtiana religione imbutis vix ſatis perſuaderi poteſt, non tantum propter præmia, quæ juſtos & in hac vita comitantur, & poſt mortem manent; neque propter pœnas, quas injuſti nullo modo effugere ac vitare poſſunt: ſed etiam ſi quis juſtis omnem præmiorum ſpem, injuſtis omnem & infamiæ & ſupplicii metum detrahat, infinitis tamen partibus præſtare, in mendicitate, in exilio, in morbis, in tormentis ac cruciatibus, in infamia atque odio, in equuleo atque ignibus juſtum eſſe, quam cum injuſtitia vivere in ſummis opibus & omni earum rerum, propter quas vulgo homines a juſtitia deſciſcunt, copia circumfluentem. O non loquendi tantum, ſed & ſentiendi, ex illis veteribus, quos Deus vera ſui cognitione non afflaverat, unice magiſter Plato, quæ unquam par dignitati, ac meritis erga omnem poſteritatem tuis reperiri poterit oratio? Tu quomodo animi noſtri a vitiorum ſordibus purgari poſſint, oſtendiſti; tu, quemadmodum hominibus adhuc in terra verſantibus cœleſtem quodammodo vitam vivere liceat, aperuiſti; tu divina cum humanis, quantum quidem humano ingenio id perfici potuit, copulaſti; tu ea tradidiſti, quæ nos, nos inquam ipſi, qui a Deo per Filium adoptati, & cœleſti doctrina imbuti ſumus, a te dici potuiſſe miramur. Sed Platonem laudare

dare neceſſe non eſt: danda potius opera eſt, ut, quæ ille divinitus ſcripſit, cognoſcamus ac conſequamur. Quam ad rem ſi cui vobis uſui meam eſſe poſſe operam creditis, dabo operam, quod in me erit, ne unquam veſtra vos de me opinio prorſus fefelliſſe videatur.

Ingreſſurus explanare M. T. Ciceronis libros de Officiis.

ORATIO VI.

Habita Romæ III. Non. Novembr.

Anno cIↃ IↃ Lxxiv.

DEcreveram hoc anno pulcherrimum conſilium, quod anno ſuperiore ceperam, perſequi, & denuo Platonem cum Cicerone conjungere: tum ut adoleſcentes in ſtudio Græcarum litterarum, quas maximo cum animi mei dolore evaneſcere, & ad nihilum recidere, ſecumque omne elegantioris doctrinæ genus trahere video, pro mea virili parte continerem: tum ut nobiliſſimus Philoſophus, cujus ante me in his ſcholis nunquam, ut opinor, audita vox erat, paulatim familiarior factus uberrimis illis ſapientiæ & eloquentiæ ſuæ fontibus ingenia noſtra copioſius & abundantius irrigaret. Aliter viſum eſt iis, quorum nutu atque auctoritate noſtra omnium ſtudia diriguntur, qui ſive mihi ad tractandam, ſive vobis ad percipiendam Platonicarum diſputationum gravitatem non ſatis eſſe virium judicarint, ſive in eo aliud quippiam ſecuti ſint, (non enim fas nobis eſſe arbitror, in eorum judicia curioſius inquirere) omnem a me hujus anni operam in uno Cicerone conſumi maluerunt. Pareamus libenter, ut par eſt, iis, quibus parere omnes debent: quodque ipſis placuit, id ſine ulla

retractatione melius esse credamus. Nos enim, ne gravissimis quidem in rebus tantum apud nos valere ulla probabilium rationum momenta debent, ut non multo plus illorum vel jussis, vel consiliis, vel auctoritate moveamur. Pervolutabimus igitur hoc anno aureos illos M. Tullii libros de officiis. Qui cum tres sint, & totidem in partes annuum hujus nostri muneris curriculum distingui soleat: dabimus operam, ut singulorum librorum explicatio cum illa tripartita temporis nostri distributione ac descriptione concurrat ac congruat. Nam qui dies nobis, statis anni temporibus ad relaxandos animos, & ad vires denuo colligendas concedi solent, iis ipse otium mihi sponte abjudicabo, & rationes vestras commodis meis anteponens, domi quidem, sed ita ut neminem, qui audiendi ac discendi studio teneatur, excludam, quæ hic temporis angustiis exclusus, non potuero, illic commodius explicabo. Scitis idem me superioribus annis factitasse: & cum ad me magnus studiosorum numerus domum quotidie ventitaret ac confluueret, perfeciſſe, (præfiscini, ut loquebantur veteres, dixerim,) ut nulla pars anni utilius ab eis aut fructuosius poneretur, quam ea, quæ libera quotannis ac soluta otio transigi solet. Quod ego non jactandi mei causſa dico (neque enim unquam tantum laboris subire ac suscipere potero, ut aut sanctissimi Pontificis Gregorii XIII. aut amplissimorum Cardinalium, qui jussu ipsius huic gymnasio præsunt, singularem in me benignitatem ac beneficentiam exæquem,) sed ut vos, si qua ratione possum, exacuam & excusitem ad suscipiendam aliquam curam ac cogitationem utilitatis vestræ: ne cum mihi navandæ vobis operæ voluntas nunquam defuerit, vestra vobis tarditas ac negligentia aditum ad veram laudem ac dignitatem intercluſiſſe videatur. Ac quoniam

am scio esse nonnullos, qui mirentur, quod ipse mihi, cum vacationes dantur, voluntarios labores injungere soleo, cur non hoc ipso potius publice nobis constituto ad docendum loco, quam intra domesticos parietes obeam, ejus quoque rei quæ caussa sit, aperiam, ne consiliorum meorum pars ulla vobis ignota sit. Officii enim mei rationem omnibus quam notissimam esse cupio, ne quis cuipiam pateat ad calumniandum locus. Primum igitur, si dicam id facere me, ut aliqua pars laboris minuatur mihi, nemo me, ut opinor, merito reprehendat, quod vobis a me sponte tribuitur, si in eo etiam commodi mei rationem habendam esse aliquam putem: præsertim cum vobis ex eo nihil oriatur incommodi. Sed sunt alia graviora, quæ me magis commoveant. Huc quoties venimus, pendendum nobis est ex aliquot abjectissimorum nebulonum libidine, qui sibi pro oblectamento habent, obstrependo, obturbando, exsibilando, laudabiles aliorum conatus, quoties collibuit, impedire: domi ab illa fece ac colluvie nihil periculi est: ubi si quid tale tentare auderent, extruderentur, & si redire postridie vellent, excluderentur. Hic vix unquam mihi horam integram docere permittitur: domi me sæpe horas duas, summo silentio, summa omnium voluntate auditum esse meministis. Illic si quis quid minus intellexit, licet rogare, licet colloqui, licet placide ac comiter, si quid sit, de quo dubitetur, exquirere. Hæ me caussæ adducunt, ut quoties a publico munere cessatio est, libentius doceam domi. Neque dubito, quin hoc consilium meum omnes æqui & harum rerum intelligentes existimatores probent. De quo cum & aliquid dicendum fuerit, & satis multa jam dixisse videar, transibo ad alia, quæ proprie pertinent ad eos libros, quos vobis hoc anno Deo fretus explanare decrevi. Qui quidem multis

nominibus magno apud nos in pretio esse debent. Primum quod Ciceronis sunt, hoc est, ejus viri, qui perpetuo omnium ætatum consensu inter Romanos scriptores eloquentiæ laude ita numeratur primus, ut ab eo nemo numeretur secundus. Deinde quod scripti a Cicerone jam sene, cum singularis ille vir, natusque in posteritatis exemplum, & multo studio, multisque vigiliis, & longo usu, ac tractatione rerum maximarum, & multis, quibus agitatus erat, casibus, immensam sibi quandam vim sapientiæ ac prudentiæ comparasset: fuit enim hic prope ultimus illius præstantis ingenii fœtus: ut postea magis intelligetur. Adde quod scribit ad filium, & ad filium Athenis agentem in convictu ac contubernio hominum doctissimorum: ut verisimillimum sit, & summam ab eo curam adhibitam in colligendis undique bonis & utilibus præceptis, quæ congereret in eos libros, ex quibus unicum & unice carum filium legem ac normam instituendæ vitæ petere vellet; neque quidquam prætermissum in limandis ac perpoliendis, quæ ita scriberentur, ut in eam urbem, quæ tum eruditionis ac sapientiæ domicilium erat, acutissimorum hominum subitura judicium, mitterentur. Constat etiam ipsum sibi valde placuisse in confectione horum librorum, ut qui sibi unus optime conscius esset operæ in eis scribendis collocatæ. Nam & principio commendat eos, ut ad Latinæ orationis ubertatem ac copiam profuturos; & ad finem, magnum a se munus habere filium dicit; & ad Atticum scribens, homini eruditissimo, & cujus ipse sæpe miniatulas ceras extimescebat, magnam hujus operis expectationem concitare non veretur. *Nos hic*, inquit, *φιλοσοφούμεθα, quid enim aliud? & τὰ περὶ τῦ καθήκοντος magnifice explicamus, προσφωνῦμενque Ciceronem: qua de re enim potius pater filio? deinde alia: quid quæris? extabit operæ pere-*

peregrinationis hujus. Ac ne quis ipsius, quasi Astydamantis cujusdam, de se testimonium elevare conetur, sciat hos libros semper fuisse in prima commendatione apud sapientissimos quosque, ut & tererentur assidue manibus, & a plerisque etiam ad verbum ediscerentur. Inter quos minime contemnendum est judicium Alexandri Severi Imperatoris optimi & eruditissimi, de quo ita scribit Lampridius: *Post actus publicos, seu bellicos, seu civiles, lectioni Græcæ operam majorem dabat, de Republica libros Platonis legens: latina cum legeret, non alia magis legebat, quam de officiis Ciceronis & de Republica.* Ut mihi hoc quoque perbelle cecidisse videatur, quod cum anno superiori libros aliquot Platonis de Republica interpretati simus, eis nunc subjiciamus interpretationem librorum Ciceronis de officiis, quasi præstantissimi & sapientissimi Imperatoris vestigia persequamur. Sed nihil est, quod magis invitare atque allicere nos debeat ad accuratam horum librorum lectionem, quam res ipsæ, de quibus in eis disputatur. Continent enim præcepta virtutis, docent quomodo unusquisque in omni parte vitæ gerere se debeat, quid a quoque postuletur, quid quemque deceat, quid patriæ præstandum sit, quid parentibus, quid propinquis, cæterisque amicis, quid in universo hominum generi, ea denique, quorum studium

Æque pauperibus prodest, locupletibus æque:
Æque neglectum pueris senibusque nocebit.

Socrates quidem, qui in his & talibus quærendis studium omne consumerent, eos sapere unus prædicabat: qui, his neglectis, de natura mundi, de rebus superis, de caussis ventorum, imbrium, fulgurum, philosopharentur, desipere hallucinarique dicebat. Eo autem hi libri a cordatis, ut Ennii verbo utar, & intelligentibus pluris fieri debent, quod cum ducti sint e Stoicorum disciplina, quorum

rum fuit quidem severum inprimis, & ut ita dicam, masculum philosophandi genus, sed pleraque tamen præcepta rigidiora, & a communi hominum captu remotiora: ita se Cicero temperavit, ut ab illis quæ absurda aut erant, aut videri poterant, abstinuerit, omniaque ad civilis vitæ institutionem apta & accommodata protulerit. Sed de caussis, cur hi libri nobis cari, ac commendati esse debeant, abunde dictum puto. Nunc antequam progrediar longius, non erit alienum breviter respondere quibusdam reprehensoribus, qui me non tantum absentem in circulis & conviviis vellicant, sed esse interdum etiam præsenti molesti solent. Ajunt enim perperam facere me, qui cum jussus sim, quantum quidem vires meæ ferunt, eloquentiæ præcepta tradere, ejusmodi tamen fere libros interpreter, qui non tam bene dicendi, quam bene vivendi præcepta continere videantur. Quam reprehensionem, si ambitioni meæ servire vellem, nunquam equidem refellerem. Quid enim esse mihi glorioſius potest, quam si vobis, juvenes, ea præcepta quotidie instillare dicar, quibus non tam oratio comptior, quam vita melior fiat? O benevolos reprehensores, & existimationi meæ amicos! O reprehensionem cuilibet laudi anteponendam! Quis non eos a me ipso appositos atque allegatos putet? Nam orichalcum pro auro, aut vitrum pro gemma si quis vendiderit, merito, ut improbus, accusetur; aurum quidem pro orichalco, aut gemmam pro vitro qui dederit, nemo se, ni fallor, ab eo delusum ac deceptum conqueratur. Sed ne quis sit error, hoc sibi responsum habeant, jam inde ab heroicis temporibus conjunctam fuisse harum rerum professionem: idque vel illo cognosci Homeri loco, ubi Phœnix datum se Achilli a Peleo dicit, ut eum & ornate dicere, & fortiter facere doceret:

Τέυκτα

Τέχνας με προέηκε διδασκέμεναι τάδε πάντα,
Μύθων τε ῥητῆρ' ἔμεναι, πρηκτῆρά τε ἔργων.

Et certe sive vera est M. Catonis illius sapientis definitio, oratorem esse virum bonum dicendi peritum: qui, quomodo vir bonus fias, docet, potiorem ac præstantiorem partem artis oratoriæ docet; sive Aristotelem sequi malumus, ut quamlibet bonum oratorem esse posse dicamus etiam, qui non sit vir bonus: facere tamen nullo modo possumus, quin eam partem philosophiæ, qua formantur mores, oratori futuro necessariam esse fateamur. Quomodo enim apte & copiose aut laudabit aut vituperabit, nisi qui virtutum vitiorumque naturam, ex quibus omnis vera laus & omnis vituperatio nascitur, diligenter cognitam ac pertractatam habuerit? Quomodo potens & efficax in suadendo aut dissuadendo futurus est, qui, quæ secundo horum librorum de utili atque inutili traduntur, nunquam didicerit? Quid aget in judiciis, qui justitiæ injustitiæque cognitionem e philosophorum fontibus haurire neglexerit? An ego, si troporum ac schematum exempla traderem, & quotidie illa ludimagistrorum dictata cantarem, de exordio, de divisione, de narratione, de confirmatione, de epilogo, de generibus causarum, de statibus, ad quæ puto jam multorum e vobis aures occalluisse, plus vobis ad eloquentiam prodessem, quam cum aut libros Platonis de Republica, aut Ciceronis philosophica interpretor? Vera & solida eloquentia non tantum in verbis posita est, sed in rebus. Præclare autem Horatius:

Scribendi recte, sapere est principium & fons.
Rem tibi Socraticæ poterunt ostendere chartæ:
Verbaque prævisam rem non invita sequentur.

Sed ut Ixion in fabulis pro Junone nubem: ita hodie magna pars hominum pro eloquentia amplectitur inanem loquacitatem. Atque hoc deterius

eunt

eunt res, quod qui omissis rebus verba curant, ne verba quidem satis curant, suntque in illo ipso suo puerili ac ludicro studio negligentes. Vos si me auditis, utrumque curate, & date operam, ut olim oratio vestra & copia rerum madeat, & bonis ac lectis verbis constructa sit. Ad utrumque vobis operam meam profiteor, & magis ut vos excitem, quam ut me extollam, jam nunc prædico ac præmoneo, nisi ad aliquam in hoc genere laudem perveniatis, daturum me operam, ut omnes homines intelligant, quidvis potius vobis, quam me vivo hortatorem ac ducem ad eloquentiam defuisse.

Cum librum tertium officiorum Ciceronis explanare inciperet.

ORATIO VII.

(jam demum addita e Comment. Mureti in Aristot. Rhetor. &c. p. 252.)

TAndem aliquando, Auditores, intermissa studiorum nostrorum curricula repetenda sunt animique diuturna jam quiete recreati ac refecti, ad illas nobiles exercitationes, quibus ad sapientiam, & ad dicendi copiam excoluntur, denuo conferendi. Juvat ad solitos labores redire; juvat hanc adolescentium, optimis artibus deditorum, coronam intueri; juvat quotidie aliquid ex me promere, quo vestri isti honestissimi vobisque dignissimi conatus adjuvari posse videantur. Quid enim per Deum immortalem facere aut præstare melius; aut in quo industriam meam exercere fructuosius possum? An agricolæ, cum segetem a se consitam, herbescentem, culmisque se geniculatis paulatim humo tollentem; cum sua manu depactas arbo-

arbores succrescentes, seque primo vere in florem induentes vident, afficiuntur intimis sensibus, & incredibilem quandam animo percipiunt voluptatem: ego, cum ingenia vestra ingenuarum artium præceptis a me consita, majores quotidie ad virtutem & ad veram ac solidam gloriam progressus facere videam, idem mihi faciendum non putem? Sed vobis quoque, Auditores, etiam atque etiam videndum est, ne ullam occasionem discendi amittatis; ne optimam & ad studia aptissimam ætatis partem, in qua nunc estis, inutiliter consumatis; neve existimetis, posse magnam doctrinæ copiam sine magnis laboribus comparari. Ego quidem a me nihil desiderari patiar eorum, quæ mei muneris sunt: neque committam, ut, si qui ex vobis, quod nolim, suorum opinioni atque expectationi minus cumulate responderint, ulla in me ejus rei culpa hærere videatur. Nullo vobis loco, nullo tempore deero, studiaque vestra non otio tantum meo, sed & negotiis & occupationibus anteponam. Vos quoque acuite atque excitate industriam meam diligentia vestra! ostendite, eos labores, qui vestra caussa capiuntur, vobis gratos & acceptos esse! Qui ingenio valent, videant, ne per socordiam illud sibi perire patiantur; qui tardiores sunt, tarditatem assiduitate ac diligentia corrigant; qui se usque huc & modestos & bene moratos, & discendi cupidos perpetuo præstiterunt, dent operam, ut aliquid potius ad eas laudes quotidie adjungant, quam quidquam ex eis deterant. Si qui antehac aut juvenili quadam licentia proterviores, aut minus ad rem suam attenti fuerunt, ii vel hoc ipso anno, quo major quædam gravitas ac severitas morum a nobis omnibus postulari videtur, vel hac anni parte, quæ piorum omnium animis majorem quandam religionem incutere consuevit, vel exemplo meliorum commoti, vel etiam tumultuandi sine caussa & hic per-

perturbandi omnia ſatietate jam ac tædio capti, aut adjungant ſe nobis comites præclariſſimi ac fructuoſiſſimi conſilii atque inſtituti, aut æquos ſe ſaltem ac placidos ſpectatores præbeant, neque ſibi pro ludo atque oblectamento habeant alienæ induſtriæ curſum ſine ullo ſuo emolumento impedire. Nunc ad Ciceronem audiendum veniamus: ne, cum is liber, quem explicare ingredimur, de utilitate diſſerat, ejusque perſequendæ vias commonſtret, nos in ipſo ejus veſtibulo horam nobis ad docendum conſtitutam inutilibus verbis conſumpſiſſe dicamur.

Cum Ariſtotelis libros de arte Rhetorica interpretari inciperet.

ORATIO VIII. (*alias VII.*)

Habita Romæ Poſtrid. Non. Martii.
Anno cIↃ IↃ Lxxvi.

CRedo ego, Auditores, veſtrum plerosque mirari, eosque maxime, qui me diutiſſime audierunt, quod cum hujus anni principio orationes Ciceronis in Verrem explicare ingreſſus eſſem oſtendiſſemque non prius me deſtiturum, quam eas omnes abſolviſſem: nunc mutato præter opinionem veſtram conſilio, Ariſtotelis libros de arte dicendi interpretandos ſuſceperim. Nam duodecim totos annos, quibus in hac urbe publice docui, eam conſuetudinem, quantum in me fuit, conſtantiſſime tenui, ut, cum alii ordinis mei homines fere tertio quoque menſe novum aliquid ſuſciperent: quod illa crebra commutatione facilius & allici & retineri juvenum animos cernerent: ego contra ab eo, quem ſemel in manus ſuſcepiſſem, libro non facile avelli me paterer, neque integrum modo annum, ſed nonnunquam triennium, aut quadriennium uno atque eodem in ſcriptore conſu-

consumerem. Quod institutum meum etsi non deerant, qui reprehenderent: illi tamen, quibus ego me probari cupio, semper probarunt. Nunc igitur quid causæ fuerit, ut ab eo desciverim, aperire constitui: tum ut ne quis id, tanquam temere factum, levitati atque inconstantiæ adscribendum putet; tum ut omnes intelligant, quicquid hujus factum est, vestræ utilitatis causa factum esse, neque alio, quam ad studia vestra, quibuscunque rationibus possum, promovenda, meos omnes conatus, omnes cogitationes, omnia consilia pertinere. Primum igitur viros graves, & in hoc studiorum genere diligenter accurateque versatos, qui & ad me sæpe domum ventitare, &, cum licet, auditorium hoc frequentare consueverunt, quoties recordarentur veterum illarum disputationum, quæ a me de rebus gravissimis quotidie habebantur, & olim cum Aristotelis libros de moribus, & proxime cum Platonis libros de republica interpretarer, indignantes atque ægre ferentes audiebam, eo redactum esse me, ut de quæstiunculis ad grammaticos pertinentibus disserere cogerer, & monere pueros, quid latine, quid minus diceretur; quærere ex qua familia fuisset Verres, aut unde duxisset uxorem, aut ubi & quam diu exulasset; quis ille esset, quem legum laqueis irretitum versicoloribus tabellis Judicum severitati eripuisset Hortensius; quando ludi Romani, quando ludi Victoriæ, quando plebeji committerentur; ejusdemque generis alia, quæ fallere modo atque oblectare puerorum otium, non etiam cordatorum hominum studia tenere possent, quorum in orationibus Ciceronis, aliisque ejus notæ scriptis exerceretur industria: a me graviora quædam & minus vulgaria requiri: Ciceronis scripta magnam partem ejusmodi esse, ut eorum sententiam quilibet, qui modo neque pingui atque obtuso ingenio sit, neque in litteris hospes

& peregrinus, si non facile at certe aliquo modo per se consequi queat; esse alios scriptores, qui sine aliquo itineris duce vix perlustrari a rudioribus possint: ad hos cupere se aditum sibi opera mea patefieri, ad hos facem sibi a me aliquam præferri, quod laboris in eis intelligendis capere necesse haberent, ejus sibi partem per me aliquam detrahi. In eo autem sermone sæpe Aristotelis libros de Rhetorica nominabant, ostendebantque non obscure, nihil sibi accidere posse jucundius, quam si adducere me possent, ut eos publice interpretarer. Ego qui & justæ eorum petitioni obsequi cuperem, &, ut verum fatear, voluntate mea eo inclinarem, quo me ipsi vocabant; nihil tamen prius decernendum statui, quam, ut veteres illi, Apollinem, ita eum consulerem, qui mihi in rebus obscuris & incertis pro Apolline est, præstantissimum virum, & summa eruditione, summa virtute, summa dignitate præditum, Gulielmum Sirletum Cardinalem, commune decus ac præsidium omnium litterarum, omniumque litteratorum. Ad quem cum venissem, sententiamque ac voluntatem ipsius super hac re exquisiissem: homo omnium, quos unquam audivi, disertissimus, & in dicendo copiosissimus, ita vehementer hortari me cœpit, ne ulterius differrem facere quod rogabar, verbis,

quæ timido quoque possent addere mentem,

ait Horatius, ut non modo me, qui eodem, ut dixi, propendebam, sed quemlibet alium, vel eloquentia, vel auctoritate sua, quo vellet, impulsurus fuisse videatur. Illius igitur auspiciis, quod felix faustumque sit, bonæ spei plenus, ad hoc mihi arduum ac laboriosum, vobis, ut spero, utile ac fructuosum munus accingor. Et quoniam consilii mei rationem, tanto præsertim auctore subnixam, satis jam omnibus probatam esse confido, accedo ad ea, quæ celeberrimi Aristotelis interpretes cujusque libri principio accurate

rate tractare ac persequi solent. Sunt autem illa numero septem: Primum enim videndum est, quid in his libris Aristotelis propositum sit, quod illi σκοπὸν vocant. Tum quæ utilitas ex accurata eorum pervolutatione sperari queat. Tertio, quæ sit vis ac ratio inscriptionis. Quarto, sitne verus hic ac germanus Aristotelis fœtus. Quinto, quo ordine inter ipsius opera legi debeat. Sexto, in quot ac quæ præcipua capita dividatur. Postremo, ad quam Philosophiæ partem pertineat. De quibus singulis dum breviter disputo, peto ut me attente audiatis. Propositum est igitur Aristotelis viam ac rationem tradere, qua, ubi perpetua ac continuata oratione utendum est, videamus omnia, quæ accommodata sunt ad id, quod volumus, persuadendum atque obtinendum. Nam ut in topicis, quibus totam dialecticam complexus est, omnes vias tradidit, quibus in colloquiis & congressibus hominum possemus probabiliter aut opinionem nostram tueri, aut alienam impugnare: ita in his libris nihil prætermittit eorum, quæ usui esse possunt, cum quis perpetua oratione aliquid multitudini persuadere meditatur. Egregia res, (Deus immortalis) egregia, & digna, quam vos, quibus integer ævi sanguis, quibus virent genua, omni studio ac contentione sectemini. Quid enim aut gloriosius, aut utilius, aut denique optabilius, quam regnare quodammodo ac dominari in aliorum animis, flectere eos linguæ gubernaculo quo velis, & quid probent, quid rejiciant, quasi pro imperio ac potestate præscribere? Neque vero est, quod vereamini, ne vobis fucus fiat, neu præclara quædam & eximia professi; nihil postea, quod aut expectationi vestræ aut pollicitationibus nostris respondeat, proferamus. Aristoteles est, quem sequimur, non ostentator aliquis, non unus ex istis diobolaribus magistris, qui cum inepta

quædam & puerilia & ad scholasticas modo concertationes utilia tradiderunt, hanc Rhetoricam esse jactant: sed Philosophus gravissimus, veritatis amantissimus, & cum aliis nominibus suspiciendus, tum hoc vel præcipue, quod semper plura præstat, quam pollicetur. Utinam modo vobis serio experiri libeat, an hæc vera sint. Utinam quam facile dictis nostris constabit fides, tam facile ac constanter a vobis industria sedulitasque præstetur. Non metuo, ne quis se delusum conqueratur. Atque equidem prope jam supervacaneum puto, plura verba facere de eo, quod secundo loco proposueram, hoc est, de utilitate, quæ accuratam horum librorum tractationem consecutura videbatur. Nam & res per se clara & perspicua est; & cum alii, tum nos ipsi sæpe multa de utilitate eloquentiæ diximus; & Aristoteles ipse sub principium hujus libri in eam sententiam dicturus est pauca quidem, ut Menelaus Homericus, sed quibus nemo acer & intelligens existimator plura requirere debeat. Transeamus igitur ad inscriptionem, quæ hæc est: *Aristotelis de arte Rhetorica libri tres.* In qua nihil fere aliud notandum videtur, quam non frustra in ea artis nomen expressum esse. Plato enim, ut suo loco videbimus, Rhetoricam artis nomine indignam esse dixerat, eamque usu tantum quodam & exercitatione rationis experti contineri, &, ut ipsius verba ponamus, Τριβὴν μόνον τινὲς καὶ ἐμπειρίαν ἄλογον εἶναι tradiderat. Quam opinionem, ut statim a principio amoliretur Aristoteles, ne qui forte Platonis auctoritate commoti nullam esse artem dicendi putarent: in ipso librorum suorum vestibulo artis nomen adscripsit. Vix puto esse quemquam hodie usque adeo imperitum, ut hos libros esse eos autumet, quos de arte Rhetorica ad Theodecten Aristoteles scripsit: sed tamen quia scio fuisse, qui ita crederent, quasi præteriens

teriens monebo, alios esse: etenim tertio horum librorum, libri ad Theodecten citantur. Nunc dicamus de eo, quod quarto loco posuimus, & videamus ecquid certo constituere possimus, hos libros Aristotelis esse. Πάσχομεν γὰρ τι ὑπὸ τῆς τῶν προσώπων δόξης, ait Simplicius. Ne quis autem hoc frustra quæri existimet, sciat, veterem hunc errorem esse, ut claris scriptoribus multa tribuantur, quæ ab eis scripta non sunt. Sic Homero ipsi scriptorum nostrorum antiquissimo non desunt, qui hymnos, sive, ut Thucydides vocat, proœmia falso tribui adfirment, etsi mihi quidem Thucydides omnem dubitationem tollere videtur, qui ea ut Homerica agnoscit. Sic quædam Moschi & Bionis Theocrito vulgus adscribit. Sic ara ejus putatur esse, cum ex Luciano constet, eam esse Dosithei: & securis, quam Hephæstio Simmiæ Thebano tribuit. Sic Phædonem Platonis sunt, qui Panætii Stoici esse contendant. Sic ejusdem Alcibiades secundus ab aliis ad Xenophontem refertur. Sic denique multa scripta veterum, aliorum sunt, aliorum putantur. Contigit hoc interdum propter similitudinem nominum: ut cum Demetrii Alexandrini libellus elegantissimus de elocutione Demetrio Phalereo tributus est. Sic olim multæ fabulæ tribuebantur Plauto, quæ Plautii cujusdam erant. Sic Anaximenis Lampsaceni liber de Rhetorica ad Alexandrum vulgo inter Aristotelea numeratur. Sic quidam ex veteribus non ab eodem Homero scriptam esse dicebant Odysseam, a quo Ilias scripta esset. Interdum propter similitudinem inscriptionum: ut cum ethica scripsisset Aristoteles, scripsisset & Nicomachus, erant olim, qui Nicomachi ethica ad Aristotelem referrent. Sed præter cæteros Aristotelis scripta senserunt hoc malum: idque propter eam causam, quam mox audietis. Aristoteles moriens Theophrastum ut scholæ,

ita bibliothecæ suæ successorem reliquit: Theophrastus & suam & eam, quæ Aristotelis fuerat, Nelo Scepsio, qui utramque in patriam asportavit. Hujus hæredes, homines imperiti & idiotæ, libros illos negligenter habuerunt, ita ut multis admodum locis humore corrupti & a tineis exesi sint. Accidit ut Reges Asiæ, conficiendarum bibliothecarum studio incensi, libros veteres undique conquirerent, magnaque præmia proponerent, si quis ad se aliquid Platonis, aut Aristotelis, aut similium attulisset. Ibi improbi homines, pecuniæ cupiditate adducti, multa adfinxerunt Aristoteli, de quibus Aristoteles nunquam ne per somnium quidem cogitarat. Hanc historiam narrat Strabo lib. 13. de situ orbis, narrat Athenæus, narrat Plutarchus in Sylla. Ἐγεάφη δὲ πολλὰ βιβλία καὶ ἐκεῖνον μάλισα τὸν χρόνον, ait Simplicius, ὅτε πολλοὶ τῶν βασιλέων περὶ τὰς βιβλιοθήκας σπεδάζοντες πολλῷ χρυσίῳ τὰ ἀπεξενωμένα τῶν βιβλίων ὠνοῦντο. Quatuor igitur argumentis præcipue τὰ γνήσια deprehendi solent, similitudine elocutionis: convenientia sententiarum: si item liber ille, de quo quæritur, citetur in aliis γνησίοις aut in eo citentur alii, quos constet esse γνησίως: & si eum ex antiquis ii, qui de hujusmodi rebus judicare poterant, pro Aristoteleo habuerunt.

**Quae hic desunt, ea vel ex initialium verborum inspectione certum est expleri per sequens Mureti*

PROOEMIUM

in Rhetoricorum Aristotelis librum primum.

QUatuor argumentis præcipue τὰ γνήσια deprehendi solent: similitudine elocutionis; convenientia sententiarum; si item liber ille, de quo quæritur, citetur in aliis γνησίοις, aut in eo citentur alii, quos constet esse γνησίως: & si eum ex antiquis ii, qui de hujusmodi rebus judicare poterant, pro Aristoteleo habuerunt. Quod attinet

net ad similitudinem elocutionis, quicunque in Aristotele versati sunt, facile hoc fatebuntur. Sententiarum convenientia hic spectari non potest, cum alii nulli libri Aristotelis de Rhetorica reperiantur. Sed cum in his citentur Topica Analytica, Politica, quæ Aristotelis esse constat: non est dubium, quin Aristotelis legitimus hic partus sit. Ex veteribus Gregorius Nazianzenus eos, ut Aristoteleos agnovit, qui etiam Scholia quædam in eos scripsisse perhibetur. Cicero, Quintilianus, Alexander, Aphrod. Dionysius Halicarn. citant.

Explicanda supersunt tria: τάξις, διαίρεσις, & ad quam Philosophiæ partem pertineant. Videri posset post Dialecticen & Physicen, cum sit utriusque παραφυὰς. Sed cum & de enthymemate atque exemplo, & tum de virtutibus ac vitiis, tum de motibus animi satis multa tradantur ὡς ἐν τύπῳ: neque orator accuratam harum rerum scientiam profiteatur: verius est, qui excultus sit iis artibus, quibus pueri ad humanitatem informari solent, Poëtas triverit, historiam degustaverit, ei hos libros non incommode posse proponi.

Summa hæc est: Rhetorica est facultas videndi &c. Quæ autem ad faciendam fidem valent, partim sunt ἔντεχνα, partim ἄτεχνα, Ἄτεχνα, ut testes, &c. quæ non inveniuntur arte, sed tamen arte tractantur. Ἔντεχνα sunt trium generum: in moribus dicentis; in affectione animi ejus, qui audit: in ipsa oratione, quæ aut demonstret, aut demonstrare videatur. Hoc postremum præcipuum est, & de eo primo loco agit. Probat orator, quod vult, duobus instrumentis, enthymemate & exemplo; quæ ἀντίστροφα sunt syllogismo & inductioni. Enthymemata ducuntur e locis; loci autem singulorum generum proprii aut communes. Genera ῥητορικῶν λόγων tria. Eorum fines. Loci ad unumquodque genus. Communes

sunt περὶ τὸ δυνατὸν καὶ ἀδυνάτου, περὶ τὸ γεγονέναι ἢ μή, περὶ μεγέθους καὶ σμικρότητος, tum simpliciter, tum comparate. Loci proprii exponuntur libro primo, eademque opera docetur, quomodo ita comparari possit Oratio, ut in ea significatio probitatis eluceat. Ad finem autem illius tractantur probationes artis expertes. In secundo omnes animorum permotiones sigillatim tractantur, & earum tum origo, tum vis ac natura copiosissime ostenditur. Sequitur tractatus eorum locorum, qui communes sunt omnium generum; tum de exemplis, de sententiis, de ratione communi enthymematum inveniendorum; unde etiam ducantur, quo falsam enthymematum speciem habent, & quot quibusque modis enthymemata dissolvantur. Liber tertius continet præcepta elocutionis, & quædam de iis partibus, quibus fere constant orationes. Hæc horum librorum summa est.

Sed ad quam Philosophiæ partem pertinent? Partim sunt ὀργανικοὶ, partim πολιτικοί.

De Interpretibus dici his possit, Græco ἀνωνύμῳ, Petro Victorio, Daniele Barbaro, Antonio Mirandulano, Antonio Majoragio.

Cum pergeret in eorundem Aristotelis libr. de arte Rhetorica interpretatione.

ORATIO IX. (*alias VIII.*)

Habita Romæ Postridie Non. Nov. Anno cIↃ IↃ Lxxvi.

NOn detinebo vos inanibus verbis. Neque enim id aut mea multorum jam annorum consuetudo fert, aut utilitatis vestræ ratio postulat. Licuerit olim adolescentiori captare ac persequi communes locos, & eorum unum

unum aliquem quotannis deligere, in quo comendo ac poliendo primus hic consumeretur dies. Tunc fortassis ætatem floridam floridum orationis genus non dedecebat: studioseque omnia conquirentem, quibus aures irritentur, nemo culpabat. Mea nunc oportet mecum una canescat oratio: & ut corporis tardior motus effectus est, sic & ipsa gravior facta amplius sibi juveniliter exultandum non putet. Non omnibus ætatibus eadem conveniunt: neque, quicquid virginem decuerat, matronam decet. Etiam anni tempestatibus sua cuique cæterarum dissimilis pulchritudo est. Verno tempore gemmea pratorum nemorumque viriditas & rivorum decurrentium allisa & impacta molliter ad pellucentes lapillos argenti similis aquula pascit oculos; mulcet undique aures avium cantus; ab arboribus in novum se florem induentibus odores suavissimi afflantur; ad voluptatem atque oblectationem omnia dirigi, eamque spectare unam videntur. Talis adolescentiæ facies est. At posteaquam & fruges & arborum fœtus æstivo calore percoctos ac torrefactos tepore suo mitigavit, & ad maturitatem perduxit autumnus, longe alius arvorum, alius arborum, aspectus est. Flavæ segetes, lividæ vites, onustæ opibus suis arbores; non corollæ jam aut serta texuntur, sed teritur area, fluunt præla; horrea cellæque complentur: ad utilitatem, non amplius ad voluptatem, omnia referuntur. Hic, in quo ego nunc sum, quasi autumnus quidam ætatis est, quod senectutis limen ac vestibulum Græci poëtæ vocant. Quo tempore, ut in rei familiaris administratione attentiores esse ad lucrum homines omissis inanibus, solent: ita me in hac litterarum tractatione, quod mihi unicum patrimonium est, iis omnibus, quæ ad pompam tantum atque ostentationem faciunt, amputatis ac circumcisis, fructuosa modo consectari decet. Itaque hodie non faciam id, quod multi me fortasse facturum putabant, ut aliquod mihi argumentum sumam, in quo disertus ac copiosus videri studeam: sed ea oratione mea complectar, quæ, si dabitis operam, ut bene penitus animo combibatis ac comprehendatis, non minimam vobis utilitatem allatura esse confido. Quando enim Aristotelis de arte Rhetorica libros una evolvere exorsi, propter eam, quæ quotannis æstate fieri solet, exercitationum nostrarum intermissionem, diu jam ab eo evagati, quasique peregrinati sumus, ne quid ea res vobis incommodi afferat, neve obstet, quo minus, quæ reliqua sunt, facile a vobis percipi possint: revocabo ac repetam usque a capite omnia, quæ usque huc, duce ac magistro Aristotele

didicimus, eorumque summam quandam conficiam, ut, cum vobis in memoriam redegero si quid effluxit, omniaque sub uno aspectu posuero, commodius cætera pertexantur. Principio igitur meministis dicere me, quatuor fuisse, quæ Aristoteli de Rhetorica scripturo objici viderentur: Primum, non satis dignam esse, quam talis tantusque Philosophus sibi docendam atque illustrandam sumeret: quippe quam usque eo contemsisset, atque abjecisset Plato, ut in Gorgia eam cum arte coquorum comparasset, easque inter se proportione respondere dixisset. Merito autem magna jam tum erat Platonis auctoritas. Sed cum idem ille Rhetorices exagitator Plato dialecticam summis laudibus affecisset, summo artificio fecit Aristoteles, ut in ipso operis sui vestibulo Rhetoricam non cum arte coquorum, ut ille dixerat, sed cum ea, quam ipse laudibus in cœlum tulerat, quam fastigium omnium disciplinarum vocaverat, dialectica ex æqua conferendam ac comparandam esse contenderet, idque veris ac solidis argumentis doceret. Deinde quia idem Plato Rhetoricam ab artium numero excluserat, eamque usum modo quendam & exercitationem esse, artis ac rationis expertem, dixerat: objicere aliquis Aristoteli poterat, frustra eum in ea re certis præceptionibus alliganda ac devincienda laborare, quæ usu tantum quodam sine ulla certa ratione contineretur. Quam reprehensionem ita summus Philosophus a se amoliebatur, ut doceret, quæcunque ab hominibus ita fierent, ut alii temere ac fortuito, alii exercitatione & diligentia adhibita idem efficerent: iis in omnibus caussam notari observarique posse, cur ita eveniret; caussæ autem, cur quidque fiat, cognitionem ac comprehensionem, & omnium, & Platonis ipsius confessione, proprium quiddam artis esse; ex quibus effici, aut artem jam esse Rhetoricam, aut certe, si quis in eam curam incumberet, facile ad artis formam posse revocari. Nam quod tertium adferri poterat, sive illa ars esset, sive minus, satis multos illius doctores ac magistros extitisse, ut caussa non esset, cur hic noster actum agere, & quæ ab aliis toties decantata ac repetita erant, denuo reponere atque iterare vellet: id ipse ita refutabat, ut diceret, alios ante se omnes aut particulam modo quandam artis attigisse, aut etiam iis se in rebus exercuisse, quæ nihil ad artem pertinerent; nervos ac robur ipsius artis aut modice delibasse, aut penitus omisisse: alios igitur eam doctores requirere, aliis magistris indigere; operam in ea pertractanda ac perpolienda suam minime otiosam ac supervacaneam fore. Quarta accusatio longe omnium gra-

graviſſima erat, niſi refutata eſſet. Erant enim qui dicerent, Rhetoricen non modo utilem non eſſe, ſed etiam perniciosam ac peſtiferam: ut eam qui docerent, ne dum præmio afficiendi, ſed e civitatibus ejiciendi atque exterminandi viderentur. Hanc infamiam arti ſuæ conflaverant Sophiſtæ, cum profiterentur arrogantibus ſane verbis, & invidiæ plenis, docere ſe, quomodo cauſſa inferior dicendo ſuperior fieri poſſet. Sed Ariſtoteles & multis argumentis eam utiliſſimam eſſe hominum generi docuit, & quæ mala vulgo ex ea manare putarentur, ea non arti ipſi adſcribenda eſſe, ſed eorum improbitati, qui re per ſe bona & ſalutari ad homines in fraudem inducendos abuterentur. His perpurgatis acceſſit ad ipſius artis tractationem: ac primo loco docuit falſum eſſe, quod Plato a Gorgia dici fecerat, quodque multi poſtea, quanquam merito ab Ariſtotele rejectum ac repudiatum, ſecuti ſunt, Rhetoricam eſſe aut artem aut facultatem perſuadendi. Ut enim medicina non eſt ars ſanandi, ſed ars videndi omnia, quæ apta & accommodata ſunt ad ſanitatem aut conſervandam aut recuperandam: ita Rhetorica non eſt ars perſuadendi, ſed ars videndi atque excogitandi omnia, quæ in quaque re valent ad faciendam fidem. Certe enim cujusque artis finis eſt, id quod ita unaquæque ars ſpectat, ut non progrediatur ulterius: ſed ubi id præſtitit, ſuo ſe munere perfunctum putet. Ut ergo medicus non ita ſe demum muneri ſuo ſatisfeciſſe arbitratur, ſi ægrotum ſanaverit: ſed cumulate quidquid a ſe requiri poteſt præſtitiſſe, ſi ex artis ſuæ præceptis ea omnia adhibuerit, quæ ad ſanandum pertinebant: ita orator, etiamſi non ſemper perſuadeat, dum tamen nihil omittat eorum, quæ artificioſe cogitari poſſunt ad perſuadendum, finem arti ſuæ propoſitum conſecutus eſt. Nam quod poſtea quidam clari inprimis, ac nobiles dicendi magiſtri, finem oratoris eſſe dixerunt, perſuadere: munus autem, dicere appoſite ad perſuadendum: in quæſtione ſatis per ſe ad explicandum facili diſtinctionem minime neceſſariam quæſierunt. In omnibus enim artibus idem prorſus eſt officium artificis, & finis artis. Sed nihil prohibet eum ipſum artis finem ad alium finem ulteriorem referri, ut conſtare poteſt ex iis, quæ diſputari ſolent principio libri primi Ethicorum. Neque unquam finis ita ſtatuendus eſt, ut illius conſecutio atque adeptio non ſit in poteſtate noſtra. Et hoc ſequebantur Stoici in multo graviori diſputatione, cum dicerent finem hominis eſſe non quidem conſequi ea, quæ ſecundum naturam eſſent, id enim non ſemper ab homine poſſe præſtari: ſed omnia facere, quæ ad illorum

illorum consecutionem pertinerent. Quod quidem ita mordicus defendebant, ut dicerent, finem periti jaculatoris esse, non tam collineare, id est, eum locum, quem peteret, hasta aut jaculo attingere, quam omnia facere ad collineandum. Qua in re & si deridentur a Cicerone ac Plutarcho, non tamen fortassis tam ridicula est eorum opinio, quam primo aspectu videri potest. Sed Aristoteles, ut ad institutum nos referamus, Rhetoricam definiebat, facultatem videndi, quid in quaque re aptum esset ad persuadendum. Quam definitionem a M. Fabio parum considerate reprehensam, a nobis accurate ac diligenter defensam esse meministis. Vis autem persuadendi tribus omnino in rebus sita est: ut bene de nobis opinetur auditor; ut ita commoveatur ipsius animus, quomodo expedit ad id, quod volumus obtinendum; & ut nos id, quod persuadere volumus, aut demonstremus, aut demonstrare videamur. Hoc postremum, quod alii omnes prope intactum reliquerant, Aristoteli primum ac præcipuum, & solum ex tribus artis proprium videtur: Itaque de eo primum dicere ingressus est. Eorum igitur, quibus demonstramus id, quod volumus, duo genera sunt: unum eorum, quæ arte pariuntur; alterum eorum, quæ extrinsecus adferuntur. Leges enim & testimonia & quæstiones, jusjurandum, & pacta, non orator ipse fabricatur, neque ex caussæ visceribus eruit: sed extrinsecus allata, artificiose tamen tractat, eisque, prout commodum est, robur aut addit, aut detrahit. Rursus eorum, quæ ipse artificio suo gignit, quasique producit, bipartita distinctio est. Ut enim dialecticus duobus instrumentis utitur ad probandum, syllogismo & inductione: ita orator duobus, quæ illis ex altera parte respondent, enthymemate & exemplo. Enthymema, oratorius syllogismus est: exemplum, oratoria inductio. Cum autem orator in necessariis rebus perraro versetur, sed in iis plerumque, de quibus deliberamus, quæque etiam aliter se habere possunt: fit, ut exemplum quidem sit inductio, enthymema autem syllogismus ejusmodi de rebus, quæ nulla necessitate devinctæ, sola probabilitate nituntur. Cumque necessaria ex necessariis, verisimilia ex verisimilibus concludantur, ac colligantur, omninoque similia sint ea, quæ concluduntur, eorum ex quibus concluſa sunt, efficitur, ut enthymemata pauciſſima ex necessariis, pleraque omnia ex verisimilibus ducantur atque eruantur. Ducantur autem enthymemata ex iis, quæ εἰκότα Græci vocant, nos fortasse consentanea vocare possumus, & ex signis. Εἰκότα sunt generales quædam sententiæ de iis, quæ ad vitam hominum pertinent, veræ quidem

dem illæ plerumque, neque tamen semper ac necessario veræ. Cujus generis sunt, senes parcos esse ac severos; adolescentes propensos ad libidinem; ingeniosos esse Athenienses; hebetes atque obtusos Scythas. Signorum autem alia nihil necessario concludunt, sed tamen habent aliquam speciem probabilitatis, ut illud Æneæ apud Virgilium:

Accipe nunc Danaum insidias, & crimine ab uno
Disce omnes:

non enim si fallax Sino fuit, & idem Græcus, satis argumenti est, cur putemus Græcos omnes esse fallaces: aut si quis eum, qui crebro anhelet, ex eo colligat febrim habere, non enim soli id faciunt, quos febris tenet: alia rem necessario demonstrant, ut si quis neget virginem esse eam, cui lac ex uberibus fluat. Priora illa communi nomine signa dicuntur: hæc Aristoteles τεκμήρια, Cicero proprias notas vocat. Exemplum autem est, cum ex uno pluribus similibus aliud item simile colligitur: ut, si intemperantia ac libido Tarquiniis, si Dionysio juniori regnum ademit, credibile est, hujus quoque, qui illos imitatur, eundem exitum fore. Secuta inde est enthymematum divisio, quod alia oratoria essent, alia certæ alicujus artis aut facultatis propria. Oratoria sunt, quæ ducuntur aut ex locis communibus, aut ex iis formis, quæ a rhetoribus traduntur. Singularum artium propria, quæ ducuntur ex propriis principiis hujus aut illius artis. Loci communes sunt, ex quibus nihilo magis in hac quam in qualibet alia arte argumenta depromi possunt: qualis est locus a majori & a minori. Formæ sunt generales quædam enunciationes ad certum tantum aliquod genus accommodatæ: ut in physicis: principia rerum esse contraria; omnem motionem in tempore fieri; levia sursum tendere, gravia deorsum. Hæc oratoris non sunt, ut neque dialectici; sed ut dialecticus locos quosdam communes habet, ex quibus ad omnem quæstionem argumenta depromit, alios proprios singulorum problematum, in quibus versatur, ut ad genus, ad accidens, (utamur enim sane hac voce, quando aliam æque commodam reperire non possumus,) ad proprium, ad finitionem aut confirmandam aut infirmandam: sic & orator quosdam locos habet communes omnium generum rhetoricos, alios uniuscujusque generis proprios. Illos, Aristoteles, generis nomine, locos, hos formas vocat: ac sæpius tamen etiam de formis ipsis loquens, locorum nomine utitur. Eas igitur formas, id est, locos uniuscujusque generis proprios, priore loco explicaturus, necesse habuit prius, quæ quotque rhetorices genera

genera essent exponere. Sunt autem tria, ostentativum, (ita enim melius, quam ut alii, demonstrativum,) deliberativum, & judiciale. Deliberativum suasione & dissuasione; judiciale accusatione & defensione; ostentativum laude ac vituperatione continetur. Deliberatio de futuris; judicium de præteritis instituitur; laus & vituperatio propria præsentium est. Fines proprii deliberationis, utile aut noxium; judicii æquum aut iniquum; laudis & vituperationis, honestas & turpitudo. Tenenda igitur est Oratori copia quædam communium sententiarum semper prompta ac parata, ex quibus argumenta ducat ad ostendendum aliquid esse utile aut inutile, æquum aut iniquum, honestum aut turpe. Hæ sunt quas formas vocamus. Communes autem trium generum sunt loci, quibus confirmamus fieri aliquid aut potuisse aut posse, aut contra; factum esse, aut factum non esse; fore, aut non fore; magnum, aut parvum esse; idque cum simpliciter tum comparate. Atque hæc tum communiter tenenda sunt, tum proprie ad unumquodque rhetorices genus accommodanda. His expositis genus deliberativum tractare ingressus est, ut omnium præstantissimum, & in quo cæteri ante ipsum minus elaborassent: Primum igitur ostendit, quo in genere rerum versetur omnis deliberatio: deinde autem omnes deliberationes publicas, eas enim præcipue spectabat, ad quinque præcipua capita revocavit. Aut enim deliberari de ratione conficiendæ pecuniæ, quod præcipuum est instrumentum rerum gerendarum, quæque nisi publice suppetat, manca & mutila est omnis deliberatio; aut de bello & pace; aut de custodia regionis; aut de iis, quæ importanda quæque exportanda sunt; aut de legibus ferendis. His quinque capitibus omnis fere publica deliberatio continetur. Docuit igitur, quæ ad unumquodque eorum oratori videnda essent. Quoniam autem omnis deliberatio refertur ad felicitatem, aut ad partem aliquam felicitatis; idcirco de ea, deque ejus partibus varie ac copiose disseruit. Deinde, quia deliberatio non de fine ipso est, sed de iis, per quæ ad finem pervenitur, id est, de bonis & utilibus: longe plurimos locos tradidit, ex quibus sumeremus argumenta, quibus aliquid aut bonum atque utile, aut etiam alio melius atque utilius esse ostenderemus. Idem postea, ne longior sim, in ostentativo & in judiciali genere præstitit: omniaque subtilissime persecutus est, ex quibus aliquid aut honestum, aut turpe, aut honestius, aut turpius; aut æquum aut iniquum, aut æquius aut iniquius esse colligi posset. At quoniam in judiciis non argumentis tantum utimur, sed etiam legibus, testimoniis, conventionibus,

bus, quæſtionibus, jurejurando nitimur: eaque omnia interdum a nobis faciunt, interdum etiam cauſſæ noſtræ inimica ſunt: idcirco in extrema parte hujus libri, quæ nunc explicanda nobis eſt, docet, quomodo iis, quæ tormentis expreſſa ſunt, quomodo jurejurando vim ac robur aut addere aut adimere debeamus. Utilia præcepta & cognitu digna & oratorum jurisconſultorumque communia. Quæ cum abſoluta erunt, ſumam mihi oratiunculam aliquam Ciceronis, in qua uſum aliquem horum præceptorum videre poſſimus. Interea, (paucorum enim dierum futurum negotium eſt,) abſolvam inceptam a me, veſtra cauſſa, Auditores, latinam interpretationem ſecundi horum librorum eamque divulgabo: ne quis veſtrum Græci ſermonis ignoratione a cognoſcendis Ariſtotelis præceptis abſterreatur. Ac vobis quidem, Adoleſcentes, utrumque ſatis feciſſe me, neque meam hanc diſputationem vobis aut injucundam aut inutilem fuiſſe confido. His autem magnis ac præſtantibus Viris, qui præſentia ſua locum hunc cohoneſtare dignati, nihil ex me, quod gravitate atque amplitudine ſua dignum eſſet, audire potuerunt, quam tandem referendæ gratiæ rationem inibimus? Pareamus potius Ariſtotelis præcepto, qui hoc ipſo in libro de iis, quæ ſupra vires ſunt, ne cogitationem quidem ſuſcipiendam monet: & multo plus eis nos debere confeſſi, quam exſolvere ulla ratione poſſimus, hoc ſaltem eis referamus, ne eos a gravioribus negotiis, quæ honoris noſtri gratia omiſerunt, avocatos, diutius retineamus.

Cum expoſiturus eſſet orationem Ciceronis pro Rege Dejotaro ad C. Cæſarem.

ORATIO X.

(legitur in fine Comment. Mureti in libros Rhetor. Ariſtot. & quæ illis acceſſerunt, p. 579.)

SOcrates apud Platonem in Timæo ſic natura comparatum eſſe ait, ut, qui pulchras animalium formas alicubi periti artificis manu aut ſculptas aut pictas viderunt, aut etiam animalia ipſa, viva quidem, ſed quieſcentia, mirabili quodam ſtudio

ſtudio teneantur ſpectandi eadem moventia ſe, & aliquid eorum, quæ ipſorum naturæ conſentanea ſunt, obeuntia: ideoque ſe poſt illam copioſiſſimam & eruditiſſimam de perfecta Rep. diſputationem, quam decem libris Plato complexus eſt, ſibi plene ſatisfactum non putare, niſi vivam quodammodo eandem Remp. videat, & præcepta, quibus eam ipſemet informaverat, exequentem. Idem Vobis quoque uſu venire facile adducor, ut credam: ut cum ſuperioribus menſibus multa eloquentiæ præcepta cognoveritis, eloquentiamque ipſam aut quaſi depictam, aut quaſi quieſcentem intuiti ſitis, eandem nunc vivam ac ſpirantem, & præclara illa, quæ ex Ariſtotele audiſtis exercentem, ſpectare cupiatis. Faciam igitur, quantum quidem vires meæ ferent, id quod & velle vos, & merito velle arbitror, & antequam aggrediar ad explicandum ſecundum ejusdem Philoſophi librum de arte dicendi, eorum, quæ pervolutando libro primo didicimus, ſpecimen vobis aliquod in hac brevi Ciceronis Oratione exhibebo, ut tanto poſtea avidiores & alacriores ad ea, quæ reliqua ſunt, cognoſcenda veniatis. Sed quia, ut eas regiones, in quibus verſamur, & eos homines, quibus cum vivimus, ita ea loca eosque homines, de quibus quotidie audimus, noſſe jucundum eſt: principio quædam de Gallogræcia, in qua regnavit Dejotarus; tum de ipſo Dejotaro nonnulla dicam, quæ neque ipſa per ſe cognitu indigna ſint, & quaſi facem præferant nobis ad hanc Orationem facilius intelligendam.

Galatia igitur, quæ alio nomine Gallogræcia vocatur, Aſiæ regio eſt, Phrygiæ, Bithyniæ, & Armeniæ minori contermina, dicta ex eo, quod illam antiquiſſimis temporibus Tectoſages, & alii quidam Galliæ populi, pulſis indigenis occuparunt. Ita enim apud Suidam legimus:

cum

cum tanta hominum multitudo excreviſſet in Gallia, ut regio ipſa, quamvis ferax, vix eis alendis ſuffectura videretur trecenta Gallorum millia in Aſiam veniſſe, & ſedes poſuiſſe, ea in parte, quæ ex ipſis Galatia aut Gallogræcia vocata eſt. Qua de re verba hæc ſunt Lactantii libro tertio ad Probum: Galli antiquitus a candore corporis Galatæ nuncupabantur, & Sibylla ſiccos appellat. Quod ſignificare voluit Poëta, cum ait:

Galli per dumos aderant, arcemque tenebant
Defenſi tenebris & dono noctis opacæ.
Aurea cæſaries ollis: atque aurea veſtis:
Virgatis lucent ſagulis: tum lactea: *colla*
Auro innectuntur:

cum poſſet dicere *candida*. Hinc utique Gallia provincia, in quam Galli aliquando venientes cum Græcis ſe miſcuerunt. S. Hieronymus in lib. de locis Hebraicis: Galatia provincia Aſiæ, a Gallis vocabulum trahens, qui in auxilium a rege Bithyniæ evocati, regnum cum eo, parta victoria, diviſerunt, ſicque deinde Græcis admixti, primo Gallogræci, poſtea Galatæ ſunt appellati. Eorum metropolis eſt Ancyra. Temporibus S. Hieronymi non græce, ſed Trevirorum lingua adhuc loquebantur, poſt tantum temporis intervallum adhuc ipſo vocis ſono teſtantes originem ſuam. Eum, quo duce profecti ſunt, alii Brennum, alii Leonem, Strabo Leonorium vocat. Qui & ipſe lib. 12. iisdem narratis ait, eam olim diviſam fuiſſe in quatuor tetrarchias; inde in tres, in duas; totam tandem ceſſiſſe Deiotaro, ac poſtremo in Provinciæ formam redactam eſſe. Sed Hirtius, eam occupatam fuiſſe a Deiotaro, aliis tetrarchis id injuria fieri querentibus. De quo ipſo Deiotaro tempus eſt pauca dicendi.

Adjuverat Imperatores Romanos toto vitæ ſuæ tempore in iis bellis, quæ Romani in Aſia geſſerant; & ipſe viciſſim a Romanis Rex ex tetrarcha factus, &

magna parte regni auctus fuerat. Donaverat etiam ei sive Pompejus, sive Senatus Armeniam minorem: & multa decreta honorificentissima in eum facta erant. Auctor tum idem Strabo lib. 12. tum Cicero, cujus hæc sunt ad finem hujus Orationis: *Quæ enim fortuna, aut quis casus, aut quæ tanta possit injuria omnium Imperatorum de Deiotaro decreta delere? ab omnibus enim est ornatus, qui postquam in castris esse potuit per ætatem, in Asia, Cappadocia, Ponto, Cilicia, Syria bella gesserunt &c.* Eundem in Oratione de haruſp. reſponſis ſæpe a Senatu regali nomine dignum exiſtimatum, clariſſimorum Imperatorum teſtimoniis ornatum eſſe dicit. In hac ipſa: *Habebatur autem non solum tetrarches nobilis, sed etiam optimus paterfamilias, & diligentissimus agricola & pecuarius.* a) De eo, de haruſp. reſp. *quem unum habemus in orbe terrarum fidelissimum huic imperio atque amantissimum nostri nominis regem.* Et Philipp. II. *Deiotari regis & patris & filii & magnus & nostro more instructus exercitus; summa in filio spes, summa ingenii indoles, summa virtus. Quid de patre dicam, cujus benevolentia in populum Romanum est ipsius æqualis ætati? Qui non solum socius Imperatorum nostrorum fuit in bellis, verum etiam dux copiarum suarum. Quæ de illo viro Sylla, quæ Murena, quæ Servilius, quæ Lucullus, quam ornate, quam honorifice, quam graviter sæpe in Senatu prædicaverunt? Quid de Cn. Pompejo loquar? qui unum Deiotarum in toto orbe terrarum ex animo amicum, vereque benevolum, unum fidelem populo Romano judicavit.* Inter cætera autem Pompejum in Mithridatico bello egregie adjuverat, & ob id Armeniæ minoris regno donatus erat. *b*) Fuit peritiſſimus auſpiciorum. Nihil niſi auſpicato gerebat. Itaque revocatus aquilæ volatu, cubiculum noctu corruit. *c*) Adjuvit Pompejum in bello civili, & ipſe in pugna Pharſalica præſens fuit. *d*) Cæſarem eodem tempore & hoſtem & hoſpitem vidit; *e*)

dit: *e*) cumque ob id a Cæsare & pecunia & parte regni multatus esset, negabat tamen, se auspiciorum, quæ sibi ad Pompejum proficiscenti facta essent pœnitere. *f*) Ignovit tamen ei Cæsar, cum Pharnaci ignoscere noluerit, *g*) & ei partem dedit eorum, quæ Pharnaci abstulerat. Deiotarus mortuo Cæsare sua recuperavit. *h*) Adjuvit Brutum, cum Cassium noluisset, extreme senex. *i*) Dictum ipsius in Crassum adversus Parthos proficiscentem. *k*) Crudelitas in filios; *l*) item in Castorem Saocandarium generum & in filiam suam. *m*) Accusatus est a nepote, quod Cæsarem domi suæ interficere voluisset. Defenderunt Cicero & Brutus.

* *Satis apparet Orationem hanc affectam potius a Mureto, quam perfectam, extrema præcipue sui parte delineatam, quam elaboratam nos habere. Itaque faciendum putavimus, ut Autorum citationes, atque id genus alia, quæ adscripsisse Autor videtur magis ut memoriæ consuleret suæ, quam ut ad Auditores efferentur, e textu, in quem recepta legebantur, rejiceremus in has lineas extremas. Locum cuique suum facile assignabunt litteræ adjectæ.*

a) Nota hoc ad locum Sallustii, & bonum agricolam, bonumque colonum & laudes Agricolæ apud Plinium, & de Agesilao, quæ apud Xenophontem. *b*) Eutrop. lib. 6. *c*) 1. de Divinat. *d*) in hac orat. & Hirtius, & alii. *e*) 1. de Divinat. *f*) ibidem. g) Hirtius. *h*) secunda Phil. *i*) Dio lib. XLVII. *k*) Plutarchus in Crasso. *l*) Plutarch. σφιξ ἐναντιομ. Ego cap. pen. lib. VIII. Var. Lect. *m*) Strabo lib. XII.

Auspicaturus librum secundum Rhetoricorum Aristotelis.

ORATIO XI.

(*quae jam accessit e Commentar. in Rhet. Arist. p.* 110.)

ETsi, ex quo huic muneri præpositus sum, sedulo semper operam dedi, ut eos vobis scri-

ptores proponerem, ex quorum tractatione maximam ad vos utilitatem perventuram putarem: nunquam tamen mihi quidquam suscepisse videor, quod vobis fructuosius fore confiderem, quam hanc, in quam hodie ingredior, explicationem secundi libri Aristotelis de arte dicendi. Ita enim judico, non tantum ad bene dicendum, quod ipsa libri pollicetur inscriptio, sed ad vitam bene ac prudenter dirigendam, si quis ex omnibus veterum scriptis optima quæque seligens, singula cum singulis conferat, nihil hoc libro utilius posse reperiri. Ac ne quis a me fortassis hæc dici putet magis ad excitanda vestra studia, & ad faciendam mihi audientiam, quam quod ita se res habeat: quæso obtestorque vos, ut attente me audiatis, dum &, quæ superiore libro tractata sunt, brevissime repeto & hujus summa capita propono: quod facilius ac certius ipsimet judicetis, fucum vobis non fieri, neque me quidquam, quod præstiturus non sim, polliceri.

Cum igitur Rhetoricam definiisset Aristoteles vim videndi, quicquid in quaque re accommodatum esset ad fidem oratione faciendam: eorum quibus id orator consequi posset, duo genera esse dixit: unum eorum, quæ tota in dicentis artificio posita essent; alterum eorum, quæ tractarentur quidem ab oratore, sed tamen ipsius ingenio non excogitarentur. Arte sua perficere debet Orator, ut ab Auditoribus vir bonus habeatur, eisque amicus; (non enim fere quisquam ei facile credit, quem aut malitiosum & fallacem, aut sibi parum amicum putat:) & ut in eorum animis aut spem, aut metum, aut iram, aut misericordiam concitet, aut ita, ut uno verbo dicam, eos afficiat, quemadmodum expedire intelligit ad id, quod vult, facilius obtinendum; & ut id ipsum, quod probare vult, rationibus & argumentis aut demonstret, aut demonstrare videatur. Ad rem demonstrandam duobus

tanquam

tanquam instrumentis utitur, enthymemate & exemplo. Enthymemata ducuntur ex verisimilibus, & ex signis. Verisimilia vocat communes quasdam sententias de rebus, quæ geruntur in vita, aut omnium, aut plurimorum judicio comprobatas. Signa sunt, quæ aut necessario, aut probabiliter arguunt ita esse ut dicimus. Exemplum est unius aut plurium rerum similium collatio, pertinens ad id, quod volumus, comprobandum. Horum omnium vi atque natura diligenter explicata, tradidit, eorum verisimilium, quæ in promptu quasique in numerato habere debeat Orator, ut ex eis argumenta depromat, duplex esse discrimen. Nam cum dicendi genera plura sint, quædam ex illis communibus sententiis, quæ verisimilia vocamus, ejusmodi sunt, ut ex eis in quocunque dicendi genere versetur Orator, aliquid sumere liceat; quædam proprie ad hoc aut illud genus accommodatæ. Utrasque earum communi quidem nomine vocabat locos: sed tamen illas communiores ac latius patentes, locos potius dici voluit; has restrictiores & singulorum generum proprias, potius formas, aut certe cum hac additione, locos cujusque generis proprios. Quos cum priore loco tradere instituisset, prius docendum fuit, quot, quæque essent præcipua dicendi genera. Tria igitur esse dixit, Deliberativum, Judiciale, & id, quod a latinis non satis apto vocabulo Demonstrativum vocatur. Deliberationi proposita est utilitas; Judicia tractanti justitia & æquitas; Laudatori honestas. Deliberationum publicarum (eas enim præcipue spectabat) quinque fere genera esse dixit: aut enim deliberari de vectigalibus, aut bello & pace, aut de custodia regionis, aut de iis, quæ importanda vel exportanda sunt, aut de legibus ferendis. Tum admirabili sapientia indicavit, quæcunque cognoscenda sunt oratori, ut iis omnibus de rebus graviter & cum dignitate

tate verba facere possit. Ac quoniam omnis deliberatio aut ad felicitatem, aut ad aliquam partem felicitatis refertur: tum ipsius felicitatis multas definitiones vulgo receptas exposuit; tum partes, quibus ea constare creditur, accurate ac diligenter persecutus est; tum denique tam multos nobis locos tradidit, ex quibus argumenta repetentes aut simpliciter bonum esse aliquid, aut in comparatione altero melius esse doceamus, ut potius obruisse nos copia, quam quidquam, quod ad nos explendos pertineret, omisisse videatur. Postremo quoniam ea oratio optime ac facillime combibitur animis, quæ quam maxime ad mores eorum, qui audiunt, accommodata est: docuit nos, quot genera sint Rerumpublicarum, & qui cujusque Reipublicæ mores, ut eis cognitis effingamus nos, quoad possumus, ad earum similitudinem; quæque maxime conveniunt moribus ejus civitatis, in qua dicemus, ea maxime in dicendo sequamur. Ita absoluto deliberativo genere in id, quod demonstrativum vocatur, ingressus est, & de honestate ac turpitudine, de virtute ac vitio, deque iis etiam, quæ cum eorum utroque conjuncta sunt, copiose disputavit, ut nemini, qui, quæ ab eo dicta sunt, & bene perceperit, & usu ac meditatione confirmaverit, unquam de talibus dicere volenti deesse possit oratio. Quod autem principio dixerat, enitendum esse persuadere volenti, ut probitatis opinionem sibi ipso orationis genere conciliet, id quomodo præstari queat, monuit ex iis ipsis intelligi posse. Nam quibus rationibus alteri, iisdem sibi quoque comparare quisque probitatis opinionem potest. Inde ventum est ad judiciorum tractationem, quæ cum fere tota in juris & injuriæ distinctione versetur: principio docuit, quid sit injuriam facere, & ejus, quam attulerat, definitionis singulas partes subtilissime persecutus est. Deinde quia fere accidit, ut homines

ad

ad imponendam aliis injuriam aut utilitatis alicujus aut voluptatis propoſita ſpecie moveantur; & de utilitate in præceptis deliberativi generis abunde dictum erat: explicandum ſibi putavit, quidnam eſſet voluptas, & quæ efficientia voluptatis, & quomodo eorum unoquoque homines ad faciendam injuriam incitentur. Quibus abſolutis, quomodo etiam affecti homines ipſi facile adducantur ad faciendam injuriam, quæſiit, docuitque, ſi & poſſint, & ſpem celandi, aut, ſi res detecta fuerit, facile evadendi habeant, ita ut aut ne pœnas dent, aut judicii levior pœna ſit, quam facti præmium, facile eos ad faciendam injuriam impelli. Tum quomodo quisque ita ſibi de ſe perſuadere poſſit, indicavit. Deinde defendendi rationes tradidit: ut aut neget quis ſe feciſſe, aut non id feciſſe, aut jure feciſſe contendat. Secuta inde diſputatio de æquo & bono, ut qui jure ipſo cauſſam ſuam tueri ſe poſſe diffidit, æquitate defendat. Inde comparate de majore & minore injuria: ubi cuncta tradita ſunt, quæ eo pertinent, ut injuria aliqua major minorve videatur. Subjecit poſtremo tractationem τῶν ἀτέχνων, quæ ſunt quinque: νόμοι, μάρτυρες, συνθῆκαι, βάσανοι, ὅρκος. Hæc ſumma eſt primi libri. Nunc quid in ſecundo agatur, cognoſcite.

Tria ſunt, quæ fidem conciliant: argumenta & probationes; opinio de eo qui dicit; & affectio eorum, qui audiunt. De argumentis & probationibus dictum eſt. De eo, qui dicit, tria eos opinari oportet: bonum virum eſſe, & prudentem, & amicum ſibi. Quo modo vir bonus & prudens videri poſſit, ſupra dictum eſt. Amor ac benevolentia affectio quædam animi eſt. Eadem igitur opera exponemus & quomodo cæteros animi motus concitare poſſimus in audientibus, & quomodo efficere, ut & ipſi nos ament, & nos ſibi velle, opinentur. Ergo de motibus animorum diſſerendum

est. Sunt autem animorum motus, ut ira, misericordia, lenitas, amor, odium, metus, confidentia, verecundia, inverecundia, gratia, indignatio, invidentia, ἐπιχαιρεκακία, æmulatio, & similia. Horum cujusque tripartita tractatio est.

Mores juvenum, senum, ἀκμαζόντων, nobilium, divitum, potentum, fortunatorum.

Loci communes περὶ δυνατῶ καὶ ἀδυνάτω. περὶ μεγέθους. περὶ τῶ γεγονέναι ἢ μὴ: καὶ ἔσεσθαι ἢ μὴ. περὶ ἐνθυμημάτων, κοινῆ, καὶ περὶ παραδειγμάτων. De his prius.

Παραδειγμάτων εἴδη δύο, τὰ πεπραγμένα λέγειν, & τὰ εὑρεθέντα ὑπ' αὐτῶ τῶ λέγοντος. Hujus duo genera, παραβολαὶ καὶ λόγοι.

Quando præponenda exempla, quando subjungenda, περὶ γνωμολογίας. Quid sententia sit, quotque sententiarum genera & quibus conveniat γνωμολογεῖν.

Περὶ ἐνθυμημάτων κοινῆ. Ad copiam. Plane cognoscendæ omnes partes caussæ. Quare necesse est habere magnam copiam propositionum comparatam ad ea, quæ frequenter incidunt. Περὶ δὲ τῶν ἐξ ὑπογυίε, eodem modo quærere.

Enthymema τὸ μὲν δεικτικὸν, τὸ δὲ ἐλεγκτικὸν. Ergo de utroque. Inde de iis, quæ videntur Enthymemata: sed non sunt. Deinde de solutione, quæ duplex est, δι' ἀντισυλλογισμῶ, καὶ δι' ἐνστάσεως.

Hæc quomodo prosint ad dicendum, & quomodo possint ad prudentiam valere, docet.

Expli-

Explicaturus libros Aristotelis de Republica.

ORATIO XII. (*alias IX.*)

Habita Romæ prid. Non. Novembr. M. D. Lxxvii.

IN rebus humanis nihil esse mente ac ratione præstantius, nihil divinius, summo semper consensu sapientissimi homines judicarunt. Quin etiam veterum nonnulli cum expressam in ea divinitatis imaginem cernerent, neque tantum ingenii acumine valerent, ut exemplar ipsum, & id quod ex eo ductum, quasique effictum esset, discernere ac judicare possent: mentes nostras ex divina mente delibatas ac decerptas, ipsiusque rerum omnium opificis DEI particulas quasdam esse dixerunt. At illi quidem & de hominibus nimis elate, ac superbe, & de DEO parum pie religioseque senserunt: qui & homines DEO exæquare conarentur, & non intelligerent, ista distractio & dilaceratio quantopere aliena esset a natura omnium longe simplicissima, maximeque una; neque viderent, quantam in se impietatem susciperent, qui si stultitiam suam pertinaciter tueri vellent, necesse haberent fateri, partem aliquam Dei interdum & vitiorum maculis contaminari, & apud inferos pœnas luere ab ipsomet Deo improbitati & nequitiæ constitutas. Quæ ut cogitare summæ amentiæ atque impietatis foret, ita illud sine ulla dubitatione verissimum est, admirabilem quandam esse humanæ mentis præstantiam: neque in iis omnibus, quæ infra lunam sunt, mente ac ratione superius quidquam posse reperiri. Ea genus humanum cætera animalia superat eaque illis omnibus præest, quamvis aliis rebus ab eorum plerisque superetur. Vincit hominem celeritate cervus, taurus robore, utro-

que leo, neque quisquam noſtrum aut viſu lyncas æquaverit, aut talpas auditu, aut odoratu canes: neque tamen hæc obſtant, quo minus & has, & alias animantes in poteſtatem noſtram perducamus, earumque vel carnibus veſcamur, vel corio tegamur, vel eis ad varia miniſteria utamur. Leones ipſos multi ad currum junxerunt, quidam etiam eis tanquam mulis clitellariis ad onera convehenda uſi eſſe dicuntur. Neque tantum armatas cornibus, dentibus, ungulis feras e ſpeluncis & latibulis ſuis extrahimus, ſed maria ipſa ſcrutamur, ſed elatas pennis in ſublime volucres conſequimur tamen & configimus, aut aliis artibus captas famulari cogimus aut voluptati, aut utilitatibus noſtris. Tanta vis ac poteſtas mentis eſt: tantum in cætera omnia imperium rationi ac conſilio a natura tributum eſt. Quin etiam ex omni hominum numero, qui mente ac conſilio cæteris antecelluerunt, iis in omni ætate rerum ſumma permiſſa eſt, iis habenæ concreditæ, iis tradita gubernacula, ii ſupra cæteros quaſi Deorum loco habiti, ii ſemper imperium in alios multo robuſtiores ac potentiores, ne ipſis quidem, dummodo ita eſſet crederent, repugnantibus, ſed ſe etiam ultro ſubjicientibus exercuerunt. Lycurgum quidem, cum ingrederetur templum Apollinis Delphici, ſacerdos, quæ ei templo præerat, verſibus quibusdam affata eſſe traditur, quibus ambigere ſe dicebat, Deum ne illum an hominem appellaret, & eo tamen inclinare ac propendere, ut Deum potius quam hominem eſſe arbitraretur. Neque tamen aut ipſe inter Lacedæmonios, aut inter Athenienſes Solon, aut inter Locrenſes Zaleucus, aut eorum quisquam, qui civibus ſuis leges tuliſſe memorantur, viribus corporis inter ſuos excelluerunt, ſed vi mentis ac conſilii illam ſibi tantam auctoritatem potentiamque pepererunt. Eſt hic admirabilis rerum ordo a præ-

præpotente DEO constitutus, ut quæ præstantiora sunt, imperent, quæ deteriora, serviant. Præstant autem animata inanimis, sentientia non sentientibus, mente prædita mente carentibus, & ex iis ipsis, quæ mente prædita sunt, ut cujusque mens perfectior est, ita in sui generis alia æterna quadam immutabili naturæ ipsius lege dominatur. Uniuscujusque autem rei perfectio est sua cujusque virtus. Quare &, quæ virtus propria est mentis humanæ eadem illius perfectio atque absolutio est. Quam igitur humanæ mentis virtutem esse dicemus, aut quam illius reperiendæ rationem inibimus? Nempe si oculi virtutem quæreremus, constitueremus ante omnia, quodnam esset proprium opus oculi, quod munus, quæ functio: quo semel posito ac constituto, tum deinde, quæ oculi affectio causa esset, ut oculus optime suo munere fungeretur, eam affectionem virtutem esse oculi diceremus. Mentis opus est videre, cernere, intelligere, causarum, & eorum quæ fiunt ex causis, ordinem ac connexionem intueri. Sed eorum, quæ mente cernuntur, tria genera sunt: unum eorum, quorum cognitione & intelligentia ita pascimur, ut in ea conquiescamus, neque spectemus alio: alterum eorum, quæ ad actionem; tertium eorum, quæ ad molitionem alicujus operis effectionemque referuntur. Primi generis sunt, quæ de primo rerum ortu ac principiis, de corporibus cœlestibus, de causis imbrium, ventorum, grandinum, ejusdemque generis aliis a philosophis disputantur. Ad actionem pertinent, quæ de instituenda vita conformandisque moribus, de omni genere officii, de virtutibus denique ac vitiis differuntur. Ad operum autem effectionem, quæ fabrorum, architectorum, fusorum, pictorum, statuariorum & talium opificum præceptis continentur. Sed qui se homines sublimium & abditarum rerum tractationi

tioni dediderunt, omnemque vim ingenii ad earum perveſtigationem contulerunt, eos admirantur quidem cæteri ut magnos & ſapientes viros, neque tamen ſe propterea illis regendos, gubernandosque permittunt. Neque quisquam ex omni memoria reperietur, ad quem cives ſui, quod eximius geometra eſſet, aut aſtrologus, aut phyſicus, imperium detuliſſe dicantur. Multoque minus artificibus habetur is honos, qui quamlibet in ſuo genere excellant, ſi tamen nihil aliud habeant, quod in cenſum deferant, in ſordidiſſima civitatis parte numerantur. Ac ſæpe opera potius miramur quam artifices ipſos, ut Doryphorum, quam Polycletum, Jovem Olympium quam Phidiam. Sciteque & ſapienter Plutarchus: *Si quis*, inquit, *honeſte ac liberaliter educatus adoleſcens aut tabulam, aut ſignum egregii operis inſpiciat, mirabitur ille quidem & commendabit operis elegantiam, ſed nunquam tamen illius pictoris aut ſtatuarii, cujus id opus eſſe dicitur, ſimilem eſſe ſe optabit. At ſi aliquam Demoſthenis orationem, aut aliquem Platonis dialogum legat, multoque magis ſi Cimonis, Miltiadis, Themiſtoclis res geſtas audiat, non tantum admirabitur talium operum pulchritudinem, ſed omnibus votis optabit ſe eorum, qui illa ſcripſerunt, geſſeruntve, quam ſimillimum eſſe.* Quod ſi & aliqua mentis virtus eſt, quæ hominem efficit aptum ad imperandum, & ea laus neque iis, quæ in ſublimium rerum tractatione ita defixæ ſunt, ut ſe nunquam ad hæc inferiora demittant, neque iis, quæ in opere faciendo occupatæ, tribui poteſt: reſtat, ut prudentiæ, quæ actiones hominum dirigit, rerum humanarum rectio ac procuratio debeatur. Recte igitur principes philoſophorum Plato & Ariſtoteles prudentiam imperantium propriam eſſe dixerunt. Sed prudentiæ tripartita vis eſt. Alia enim ejus præcepta docet, quomodo quis vitam ſuam privatim inſtituere debeat; alia ad rationem admini-

administrandæ rei familiaris pertinet; alia ac regendas ac temperandas civitates. Hæc autem ad unum eundemque finem omnia diriguntur, id est, ad felicitatem. Sed interdum agitur de felicitate unius hominis; interdum quomodo id ipsum bonum toti familiæ comparetur; interdum quomodo civitati. Semper autem partes referuntur ad totum: neque aliam ob caussam bene esse huic aut illi parti cupimus, quam ut bene sit etiam toti. Totum enim parte aliqua carere potest: at toto sublato una interire partes omnes necesse est. Ex quo fit, ut singulorum felicitas referatur ad felicitatem totius familiæ: familiarum ad felicitatem totius civitatis. Quam enim rationem habet unus ex familia ad familiam, eandem habet familia ad civitatem. Quanto igitur universæ civitatis bonum unius aut civis, aut familiæ bono superius est, tanto politice (ita enim eam græco quidem, sed quod jampridem jus togæ impetravit, vocabulo nominant,) cæteris prudentiæ partibus antecellit. Ac libros quidem Ethicorum Aristotelis ad Nicomachum, quibus ea, quæ ad singulos pertinent, eruditissime & copiosissime explicata continentur, interpretari cœpi hac ipsa in schola quatuordecim abhinc annis. Juvatque me memoria repetere tempus illud, cum tanti ad me concursus fierent, quanti multis annis antea ad neminem facti erant; cum tanta quotidie multitudo confluerent, ut eam locus ipse vix caperet: eaque non adolescentium modo discendi cupidorum, (quorum nonnulli multo facti meliores magistro, quæ tunc ex me discebant, ipsi hodie alios docent; nonnulli etiam ad magnas reipublicæ partes admoti, quæ tunc audiebant, ea nunc re ac factis exsequuntur,) sed & senum primæ auctoritatis, summæque eruditionis, qui & præsentia sua conestabant disputationes meas, & exemplo suo juve-

juvenum animos ad honestarum artium studium excitabant. Neque hæc gloriandi causa dico: sed quod magno cum animi mei dolore videam, quantopere conversa ac commutata sit rerum facies, cum ita refrixerit ac relanguerit in hac quidem Urbe impetus hominum ad hæc studia, ut nisi Deus labentibus & ad interitum vergentibus litteris opis aliquid attulerit, summa omnium bonarum artium ignoratio brevi tempore consecutura videatur. Quid enim est, cur quisquam meliora sperare, aut cur non etiam graviora metuere debeat? Negligitur lingua Latina, quæ patrum ac nostra etiam memoria ita florebat, ut nusquam propemodum homines nisi Romæ bene Latine aut loqui aut scribere putarentur. Græca, cujus discendæ causa vir sempiterna laude dignissimus, Petrus Bembus, cum adhuc adolescens esset, in Siciliam profectus, quod ibi meliores illius magistros esse audierat: cum multi illis temporibus eadem de causa usque in Græciam proficiscerentur; cujus in hac urbe conservandæ aut potius conferendæ gratia Leo X, cujus nomen apud omnes litterarum amantes in perpetua veneratione esse debet, ex ultima Græcia accersivit huc homines eruditissimos, & lectam ingeniosorum adolescentum manum: Græca inquam lingua, omnis elegantiæ magistra, omnium ingenuarum ac liberalium artium parens, altrix, conservatrix, ita jam jacet ac sordet, ut, qui eam docent, soli prope in scholis relinquantur. Stulti adolescentes Latinæ linguæ vix primis elementis utcumque perceptis, Græca ne salutata quidem, aut statim valere jussa ad jurisprudentiam, aut ad medendi artem properant, illic tantum gloriæ, illic divitiarum certissimam spem propositam dictitantes. Stultiores liberis patres ultro adjuvant præproperam & inconsultam filiorum cupiditatem, quasi verentes, ne

quando

quando penuria sit in civitate hominum, qui aut lites aut morbos ferant; & aut ægrotos remediis, aut formulis ac cautionibus patrimonia jugulent. Oppugnantur interea litteræ a non unius generis hostibus: quorum alii aperto Marte eas infectantur, alii cuniculis, cum aliud agere se simulent, earum extinctionem ac disperditionem moliuntur. Sed omittam hæc, quæ nullius oratione satis dolenter deplorari queunt, referamque me ad propositum, a quo me rei ad vos, Adolescentes, maxime pertinentis recordatio longius fortasse, quam par erat, abduxit. Interpretatus sum, ut dixi, jampridem libros Ethicorum: nunc autem libros Politicorum, qui cum illis continuati ac connexi sunt, quantum vires meæ ferent, illustrare, vobisque ad eos intelligendos quasi facem præferre decrevi. In eis summus Philosophus ea quidem, quæ ad rationem rei domesticæ pertinent, modice delibavit: quæ autem ad Rempublicam uberrime ac copiosissime persecutus est. Summam totius operis breviter, ut soleo, exponere in animo erat: sed ut diei tempus est; si vos diutius detinere perrexero, obstrepetis. In crastinum igitur differam, jamque finem dicendi faciam: si prius quædam, quæ prætermittere non possum, quanta maxima potero brevitate perstrinxero. Deum hominesque testor, auditores, me omnia sedulo facere, neque labori ac vigiliis parcere, neque interdum ipsius valetudinis rationem habere, ut vestris utilitatibus serviam. Voculas hominum aut malevolorum, aut quid dicant non satis intelligentium, qui meam docendi rationem calumniantur, vellentque me tempus consumere in quibusdam puerilibus ineptiis, quibus trivialium ludimagistrorum scholæ assidue personant, facile contemno. Τὸ γὰρ ἓν μεῖ' ἐμοῦ, ait nescio quis apud Aristophanem. Et habeo non subscriptores atque adstipulatores, sed

auctores potius hujus sententiæ meæ eos viros, quorum auctoritate tutus totum istud sermonum genus non extimesco. Propono vobis gravissimorum scriptorum libros utilissimos, & aptissimos ad veram & solidam laudem eloquentiæ comparandam. In eis tractandis & explicandis ita versor: nolo quidquam φορτικώτερον dicere: sed ita certe, ut de toto isto allatratorum genere dicere audeam: Μωμήσεταί τις θᾶσσον ἢ μιμήσεται. Qui libros Rhetoricorum ad Herennium, aut aliquam Ciceronis orationem exponere, & in generibus ac statibus caussarum, & in figuris ac tropis indicandis μετραπιεύεσθαι possint, nunquam vobis defuturi sunt: qui ea præstare, quæ nos aut præstamus aut præstare conamur, non semper adfuturi. Ego, ne quid, quod mearum partium sit, a me desiderari possit, operam dabo. Vos cogitate id, quod apud Hippocratem scriptum est: non satis esse ad morbos sanandos, si medicus recte ac diligenter munus suum obeat, nisi & ab ægroto ipso, & ab eis, qui ei adsident, communi opera ac diligentia medici conatus adjuventur.

Interpretaturus C. Sallustium de Catilinæ conjuratione.

ORATIO XIII. (alias X.)

Habita Romæ III. Non. Novembr.

Anno cIↃ IↃ LXXIIX.

ADvenit tandem illud vobis quoque, ut opinor, Auditores, sed mihi certe exoptatissimum tempus, quo diu jam intermissas exercitationes nostras, & studia, haud facile dixerim, honestatis an suavitatis pleniora, repetamus. Juvat hanc, mihi circumfusam, incensam ac flagrantem siti bonarum artium, cupidam veræ ac solidæ laudis & gloriæ, ore ipso atque oculis omnia me summa sperare de alacri-

alacritate & industria sua jubentem lectissimorum adolescentum coronam intueri; juvat adspici; juvat audiri; juvat in talibus ingeniis excolendis, quicquid ingravescens ætas virium reliquerit, collocare. An agricolæ cum teneras arbores a se cultas ad justam sese proceritatem paullatim attollentes vident, efferuntur gaudio; pastoris pectus, gregis sibi commissi lætitiam ac fœcunditatem intuentis, tacita voluptate perfunditur; qui alumnos suos vigentes ac florentes adspiciunt, afficiuntur intimis sensibus, & juventutem illorum, suam quodammodo juventutem esse ducentes excussa senectute recalescunt: ego, Adolescentes optimi, e vestro in litteris profectu ac progressu non idem mihi usu venire fatear? Neque mihi sane dubium est, quin plerisque vestrum quadrimestre illud tempus, quod nobis quotannis, ex vetere instituto, solutum ac liberum conceditur, justo longius visum sit: iis nimirum, quibus amor virtutis ac litterarum in visceribus ac medullis defixus insedit, quibus cor saucium est cœlestis illius cupidinis sagitta,

quos tetigit jactu certus ad ossa Deus,

ut Umber poeta loquitur. Quam sæpe eorum unumquemque credibile est secum in animo Horatiana illa reputasse:

Ut nox longa, quibus mentitur amica; diesque
Longa videtur opus debentibus; ut piger annus
Pupillis, quos dura premit custodia matrum:
Sic mihi tarda fluunt, ingrataque tempora, quæ spem
Consiliumque morantur agendi gnaviter.

Macti este animo ac virtute, juvenes, quibuscunque sæpe in mentem ista venerunt; quibus jucunda industria est, odiosa cessatio; quibus labori quies est, labor quieti; qui tum denique vita ac spiritu frui vobis videmini, cum in litteris tempus omne consumitis; qui eo estis animorum ardore, ut in illa directa & ardua, ut ait Hesiodus,

ad virtutem viâ nusquam ſtrigare, nusquam interjungere, ſed eam uno tempore ac ſpiritu totam, ſi fieri poſſet, exhaurire ac ſuperare cupieretis. Hac via veteres illi, quos admiramur ac ſuſpicimus, ſapientiæ proceres vulgo ſeſe exemerunt; hac ſe ſupra cæteros mortales extulerunt; hac gradientes non modo floruerunt inter æquales ſuos, ſed in omnem poſteritatem nomen ſibi ac decus immortale pepererunt. Cujus autem ignaviæ fuerit, eos quidem, ut magnos quosdam, ac præſtantes viros, laudare ac deprædicare: & tamen torpere ac marceſcere otio malle, quam ut eorum ſimiles evadamus, operam dare? Non eſt ejusdem animi induſtriam laudare & otium amplecti; non ſerio laudat, qui non & concupiſcit; non ex animo admiratur, qui non & imitatur. At bene, quod ex iſto numero multi non otioſi veterum laudatores, ſed ſtrenui potius imitatores, non tam ad præclara ſtudia cohortandi eſtis, quam exemplo veſtro excitare ipſi alios ac cohortari poteſtis. Itaque pro certo habeo totum id tempus, quo nobis huc per calores convenire non licuit, non tamen a vobis languori ac deſidiæ datum, ſed quatenus licuit, earum ipſarum artium, quarum amore flagratis, umbratili ac domeſtica exercitatione traductum. Sic agricolæ, ubi tempeſtates malæ ſunt, cum opus fieri non poteſt, ſub tecto tamen quod agant reperiunt, ac ne ipſos quidem feſtos dies ſibi prorſus inutiles effluere patiuntur. Sic milites, ubi eos horrifer aquilonis ſtridor in hiberna compulſos a bellicis muneribus avocavit, quotidie tamen aut curſu, aut ſaltu, aut ad palum exercentur, aut fictis inter ſe præliorum imaginibus dimicant, aut gladios acuunt, aut arma poliunt, quæ denique in bello uſui futura ſunt, ea omnia in pace meditantur. Quod ego ut mihi de vobis polliceri audeo, ita vobis de me

me plane confirmare possum: neque enim mihi minus otiosa ulla pars anni fuit, quam quæ ad quietem concessa videbatur. Libuit mihi istorum potentum consuetudinem imitari, & tentare, num, quas illis ætatis tempore voluptates divitiarum suarum magnitudo præstat, easdem mihi in re curta ac tenui studia mea suppeditare possent. Igitur ut illi ea tempestate anni montosa & altiora loca & saltuum ac nemorum opacitatem consectantur: sic & ego Heliconios colles & avia Pieridum loca peragrans, æstum ambitionis avaritiæque vitabam. Ut illi ad fontium aut fluminum capita strati, cantibus avicularum animum oblectant: sic & ego ad illos sacros & vulgo ignotos fontes, ex quibus omnis elegantia omnisque humanitas in vitam hominum fluxit, molliter compositus ex illo Ambrosio veterum Poetarum cantu incredibilem animi voluptatem hauriebam. Ut illi venatu aucupiove intenti prædas agunt, quibus mensam instructiorem faciant: sic & ego quibus mentem instruerem, e sapientissimorum hominum monumentis quotidie aucupabar. O studia nostra, Auditores, non utilia tantum ac fructuosa, sed dulcia etiam ac delicata! Persarum reges, qui ut opibus ac divitiis affluebant, ita luxu ac deliciis diffluebant, voluptatis caussa ita dividebant annum, ut hyemem Babylone, vel Susis, in Media æstatem agerent. Quidni studia nostra eandem nobis honeste luxuriandi facultatem ac copiam præbeant? *Ex meo propinquo rure*, ait Terentianus Laches, *hoc capio commodi:*

Neque agri, neque urbis odium me unquam percipit.
Ubi satietas cœpit fieri, commuto locum.

Idem in studiis licet. Gravi & severa Philosophorum lectione defessus animus est? Poeticorum lusuum, involutæ fabellis, & conditæ omnibus leporibus sapientiæ præcepta continentium, amœnitate

recreetur. Solidius aliquod & ſucci plenius cibi genus requirit? Ex illo copioſiſſimo ac locupletiſſimo veterum Oratorum penore omnia non paſcendis modo, ſed etiam ſaginandis animis apta depromat. Ingurgitet ſe in hiſtoriam veterem, omnem ſuperioris ævi memoriam mente ac cogitatione perluſtret; indulgeat arbitratu ſuo illi voluptati, quæ infinita & inſatiabilis ex antiquitatis cognitione percipitur. Aliarum voluptatum habendus modus eſt, huic nimis indulgeri non poteſt. Atque equidem, Auditores, quoniam humanus animus varietate capitur, omniumque prope rerum, ut ait Euripides, jucunda mutatio eſt: decrevi hoc anno aliquid vobis hujus ſuavitatis impertiri, & intermiſſa pauliſper Philoſophiæ ſeveritate, nobiliſſimi inter Latinos hiſtoriarum ſcriptoris lectione vos paſcere. Quod conſilium tum denique ſine ulla dubitatione probabitis, cum, ex quo fonte manaverit, intelligetis. Superioribus diebus, cum ad illud non ampliſſimi tantum ordinis, ſed hujus ætatis, ſingulare lumen ac decus, Guilielmum Sirletum Cardinalem veniſſem, cœpit ille me, ut ſolet, de ſtudiis meis humaniſſime interrogare. Cui cum pauca pro tempore reſpondiſſem, procedente ſermone, quæſiit etiam ex me, quid vobis hoc anno proponere atque explicare meditarer? Reſpondi, me in ipſius poteſtate & ſemper fuiſſe & ſemper fore, & hac quoque in re totum ex ipſius nutu atque auctoritate pendere, atque id demum mihi factum optimum atque utiliſſimum viſum iri, quod ipſo auctore, & tanquam auſpice, gereretur. Tum ille, quando, inquit, ſuperioris anni curriculum in Ariſtotelis politicis conſumpſiſti, non alienum fuerit hoc anno aliquid paulo levioris operæ aſſumere. Nam neque omnes ii, quorum te commodis ſervire oportet, capaces ſunt tam arduarum diſputationum;

&

& a plerisque impetrari non potest, ut Græcas litteras ament; & sunt, qui anni principio, ad dimidiatos libros, tanquam ad delibatas ab aliis ac prope semesas epulas, non libenter accedant. Quare auctor tibi sum, ut aliquem historicum sumas: ac, si me audis, non alium potius, quam Sallustium. Nam & egregie latine loquitur, & gravis ac densus est, & civilis sapientiæ plenus, &, quod tu quanti facias scio, Thucydides: & ut, exiguus liber est, paucis illum mensibus totum explicare facile poteris. Ego vero, inquam, libentissime parebo auctoritati tuæ: neque unquam committam, ut, quacunque de re sententiam tuam cognovero, de ea mihi amplius quærendum ac dubitandum putem. Quod igitur faustum felixque sit, de summi in omni genere laudandarum artium viri, & nostrum omnium amantissimi sententia evolvemus & excutiemus una hoc anno, Auditores, Sallustium, hoc est, eum scriptorem, cui antiquitas historiæ Romanæ detulit principatum. Ad quem cognoscendum, si vos parem meæ industriam ac diligentiam adferetis, magnam vim ex ejus scriptis, DEO volente, & eloquentiæ & sapientiæ præceptorum colligemus. Sed inprimis pauca quædam de historia in genere, pauca de Sallustio dicam, quæ instituto nostro non inutiliter præfulciantur ac præmuniantur. Ac de historia quidem hæc: primum quid sit historia; deinde quam pulchra, quam jucunda, quamque utilis sit historiarum cognitio; tum quæ sint historiæ leges; postremo in historiarum lectione versantibus quæ potissimum observanda sint, & quomodo in ea re a plerisque peccetur. Cornificius, seu quis alius est, qui scripsit libros Rhetoricorum ad Herennium, itemque Cicero ipse libro primo de inventione, ita historiam definiunt: *Historia est res gesta, sed ab ætatis nostræ memoria remota.* In hac definitione

quot verba, totidem prope peccata sunt. Primum historia non est res gesta: sed rei gestæ expositio ac narratio. Non enim ipsa conjuratio Catilinæ, aut bellum ipsum Jugurthinum historia est, neque hoc ipsi dicere voluerunt: sed id, quod sentiebant, non satis commode elocuti sunt. Itaque condonetur hoc negligentiæ ipsorum: etsi nemo in rebus definiendis negligens esse debet. Sed quod addiderunt, historiam non esse, nisi quæ ab ætatis nostræ memoria remota sit, cujus quæso amentiæ est? Ergo si quis hodie de Romulo & Remo scribat, fatebimur, eum historiam scribere? si de bellis inter Carolum V. & Franciscum I. gestis, negabimus, quoniam hæc nondum ab ætatis nostræ memoria remota sunt: aut certe dicemus, nondum historias esse, tunc demum fore, cum qui earum rerum meminerit, nemo amplius reperietur. Quomodo fiet, ut ipse quidem hodie historiam non scribat, qui autem abhinc centum annis scripta ejus legent, historiam legant. Neque Thucydides hac ratione historiam scripserit; neque Xenophon in libris anabaseos aut in libris rerum Græcarum; neque Sallustius, cum conjurationem Catilinæ, aut cum bellum Jugurthinum scriberet. Livius quoque quamdiu vetusta persecutus est, historiam scripsisse dicetur: at postremis libris, quibus complexus erat res suis temporibus gestas, historiam videlicet desierat scribere. Sed nolo pluribus verbis exagitare tam fatuam definitionem: ne mentionem quidem illius ullam feciſſem, nisi scirem eam etiam hodie defensores habere. Longe aliter sentiebant quidam olim eruditi homines, quos Verrius Flaccus refert putasse, historiam proprie dici narrationem earum rerum, quibus gerendis is, qui eas narraret, interfuisset. Quos quamvis non sequor, (neque enim pauciora aut leviora incommoda hanc, quam illam definitionem, sequuntur,)

tur,) tolerabiliorem tamen illorum errorem esse arbitror. Quomodo igitur historiam definiemus? injuste enim reprehendit aliena, qui meliora non profert. Historiæ nomen, Auditores, non tantum rerum gestarum, sed quarumlibet rerum narrationem expositionemque significat. Sic Aristoteles eos libros, quibus ingenia & naturas animalium persecutus est, vocavit historiam animalium; sic Theophrastus historiam stirpium; sic denique C. Plinius libros suos naturalis historiæ inscripsit. Quibus libris caussæ ac principia rerum exquiruntur, aut alicujus disciplinæ præcepta traduntur, nunquam eos quisquam recte historiam vocaverit. At ubi narratur tantum aliquid atque exponitur, recte id scriptorum genus historiam nominaris. Itaque liber quidam, qui Galeno tribuitur, neque tamen ipsius est, quo veterum philosophorum unaquaque de re sententiæ exponuntur tantum, non etiam expenduntur, recte inscribitur Φιλοσόφε ἱστορίας. Eodemque nomine affici possent libri ejusdem argumenti, qui falso tribuuntur Plutarcho περὶ τῶν ἀρεσκόντων τοῖς Φιλοσόφοις. At libros physicorum, aut ethicorum, aut ejusmodi alios si quis historiam vocaret, male & inscienter historiæ nomine uteretur. Nam illud quoque intelligendum est, quod de toto aliquo genere universe scribitur, historiam non vocari, nisi particulatim ad singula veniatur. Atque hæc cum ita sint, historiæ tamen nomen in hac disputatione non tam late accipimus: sed vim illius angustioribus terminis concludentes, ita definiendam historiam putamus: *Historia est rerum publice gestarum diffusa & continuata narratio.* Neque quidquam interesse arbitramur, ad hoc quidem, ut historia sit, sintne res illæ remotæ ab ætatis nostræ memoria, an minus; & num is, qui eas scribit, eis interfuerit, an non interfuerit. Scripsit Herodotus de rebus a memoria ætatis suæ remotis:

motis: & hiſtoriam ſcripſit; ſcripſit Thucydides de bello, cui ipſe interfuerat; ſcripſit Xenophon de reditu Græcorum ex Aſia, cui non interfuerat modo, ſed & præfuerat: & uterque hiſtoriam ſcripſit. Si quis dicat, ad fidem & auctoritatem hiſtoriæ conciliandam intereſſe, ſcribat quis ea, quæ ipſe viderit ac cognoverit, an quæ ab aliis tradita acceperit, non negabo: ſi, ut vere ac proprie hiſtoria ſit, horum utrumlibet requiri dixerit, pernegabo. Nunc ſingulas propoſitæ definitionis partes minutatim conſideremus. *Hiſtoria eſt narratio rerum geſtarum.* Omnes igitur fabulæ excluduntur. Neque enim continent res geſtas, ſed ad ejus, qui ſcripſit, libidinem fictas. Itaque neque Luciani libros verarum, ut ipſe ludens vocat, narrationum, neque Æthiopica Heliodori, aut Pœmenica Longi, aut ejus generis ſcripta, hiſtorias eſſe dicemus. Non magis quam Heraclidæ Abarin, aut Ariſtonis Lyconem. Ne Xenophontis quidem libros Κύρου παιδείας pro hiſtoria acceperim: tum ob alias cauſſas, tum quia in eis non tam curæ fuit ſapientiſſimo ac diſertiſſimo ſcriptori, ut res a Cyro geſtas exponeret, quam ut nobis exemplar regis omni ex parte perfecti proponeret. Eſtne igitur omnis vera narratio hiſtoria? Minime: ſed ea tantum, quæ eſt *rerum publice geſtarum.* Non enim oratorias narrationes, etiam ſi veræ ſint, hiſtorias vocabimus; neque illa Ciceronis: Milo domum venit, calceos ac veſtimenta mutavit: pauliſper, ut fit, dum ſe uxor comparat, commoratus eſt: aut ſimilia ad hiſtoriam pertinere cenſebimus. Neque Philoſtratus cum vitam Apollonii aut Sophiſtarum; neque Laertius aut Heſychius, cum vitas Philoſophorum; neque Plutarchus, Suetonius, Æmilius Probus, Ælianus, Lampridius, Capitolinus, cum vitas Imperatorum aut aliorum virorum illuſtrium ſcriberent, hiſtoriam ſcripſiſſe judicandi ſunt. Aliud eſt enim

enim vitas scribere, aliud historiam. Qui vitam alicujus scribit, qualis quisque domi fuerit, qualis in uxorem, qualis in liberos, in familiares, in hospites; quo victu ac cultu corporis usus sit, accurate ac diligenter exponit: qui historiam, hæc omnia aut prætermittit, aut in accessionis loco, quasi aliud agens, strictim & modice attingit; ea tantum ex instituto persequitur, quæ ad publicum pertinent. Hoc Plutarchus ipsemet docet, qui etiam cum virorum illustrium vitas scribit, negat se historiam scribere. Verba ipsius proferam, ne quis dubitationi relinquatur locus. Οὔτε γὰρ ἱστορίας γράφομεν, ἀλλὰ βίους ὅτε ταῖς ἐπιφανεστάταις πράξεσι πάντως ἔνεστι δήλωσις ἀρετῆς ἢ κακίας ἀλλὰ πολλάκις καὶ ῥῆμα καὶ παιδιά τις ἔμφασιν ἤθους ἐποίησεν μᾶλλον ἢ μάχαι μυριόνεκροι καὶ παρατάξεις αἱ μέγισται καὶ πολιορκίαι πόλεων. *Neque enim historias*, inquit, *scribimus, sed vitas, neque ut quæque nobilissima actio est, ita maxime virtutem aut improbitatem cujusque patefacit: immo vero sæpe & verbum unum, & jocus aliquis magis declaravit, qui cujusque mores essent, quam pugnæ, in quibus decem hominum millia cecidêrunt, maximaque prælia & urbium obsidiones.* Videtis igitur, quæ sit quasi seges ac materia historiæ propria: bella, paces, induciæ, fœdera, seditiones, tumultus, leges, judicia, commutationes Rerumpublicarum, & quæ sunt ejusdem generis: qualia apud Herodotum, Thucydidem, Xenophontem, Polybium, Dionysium Halicarnassæum, Sallustium, Livium, Diodorum Siculum, Cornelium Tacitum, Appianum, Ammianum Marcellinum, Dionem Coccejum, & ejusmodi alios leguntur; quos vere ac merito possumus historiarum scriptores nominare. At tonderi diligenter ac radi, aut velli etiam solitum Cæsarem, & semper cingi supra latum clavum, & Octavianum mense Decembri totos dies talis lusisse, & similia, ejus sunt, qui vitam alicujus, non

qui historiam scribat. Addidi in definitione historiæ, eam esse non narrationem modo, sed *diffusam & continuatam narrationem*, id est διεξοδικὴν καὶ συνεχῆ. Diffusam quidem: quoniam qui summa capita rerum colligunt, eaque nude ac simpliciter proponunt, ut Florus, Eutropius, Orosius, Sulpicius, non tam historias scribere dicendi sunt, quam summaria quædam, aut, ut vetustiores loquebantur, breviaria historiarum. Continuatam autem, ut Valerium Maximum, & alios ejus exemplum secutos ab historicorum numero excluderem. Longe enim aliud est historiam scribere, aliud exempla similia ex historiis collecta, sub uno, quod illi fecerant, aspectu ponere. Probasse me vobis arbitror, quod principio posueram, historiam esse rerum publice gestarum diffusam & continuatam narrationem. Cætera, de quibus dicere institueram, (sunt autem hæc: de legibus in historia servandis, de pulchritudine, suavitate, utilitate historiæ, tum quid præcipue observare debeant, qui historias legunt,) ea igitur, & de ipso Sallustio quædam cognitu digna, ne & vobis molestiæ & aliis impedimento sim, in crastinum differentur.

Non dubito L. C. V. P. quin, quicunque te huc honoris mei caussa venisse vident, & humanitatem erga me tuam admirentur, & me tibi plurimum eo nomine debere arbitrentur. Ego autem ingenue fateor, nihilo me tibi propterea esse, quam antea fueram, devinctiorem. Cui enim omnia debeo, quid ei jam debere amplius possim? Quare ne illud quidem mihi curandum puto, ut tibi exquisito aliquo orationis genere gratias agam. Ista faciant, qui se accepta beneficia verbis exæquare posse confidunt. Mihi jam pridem adempta ac præcisa spes omnis est quidquam excogitandi, quod tuis erga me innumerabilibus meritis ulla ex parte respondeat.

Cum

Cum explanaturus esset Eneida Virgilii.

ORATIO XIV. (alias XI.)

Habita Romæ III. Non. Novembr. Anno cIↃ IↃ LXXIX.

UT in reliquis vitæ partibus, sic in studiis & in ratione dicendi plerumque contingit, ut juvenes quidem nitida & ad pompam atque ostentationem accommodata, senes autem utilia magis & fructuosa delectent. Itaque ego qui olim florenti ætate omnes lepores festivitatesque dicendi, quantum quidem in me situm erat, summo studio aucupabar, & pectere ac comere cum cura orationem solebam, nunc ut ætate, ita consilio commutato, profutura potius quam oblectatura consector: neque tam id operam do, ut ab iis, qui ad me audiendum conveniunt, distertus habear, quam ut ipsi aliqua re bona & digna cognitu domum redeant auctiores. Et hoc quoque tamen ipsum voluptati nobis esse confido. Neque enim vere novo segetis herbescentis viriditas, quam adulta æstate flavescentis & falcem vocantis maturitas: neque arborum in primos sese flores induentium, quam opibus suis laborantium, & earum pondere incurvescentium magis nos aspectus oblectat. Nunc igitur Eneidos Virgilianæ interpretationem ingressurus, (poematis non tantum inter omnia latina sine ulla dubitatione præstantissimi, sed etiam Græciæ gloriam in magnum discrimen vocantis,) omittam multa, quæ apte ad plausus & clamores excitandos in hoc argumento dici posse, facile intelligo: convertamque orationem meam ad quarundam rerum tractationem, quas spes est neque nimis communes ac contritas neque alienas ab hoc instituto, neque cognitu inutiles judicatum iri. Dicam enim de poetices ipsius natura primum & antiquitate: tum suavitate, & quid sit, quod eam tantopere suavem efficiat, quasque illa hominum generi utilitates & attulerit & perpetuo adferat: deinde quasdam Aristotelis de poesi ac poetis sententias, quæ propter ipsius auctoritatem in omnium fere jam animis insederunt, tentabo & ad disquisitionem vocabo: postremo cum & de Virgilio ipso, & de hoc, quod nobis in manibus est, ejus poemate, pauca quædam ad ipsius dignitatem ac commendationem pertinentia protulero, mittam concionem, neque committam, ut nimia longitudine aut vobis molestiæ sim, aut aliis,

aliis, qui post me in hunc locum conscensuri sunt, impedimento. Poeticam veteres, ut hinc exordiar, non tam artem esse, quam incitationem quandam animi, & furorem divinitus immissum, qualis est in vaticinantibus, judicarunt. Quod ita expressit Cicero pro Archia: *sic a summis hominibus eruditissimisque accepimus, caterarum rerum studia & doctrina & arte constare: poetam natura ipsa valere & mentis viribus excitari, & quasi divino quodam spiritu afflari.* Et apud eundem Antonius lib. 2. de oratore hoc ipsum a Democrito & a Platone in scriptis relictum esse dicit. Ac de Democrito quidem aliis credamus necesse est, cum ipsius scripta perierint: apud Platonem autem ita multis locis hoc dicitur, ut putidum sit eos accuratius percensere. Sed & poetæ ipsi hoc de se profitentur ac prædicant; quorum sunt illa:

Est Deus in nobis: agitante calescimus illo,
Sedibus ætheriis spiritus ille venit.

multaque ad eundem modum; & Pindarus eo se Bacchylidi anteponit, quod ipse quidem natura valeat, Bacchylides arte subnixus temere multa profundat: itaque tantum interesse inter se & illum, quantum inter aquilam & corvos, gloriatur. Neque aut mons ille duplice vertice insignis, aut fons, cujus hausto poetas fieri ajunt, quidquam aliud indicant, quam eos non arte & industria, sed divino quodam spiritu & instinctu valere. Et certe præstantissimi poetarum, Orpheus, Linus, Musæus, & ille omnium parens Homerus multis ante seculis extiterunt, quam ulla præcepta poetices tradita essent. Sed tamen si naturæ tantum & ingenii, non artis & industriæ poetica est, quid est, quod summus philosophus Aristoteles libros tres de arte poetica scripsit? quod optimi poetæ Horatii libellus eodem argumento scriptus manibus teritur? quod, ut cæterarum, ita hujus quoque facultatis præcepta quotidie ab hominibus eruditissimis summo studio tractari videmus? An illud verius est, ut in oratore, sic in poeta, qui oratori affinis quodammodo & dissimili genere simillimus est, & naturæ atque ingenii præstantiam & artem præterea quandam ac præceptorum observationem requiri? Ita quidem certe sentit Horatius, cujus illa sunt:

Natura fieret laudabile carmen, an arte,
Quæsitum est. Ego nec studium sine divite vena,
Nec rude quid prosit video ingenium, alterius sic
Altera poscit opem res, & conjurat amice.

Fatendum tamen fortassis est: plus in poeta ingenium, plus in oratore industriam posse. Sed ut Physici ajunt, res e multis

multis ac diversis elementis conflatas atque concretas ex eo nominari, quod in quaque dominetur: sic veteres illi cum in poetis illum animi ardorem plurimum posse, quasique principatum obtinere; curam autem & industriam subsequi, eique quasi famulari viderent: quod præcipuum esset, id solum esse dixerunt. Nam quod summi poetæ fuerunt, antequam quisquam poetices præcepta traderet: idem in oratoribus dici potest. Siquidem ut alios omittam, ille ipse, quo nemo post homines natos eloquentior fuit, Demosthenes, omnes eloquentiæ numeros antea impleverat, quam ab Aristotele, qui primus ut dialecticen ita & rhetoricen ad artis formam redegit, libri ad eam rem pertinentes conscriberentur. Sed & emendate loquebantur homines, antequam grammatici nascerentur; neque ex illorum præceptis emendate loquendi facultas; sed ipsa potius præcepta ex observatione eorum, qui bene loquerentur, enata sunt: quomodo jurisconsulti dicunt, non jus e regulis, sed e jure regulas extitisse. Neque omnino quidquam est aliud ars, quam imitatio quædam naturæ: neque ulla est ars, cujus non semina ac principia naturæ debeantur. Sic igitur a me primum illud caput eorum, quæ proposueram, explicatum sit, ut poeticam, neque impetum quendam animi temere sine ullis legibus vagantis esse statuamus; neque rursus totam præceptis alligatam & adstrictam teneri: sed & generoso quodam ingenio, tum ad concipiendas animo rerum imagines, tum ad ea, quæ conceperit, grandibus verbis & minime vulgari dicendi genere efferenda egregie facto & præterea diligenti cura atque observatione præceptorum quorundam contineri. Antiquitas ipsius vel Ciceronis testimonio omnibus nota est, qui e doctis antiquissimum esse ait poetarum genus. Nos certe Homero, quem tamen multi poetæ antecesserant, nullum profanum scriptorem vetustiorem habemus. Et illi, qui primi dispersos homines congregasse, & ex agresti ac ferina ad mitiorem & cultiorem vitam deduxisse perhibentur, non alii quam poetæ fuerunt: quos propterea Plato deorum filios & sapientiæ patres ac duces vocat. Qui cum & præclaras sententias funderent, & certis numeris ac pedibus verba vincirent, ita ut neque ulterius quam par erat excurrerent, neque citerius subsisterent, sed paria paribus reddentes æquilibritatem in dicendo quandam efficerent, & oraculorum similia atque ænigmatum speciem præbentia multa loquerentur: admirata eos illa rudis antiquitas, & divinum aliquid in eis latere rata est, & suavitate cantuum irretitia, ducendam se illis guber-

nan-

nandamque permisit. Mulcet autem animos, & incredibili suavitate perfundit poesis, ut uno verbo dicam, propter admirabilitatem. *Delectat enim*, ait Cicero, *quicquid est admirabile*. Poetæ autem & mira quædam narrant, & ea miro modo eloquuntur. Jam omnes homines natura cupidi sunt scientiæ: & admiratio stimulus quidam est ad sapientiam: impellit enim ad quærendam caussam, in cujus cognitione ac perceptione posita scientia est. Itaque Aristoteles, cujus hæc ex fontibus libamus, & admiratione ductos esse homines ait ad philosophandum, & ut quisque sapientiæ amantissimus sit, ita esse amantissimum fabularum. Delectant poetæ numero quoque ipso & sono, qui naturæ nostræ ita consentaneus est, ut veterum quidam animum ipsum numerum esse atque harmoniam putaverint. Delectant etiam, quia in rebus nihil ad nos attinentibus pertentant animos nostros omni genere affectuum: ita ut vel legentes poemata, vel audientes, interdum angamur ac premamur metu, interdum ad spem erigamur, nonnunquam etiam iis, quæ ficta esse scimus, illacrymemur. Vir sanctissimus & eruditissimus Aurelius Augustinus sæpe ubertim flevisse se, cum Didonis mortem apud Virgilium legeret, confitetur. Sed hoc in eo propter singularem ipsius bonitatem minus fortasse mirum videri potest. Vere enim hoc Græci proverbio dicunt: Bonos viros faciles esse ad lacrymandum. Quid quod feris quoque ac barbaris hominibus, & cæde ac sanguine gaudentibus poemata tamen misericordiam, interdum & lacrymas commovent? Alexandrum Phæreorum tyrannum accepimus aspero supra modum & immiti atque efferato ingenio fuisse, ita ut homines alios vivos defoderet, alios aprorum ursorumque pellibus tectos, canibus venatricibus laniandos objiceret, idque sibi pro ludo atque oblectamento haberet, quasdam etiam civitates amicas ac socias immissis sine caussa speculatoribus, repente universas contrucidaret. Coram hoc agebantur aliquando Euripidis Troades, qua in fabula dolenter admodum deplorantur Trojanorum calamitates. Homo quamvis asper & indomitus, quemque nulla unquam res ad misericordiam flectere potuisset, sensit tamen se poetices cantibus commoveri. Itaque statim se proripuit & theatro: indignum esse dicens, se, cui tot strages, tot urbium direptiones, tot civium exquisita tormenta nunquam lacrymam unam exprimere potuissent, Hecubæ & Andromachæ malis lacrymari. Quam vim poetarum Horatius merito cum funambulorum & magorum operibus comparavit.

Ille,

Ille, inquit, per extentum funem mihi posse videtur
Ire poeta, meum qui pectus inaniter angit,
Irritat, mulcet, falsis terroribus implet,
Ut magus: & modo me Thebis, modo ponit Athenis.

Paulo aliter explicat Aristoteles caussam ejus voluptatis, quam ex poesi capimus: sed nihil prohibet aliter a pluribus eadem de re, & tamen vere ab omnibus disputari. Ait igitur Aristoteles, natura comparatum esse, ut omnes homines imitatione gaudeant, & ex rebus imitando expressis, cuicuimodi tandem illæ sint, voluptatem percipiant: huic rei argumento esse puerulos, qui natura duce, imitari omnia gestiant; & hoc vel maxime differre homines a cæteris animantibus, quod homines natura maxime facti sint ad imitandum. Addit, quæ prima homines discunt, imitando disci; neque quenquam esse, quin rebus imitando expressis gaudeat, etiam iis, quas veras nollet aspicere: non igitur mirum esse, cum poesis imitatio sit, tantam ex ea ab omnibus percipi voluptatem. Hæc, ut a veritatis amantissimo philosopho tradita sunt, quin etiam verissima sint, dubitari non potest. Sed mihi tamen interdum non parvam dubitationem attulerunt. Ita enim mecum cogitabam: quod oculo lux est, idem esse animo veritatem: & quemadmodum luce oculum gaudere, abhorrere a tenebris: sic animos nostros iis, quæ vera sunt, gaudere, quæ falsa sunt, ea aspernari ac refugere. Et Euripides quidem jucundissimum esse ait, scire: Aristoteles autem, discere. Quorum utrovis posito, nihil veræ ac liquidæ voluptatis e rebus falsis percipi potest. Falsa enim neque sciri, neque disci queunt. Et tamen falso gaudere homines, multis argumentis mihi videbar posse pervincere. Nam & poesi gaudent, & pictura, & omni denique imitatione. Omnis autem imitatio videri vult id, quod non est: itaque quodam genere mendacium est. Neque vero tantum libenter ea videmus expressa coloribus, quæ vera delectant, ut nemorum pratorumque viriditatem, tellurem multiplici variorum florum tegmine opacatam, eximia pueros mulieresque forma: sed ea etiam, quæ vera videre nollemus, mirabiliter nos picta delectant. Hercules liberos interficiens, discerpens Pentheum mater, rota volutus Ixion, jecur vulturi præbens Prometheus, cæteraque de poetarum mendaciis pictorum quasi propagata mendacia. Quid eluviones, incendia, ruinas, domorum urbiumque direptiones loquar? quæ vera sani omnes refugiunt, picta summa cum voluptate intuentur. Ac admirari quidem solemus, si quos videamus nihilo majorem e fictis, quam e veris, voluptatem per-

percipere: eosque rudes esse atque impolitos judicamus, cu jusmodi ille Laco fuit, qui cæteris tabulam quandam magnifacientibus, in qua pictus erat præpingui rusticus corpore, ad umbram arboris stratus, magna cum significatione languoris ac desidiæ, negavit eam sibi placere: quod talem hominem ne vivum quidem in ædibus habere vellet. Et Anacharsis, qui invitatus ad audiendum quendam, qui mirifice Luscinie cantum imitabatur, aspernatus est: veras sibi Luscinias sæpe auditas esse dicens. At quis nostrum non talia omnia pluris faciat imitata quam vera? Quæ autem vera vacca tantopere unquam celebrata est, quantopere vacca Myronis? Nunquid igitur hominem falso gaudere dicemus? Immo vero naturæ hominum amica pene veritas est: neque aliud quidquam mendacio gratiam conciliat, quam imitatio veritatis. Itaque cum ea dicuntur, quæ nullam prorsus habeant veritatis similitudinem, aut suapte vi, aut habita ratione eorum, apud quos dicuntur, nulla ex talibus mendaciis existere voluptas potest. At poetarum figmenta & ingenio se excogitata sunt, & accedunt plerumque ad aliquam similitudinem veri: & ita exponuntur, ut in ipsa eorum expositione mirificum quoddam ingenii acumen perpetuo eluceat. Itaque, quoniam verum ingeniose imitantur, oblectant. Sequitur, ut ostendam, quæ commoda humano generi adferant poetæ, & quas ad res utilis sit poematum lectio. Dico autem, quæ duo ut doceret Achillem Phœnix, comitem se ei a patre datum esse profitetur, ad ea utraque poetas utilissimos esse. Nam & bene loqui docent, & ad honestas actiones animos legentium aut audientium impellunt. Quod his versibus exponit Horatius:

Os tenerum pueri, balbumque poeta figurat:
Mox etiam pectus præceptis format honestis,
Asperitatis, & invidiæ corrector, & iræ.

Ac de eloquentia quidem, quin ad eam plurimum conferant, ne dubitari quidem potest. Omnis enim granditas orationis, omnis peregrina, & ab vulgari abhorrens conformatio verborum, omnes figuræ insigniores non ab alio scriptorum genere, quam a poetis petuntur. Numerose autem dicere, quo nullum majus elocutionis ornamentum est, nemo non potuerit, nisi qui aures habeat in numeris poeticis diu multumque tritas & exercitatas. Illa major & dubitationis plenior quæstio est, prosintne moribus poetæ an eos inficiant ac depravent? Plato enim cum innumerabilibus locis summam laudem tribuisset poetis, ac præcipue Homero, in

in libris de republica, multa ab eo peccata esse demonstrat, & civibus suis ab eo metuens, excludit eum ab illa, quam instituit civitate. Quem imitatus Cicero in Tusculanis, *Videsne*, inquit, *poeta quid mali adferant? Lamentantes inducunt fortissimos viros: molliunt animos nostros; ita sunt deinde dulces, ut non legantur modo, sed etiam ediscantur. Sic ad malam domesticam disciplinam, vitamque umbratilem & delicatam cum accesserunt etiam poeta, nervos omnes virtutis elidunt. Recte igitur a Platone educuntur ex ea civitate, quam finxit ille, cum mores optimos, & optimum reipublicæ statum exquireret.* Nos vero, si ut Sirenum, ita poetarum cantus exitiosi sunt, obturemus adolescentium aures neque ad eos ullum poeticæ suavitatis gustum permanare patiamur. Sed si, adhibito judicio, eorum lectio fructuosa est, caveamus, ne faciamus idem, quod Lycurgus Rex Thraciæ.

Cætera desiderantur.

Aggressurus Satyram tertiam-decimam Juvenalis.

ORATIO XV. (alias XII.)

Habita Romæ Anno clo Io Lxxv.

CUm constituerim vobiscum una evolvere atque excutere librum Senecæ de providentia, judicavi omnibus nobis commodum fore, si is liber seorsim a cæteris Senecæ operibus mea opera emendatus excuderetur. Ac sperabam id fore, antequam ad has mihi jucundissimas, vobis, ut merito sperare videor, non molestas exercitationes rediremus. Sed aliter cecidit. Interea igitur, dum ille pulcherrimus libellus a librariis describitur, delegi decimam tertiam Juvenalis satyram, in qua hoc triduum consumeremus. Et jucunda autem & utilis illius evolutio futura est. Continet enim multas graves & utiles sententias, optimis verbis, & genere quodam dicendi salso, festivo, hilari, &, ut ita dicam, vivido, quod huic poetæ proprium ac perpetuum est, explicatas. Neque mihi quisquam illud objecerit, mul-

tos esse ex latinis Juvenale meliores poetas. Non contendo. Scio multum interesse inter Juvenalem & Virgilium. Sed qui solum Virgilium legerit, tanto præstare eum cæteris credere poterit, scire non poterit. Ut ad certiorem ipsius Virgilii gloriam pertineat, etiam alios legi. Deinde non continuo sola cognoscenda, quæ optima. Alioqui non tantum e poetis solus Virgilius, ex oratoribus solus Cicero, sed ipsius Virgilii unum aliquod poema: Ciceronis una aliqua oratio legenda erit. Certe enim & aliquod Virgilii poema, & aliqua Ciceronis oratio principem locum tenet. At nemo unquam repertus est, qui aut Homerum præcipuum esse inter poetas negaret, aut propterea Hesiodum, Theocritum, Apollonium Rhodium, alios etiam inferiores e manibus hominum excutere conaretur. Nec quia Sophocles in Tragœdia excellit, idcirco Æschylum Euripidemque contemnimus:

Non, si priores (ait Horatius) *Maeonius tenet*
Sedes Homerus, Pindaricæ latent,
Ceæque: & Alcæi minaces,
Stesichorique graves Camœnæ.

Suus est stellis honos, sua lux, etiamsi a solis splendore & claritate vincuntur. At stulte facit, qui in potestate eligendi prætermissis optimis deteriora sectatur. Hoc ita demum in me valeret, si suaderem vobis, ut eos, quos optimos esse constat, prætermitteretis. Sed id neque feci adhuc, neque facturus unquam sum, & multum puto interesse, hos quasi secundarum partium scriptores melioribus anteponat aliquis, an eis quoque studii aliquid tribuendum putet. Præclare Cicero ferreum quidem scriptorem esse non diffitetur Atilium, sed scriptorem tamen, ut legendus sit. *Rudem enim*, inquit, *esse in nostris poetis, aut inertissimæ segnitiæ est, aut fastidii delicatissimi; mihi quidem nulli satis eruditi videntur, quibus nostra ignota sunt.* Hæc ille:

ille: & illis quidem temporibus, cum neque Musarum scopulos quisquam superarat, & is, qui hoc scripsit Ennius, meliorum inopia principem locum tenebat. Quid igitur censemus dicturum fuisse Ciceronem, si ad eorum poetarum, qui postea floruerunt, tempora vitam producere potuisset? qui certe ut veteris illius Romani sermonis integritate inferiores fuerint: suæ enim quisque ætatis, quam atavorum suorum sermone uti malebat: limatiores tamen, & cultiores, & multis poeticis virtutibus superiores fuerunt. Num igitur hos nitidos & politos contemsisset, qui illos horridos & impexos, studiose tamen ac diligenter evolverat? Sed ut in cæteris vitæ partibus, ita in ratione studiorum varie a vulgo hominum peccari solet. Patrum & avorum nostrorum memoria, qui se eruditos perhiberi volebant, optimis quibusque scriptoribus, tanquam pervulgatis & nihil abditum ac retrusum continentibus valere jussis, in aliis quibusdam obscurioribus, minusque tritis suam omnem industriam collocabant. Itaque eorum pierisque sæpius in manibus erat Apulejus, aut Sidonius Apollinaris, quam Cicero: Persium quam Horatium, Lucanum aut Claudianum quam Virgilium libentius & majore cum studio pervolutabant. Animadvertit hunc errorem insequens ætas, & Bembi, Sadoleti, ac similium & exemplo & auctoritate commota, ad vetustiorum lectionem imitationemque revocata est. Sed secutum est aliud malum, exorta factione ineptorum hominum, qui præter Ciceronem, Cæsarem, Sallustium, & si forte aliquot alios eidem ætati suppares, tum ex poetis, præter Catullum, Lucretium, Virgilium, tres aut quatuor alios, clamare cœperunt, cæteros omnes barbaros esse, nesciisse latine loqui, neque satis dignos esse, in quibus cognoscendis ullum studium poneretur. Inde extitit enectum quoddam & famelicum, & ut ego

interdum vocare soleo, dilutum eloquentiæ genus, hominum existimantium bene dicendi laudem in eo positam esse, ut ne ullum vocabulum ponas, quod non ex Cicerone sumseris, quamvis fatue atque insulse loquaris, sine ulla vi, sine ullo acumine, sine nullo pondere sententiarum, dummodo unum illud observes, ipsius te Ciceronis fraterculum fore. Similis fatuitas eorum quoque, qui poetarum laudem affectabant, animos occupavit. Nam cum sibi indices quosdam confecissent earum vocum, quibus veteres aliquot poetæ usi essent, putarunt se illis æquiparatum iri, dum sedulo caverent, ne quam vocem versibus suis immiscerent, quæ non in illis, quos dixi, indicibus reperiretur. Ergo hoc exemplo suo utrique docuerunt, ex omnibus Ciceronianis vocibus stultissimas orationes, ex omnibus Virgilianis pessimos versus posse componi. Neque dici potest, quam hæc hominum somnia sibi placeant, quam se circumspiciant, quam se impudenter iis, quos non intelligunt, anteponant. Statium, ait eorum quidam, aut Silium Italicum, tu mihi aut Lucanum aut Senecam nominas? Ovidium etiam, cui præter unum Virgilium, Latinorum nemo par fuit, contemnere audent, seque ei anteponere non verentur. Unus etiam, cæteroqui homo eruditissimus, sed illo errore imbutus, Ovidii metamorphosin, divinum poema, & omnibus ingenii, omnibus eloquentiæ luminibus omni ex parte collucens, in eum sermonem, quo vulgo nunc utimur, sibi convertendum curavit, ne, si eam latine scriptam attingeret, sinceritatem latini sermonis, quam ex aliis poetis hauserat, contaminaret. Sed hunc quidem excusare quoquo modo possumus: qui cum & doctrinæ copia abundaret, & latino sermone perite ac scienter uteretur, hac una in re nimis credulus fuit, aliorumque judicio stare potius

potius voluit quam suo. Isti non ferendi, qui ab omni eruditione imparati, quasi satis sit dixisse, *ego pulchra poemata pango*, audent se cum eis componere, aut etiam eos præ se despicere, a quorum coquis, aut mulionibus, si hodie viverent, scribendorum carminum laude facile vincerentur. Horum ego, simulatque Juvenalem mihi in manibus esse resciverint, qui de me sermones futuri sint, non ignoro. Juvenalem interpretatur. Cur non potius Horatium; sed & tertio abhinc anno quasi alii poetæ deessent, Senecæ Troadas delegit, quas interpretaretur. Ego vero & in explicandis Senecæ Troadibus ita tum me versatum esse confido, ut illius poetæ amorem multis incusserim: & in hujus Satyræ explicatione, spero me perfecturum, ut ejusdem poetæ alias quoque cognoscere cupiatis. Sed satis jam verborum factum est. Nunc primum exponam argumentum hujus Satyræ. Deinde ipsius poetæ verba recitabo, quæque in eis explicatione egere videbuntur, ea diligenter & accurate interpretabor.

Cum annales Taciti explicandos susceptisset,

ORATIO XVI. (alias XIII.)

Habita Romæ III. Non. Novembr.

M. D. Lxxx.

NEque pars ulla studiorum humanitatis aut amœnior est, aut fructuosior quam historia: neque ullius gentis historia est, quæ cum historia populi Rom. aut magnitudine, aut pulchritudine, aut omnis generis exemplorum copia & varietate contendat: neque ex ingenti scriptorum, qui res Romanas litterarum monumentis prodide-

diderunt, numero quisquam est, quem merito quis C. Cornelio Tacito anteponat. Nam si nihil est hominis animo jucundius, quam discere; & eorum, quæ suapte vi ac natura jucunda sunt, tanto quidque jucundius quanto laboris ac molestiæ minus exhibet: dubitare de historiæ suavitate nemo potest, cum scripti genus nullum sit, ex quo aut plura, aut citius & minore animi contentione discantur. Artium præcepta, dum traduntur, molesta sunt; mathematica non plures pulchritudine invitant, quam difficultate deterrent; illa ipsa Princeps & Regina artium philosophia nunquam tam multos habuit Studiosos sui, ut non plures obtrectatores habuerit: una historia est, quæ omnium studia alliciat, aures teneat, animos mulceat; a qua si quis abhorrere se dicat, parum absit, quin ipse se ne hominem quidem esse fateatur. Parvulos pueros, in quibus naturæ vis maxime elucet verisimeque perspicitur, nulla re magis quam narratiunculis duci videmus: qui etiam sæpe, ut aliquem fabellas narrantem audiant, eas ipsas, quibus cum maxime operam dant, lusiunculas deserunt. Isti superbi ac divites, librorum & litterarum omnium osores, qui sibi e stolido ac supino pulcherrimarum rerum contemptu gloriam quærunt, ut tamen sic quoque aliquod hominis simulacrum ac vestigium retineant, ab historia non penitus abhorrent. Itaque in illis ipsis quoque atriis, cœnationibus, cubiculis, unde aliæ omnes litteræ omnisque honestas exulat, in mensa tamen aliqua, aut in abaco interdum videas expositos una cum fritillo, & turricula ac tesseris cæteroque instrumento aleatorio, etiam libros, aut historiam aut aliquid historiæ utcunque simile continentes. Ut enim mustum bibunt, qui vini veteris acrimoniam atque austeritatem non ferunt: sic pueri, & viri puerorum similes, quia serio scriptæ historiæ gravitatem severitatemque non capiunt,

piunt, inanibus se fabulis propter quandam illarum cum historia similitudinem oblectant. Sed supervacaneum est de voluptate, quæ ex historia percipitur, pluribus dicere: cum id de suo quisque sensu judicare facile possit. Utilitas autem quanta ex historiæ tractatione capiatur, quis non videt? Mitto jam, quod ille apud Platonem Ægyptius sacerdos Soloni dixisse fertur semper pueros esse, qui vetustatis cognitione careant: illius quidem omnium humanarum rerum moderatricis prudentiæ, unde major vis quam ex historia colligi potest? Non enim avium cantu, aut volatu, non inspiciendis pecudum fibris, non interpretandis hariolorum cantibus futura prænoscuntur: qui cujusque consilii aut incepti exitus esse soleat, qui diligenter notaverit, atque observaverit, is demum, quid ex quo eventurum sit, optime ac certissime providebit. Quanquam enim non certa quadam & immutabili serie res humanæ volvuntur, magnaque earum varietas & inconstantia est, ut hoc ipsum, quemadmodum dicebat Agatho, verisimile sit, multa præter id, quod verisimile est, evenire: plerumque tamen e similibus similia existunt; neque ulla certior regula est judicandi, quo quæque res evasura sit, quam inspicere, quem exitum similia in longinquitate temporis sæpius ac frequentius habuerint. Quod si aut temporis hominibus ad vivendum concessi brevitas, aut ipsa vitæ ratio pateretur, ut idem homo multa secula, integra mente integrisque sensibus vixisset; multas Provincias obisset; ad intimas principum virorum de gravissimis rebus consultationes frequenter adhibitus esset; omnium sententias audiisset; rationum, quibus quisque niteretur, pondera ac momenta diligenter expendisset; observasset postea, & notasset diligenter, quid ex quo consecutum esset: quis non incredibilem quandam in eo vigere vim consilii crederet? quis non

ejus sententiam de rebus gerendis in oraculi propemodum loco ac numero habendam fateretur? Atqui quod natura nobis denegat, præstat historia ut qui eam diu ac diligenter pervolutarunt, omnibus ætatibus vixisse, omnes regiones perlustrasse, omnibus publicis consiliis interfuisse, omnia, quæ unquam contigerunt, præsentes spectasse, atque annotasse videantur. Nam quod alicubi Aristoteles ait, majorem quandam esse poëtices quam historiæ cum philosophia conjunctionem, quod historia tantum, quid factum sit, exponat, poëtica quid fieri debuerit: id quale aut quomodo accipiendum sit, alias fortasse videbimus. Illud certe & extra omnem controversiam est, & ab eodem Philosopho alibi traditur, in gravibus & seriis deliberationibus cum maximus exemplorum usus sit, e Poëtis quidem petita exempla in vulgus interdum aliquid valere: at apud graves & cordatos viros multo majorem vim ea, quæ ex historiis ducta sunt, obtinere. Nam quod Horatius Homerum commendans dicere ausus est, quid honestum, quid turpe, quid utile, quid inutile sit, melius eum ac plenius, quam Philosophos docere: id ego de historia longe verius ac justius dicere ausim. Etenim Philosophi primas rerum causas inquirunt, in præceptis communibus latissimeque patentibus occupantur: singula non fere considerant. Omnis autem actio, omnisque deliberatio singulis in rebus versatur: neque quisquam unquam, num bellum gerendum foret, sed num huic populo adversus illum hoc tempore gerendum foret, deliberavit. Ut igitur Medicus, qui multis ægrotis adsederit, multos curaverit, multis arteriam exploraverit, venam secuerit, medicamenta miscuerit, quid ex quoque accidere soleat, notaverit, sæpe ad medendum utilior est eo, qui majorem quidem rerum medicarum scientiam ex Hippocratis libris hauserit, sed illa cognitione

tione contentus nunquam hominis ægroti lotium adspexerit: sic ad consultandum melior, qui multa ejusdem generis singularia in historiis adhibito judicio notaverit, quam qui ex Philosophorum scriptis communia quædam vivendi præcepta cognoverit. Optandum quidem est, ut utrumque adsit: sed si alterutro carendum sit, malim experientem & exercitatum hominem sine ulla universa cognitione totius generis, quam erudite & sublimiter de universo genere disputandi peritum, usus & exercitationis expertem. Hunc in schola libentius audias, illum utilius in consilium adhibeas. Sed de utilitate historiæ & dicta sunt a me alias multa, & dicentur: & cum quæcunque potuero dixero, semper tamen multa supererunt. Quanto autem populus Rom. cæteris gentibus imperii magnitudine præstitit, tanto historia populi Romani cæterarum gentium historiis antecellit. Nullius populi obscuriora & tenuiora principia; nullius admirabiliores progressus; nullius tanta majestas, tanta in prosperis rebus moderatio, in adversis animi magnitudo; nusquam & virtutum & vitiorum omnis generis aut plura exempla, aut illustriora. Quod si nulla gens est usque eo immanis ac barbara, quæ non in rebus gestis Romanorum cognoscendis plurimum operæ ac studii collocet: quid nos facere oportet, qui Romæ vivimus, qui e Romano cœlo spiritum ducimus; qui post tot acceptas clades, tot calamitates, tot strages, a bacchantibns barbaris, ut a petulantibus servis viduæ & effœtæ jam dominæ insultantibus, editas, tam multa tamen illius antiquæ virtutis ac majestatis monumenta quotidie iutuemur; An cum tam multos ingeniosos & eruditos homines in remotissimis gentibus natos, tam longinque itinera suscipere, tantos sumptus facere, tam multis se laboribus ac periculis exponere videamus, ut Romam videant; quod ita judicant se melius ac perfectius

historiam Romanam intellecturos, si ipsum urbis situm, ipsa mœnia, ipsas veterum arcuum, tropæorum, templorum quamvis laceras & disjectas reliquias, illos tot olim nobilitatos victoriis colles viderint: nos, quibus otiosis hæc omnia in oculos assidue iucurrunt, rerum Romanarum cognitionem negligemus? Quarum per se tanta pulchritudo est, ut etiam si scripta essent horrido aliquo & inculto orationis genere, suapte tamen vi hominum studia excitarent: nactæ autem sunt ejusmodi scriptores, qui, quamcunque sibi scribendi materiam sumpsissent, dignissimi tamen studio propter ipsum scribendi genus fuissent. Non enim potest quisquam dicere, in scriptores rerum Romanarum intuens, cur hæc tanta ingenia se dignius aliquod scribendi argumentum non elegerunt? neque rursus illud, cur res tam claræ tamque illustres non in aliquos magnitudine sua dignos scriptores inciderunt? Ita rerum magnitudo præstantia ingenia evocavit: scriptorum præstantia rerum magnitudinem adæquavit. Quid enim, ut cæteros in præsens omittam, ipsos modo principes nominem, aut Sallustio gravius ac nervosius, aut Livio grandius & uberius, aut Tacito pressius, prudentius, limatius, omni ex parte perfectius fieri potest? Cujus annales quoniam hoc anno, quod Deus faustum ac felix esse velit, vobiscum una communi studio evolvere, viamque vobis ad eos facilius intelligendos, ut potero, præire decrevi, pauca mihi quædam de eo dicenda sunt, non ut eum laudem; nam cum ipse se satis tacitus laudet, ego quoque præstantiam ipsius tacitus admirari malo, quam & infantiam meam prodere, & laudes ipsius ingenii culpa deterere: sed ut iis respondeam, qui & Tacitum tanti a me fieri, & me tam diu, tanto studio, ut mihi ejus publice interpretandi potestas fieret, postulasse mirantur. Hodiernam autem orationem meam illi ipsi,

ipsi, qui Tacito obtrectant, breviorem reddiderunt. Nam si Tacitus mihi laudandus fuisset, necesse habuissem undique conquirere ac colligere, quæcunque veteres a perfecto historiæ scriptore exigenda esse dixissent, ac prolatis exemplis ostendere, ea omnia Tacitum cumulatissime præstitisse: quod & si verissime fieri poterat, propter ipsam tamen multitudinem & varietatem arduum ac difficile fuisset. Nunc Taciti quidem virtutes melius ac commodius in progressu operis singulas notabimus: hodie nisi temporis excludamur angustiis, pauca tantum quædam refutabimus ac refellemus, quæ in eum temere ab imperitis conjici solent. Inprimis autem illud positum sit, quæ summa scribentium laus est, eam Tacito ab omnibus uno ore tribui: nullum unquam scriptorem prudentiorem ac consideratiorem fuisse; siccam ac sobriam esse illius orationem, adstrictam verbis, densam sententiis; nihil in ea notari posse diffluens, nihil inane, nihil redundans; singulis sæpe verbis singulas sententias contineri. Magna laus, & quæ in quo sit, facile ei alias deesse patiaris. Nam ut in iis, quæ possidentur, ea plurimi sunt, quorum exigua moles est, pretium ingens, ut aurum, ut gemmæ, ut in cibis ii maxime laudantur, qui minimum detrimentorum habent, plurimum succi: ita maximi facienda oratio, quæ pauciſsimis verbis plurimum sententiæ amplectitur. Indicat enim, se in pectore non in ore nasci. Hæc præcipua orationis virtus, quæ ex omnibus scriptoribus Latinis in Tacito præcipue cernitur, effecit, ut omnium ætatum sapientissimi quique, qui non inani verborum sono, sed bonitate & gravitate sententiarum ducerentur, præcipuo in honore Tacitum semper habuerint, ejusque assiduam & accuratam lectionem principibus viris omnium utilissimam judicarint. Neque vero ut id ita esse doceam, illo præcipuo argumento nitar, quod M. Tacitus

Tacitus non Imperator tantum, sed prope singularis exempli Imperator, hujus nostri imaginem in omnibus bibliothecis collocari, libros ne perirent, quotannis decies describi, & in archivis civicis asservari voluit: cum se etiam ab eo genus ducere gloriaretur. Vetera illa jam & obsoleta: & exemplorum quæ tantopere a temporibus nostris remota sunt, minus magna vis est ad permovendum. Paulus III. P. M. quo nullum sapientiorem senem nostra vidit ætas, Tacitum sæpe relegendo contriverat, neque ullum profanum scriptorem æque libenter legebat. Cosmus Medices, qui primus Magnus Etruriæ Dux fuit, homo factus ad imperandum, qui eam, quæ vulgo fortuna ducitur, in consilio & prudentia consistere docuit, Taciti libros in deliciis habebat; eorumque lectione avidissime fruebatur. Neque non hodie multi aut Principum, aut eorum, qui de summis rebus a Principibus in consilium adhibentur, eundem studiosissime legunt, & quasi pro magistro quodam prudentiæ habent. Nunquid igitur movebimur stultis quorundam vocibus, qui nisi quod ipsi didicerunt, nihil discendum putant: & quoniam a magistris suis nihil olim præter bucolica Virgilii, & paucas Ciceronis epistolas, & orationem si forte aliquam audierunt, ab iis me discedere, & vobis graviora proponere, iniquo animo ferunt? An quisquam vestrum est, qui eo consilio studia sequatur, ut in pulvere scholastico consenescat? Cur igitur ea potius consectemur, quæ tantum in scholasticis concertatiunculis inter adolescentulos, aut senes adolescentulis stultiores oblectamento, quam quæ olim gravissimis in negotiis emolumento futura sint? Vos vero istos nugatores contemnite, præsertim cum illa leviora aut jam didiceritis, aut, quia ea usque ad tædium inculcent, in omnibus vicis ac triviis obvios quamlibet multos,

tos, qui Tacitum interpretari aut possint, aut velint, non multos stis habituri. Nunc, quæ in eo culpari a nonnullis soleant, exponerem, eaque omnia, uti pollicitus eram, refutarem ac refellerem: sed video me longius progressum esse dicendo, quam a principio existimaram. Fefellit me Taciti amor: cujus laudes cum hodierno die tacitus prætermittere statuissem, auferri me postea passus sum, neque mihi potui, ne eas strictim & modice attingerem, temperare. Vereor autem, si longius orationem producere voluero, ne & vobis molestiæ sim, & iis, qui post me in hunc locum conscensuri sunt, impedimento. Quare, quæ supererant, in crastinum, si vobis quoque ita videtur, differam; neque metuam, ne quis me hodie justo breviorem fuisse dicat. Nam & in his primis velitationibus nostris, justique cursus ac certaminis quasi prolusionibus brevitas culpari non solet: & verum est, quod ait Varro, portam itineri esse longissimam. Equos ipsos, ubi diu quieverunt, qui longum iter ingressuri sunt, fatigare primo itineris die non solent. Si tot præstantibus viris, qui huc hodie convenerunt, ut dicendo placerem, consequi fortasse non potui; at certe, breviter dicendo, minus ut molestus sim, consequar. Sed utinam, Auditores, utinam & brevis hodie visus sim, & quicunque me unquam audient, brevem semper fuisse me doleant. Quanto suavius est abeuntes dicere, cur hic tam cito desiit? quam abire cupientes, quando tandem hic definet? Nimio satius est quod cum fame relinquit, quam quod satietate distendit.

Sequitur in eodem argumento.

ORATIO XVII. (*alias XIV.*)

Habita Romæ Prid. Non. Novemb.

Anno cIↃ IↃ Lxxx.

QUi me a Taciti interpretatione deterrere cupiebant,

bant, quinque præcipue quæ illi objicerent reperiebant. Primum quod illorum temporum historiam contexuisset, quibus vetus illa S. P. Q. R. majestas & amplitudo conciderat, quibus illi paulo ante terrarum domini, acerbissimo teterrimorum tyrannorum dominatu oppressi tenebantur. Non jam amplius Camillos, Curios, Fabricios, Maximos, Lælios, Scipiones, aliaque virtutum non hominum nomina in historia repertum iri, sed degenerem & oblitum virtutis avitæ populum, sed senatum ad servilem adulationem projectum, sed proposita vitiis, quæ quondam virtutibus deferebantur, præmia, sed unius impuri hominis libidinem extincta legum auctoritate dominantem. Quod si vere dictum esset a summis philosophis, principum mores esse speculum civitatis, cæteramque multitudinem ad imperantium exempla componi: quem virtuti locum esse potuisse in ea urbe, in qua non homines, sed monstra ex omni vitiorum fece ac colluvione concreta regnarent? Melius itaque consulturum esse me studiis vestris, quando Romanam historiam tractare animus erat, si eorum vobis temporum historiam proponerem, quibus populus R. foris adversus barbaras gentes, domi adversus vitia perpetuum bellum gerebat, neque cæteros populos bellica magis virtute, quam innocentia & integritate superabat. Abire in mores, quæ discuntur in scholis: & ea fere quemque imitando exprimere, quibus legendis audiendisque puer assueverit. Neque deerant, quod equidem valde miratus sum, qui non dubitarent mihi auctores esse, si res sub imperatoribus gestas persequi vellem, ut Suetonium potius quam Tacitum sumerem: quem ipsi & meliorem Tacito Latinitatis auctorem, & nitidiori ac floridiori genere orationis usum dicerent. Erant etiam, qui, quod maximum in historico vitium est, fidem quoque Taciti accusarent, quod multa mendacia historiis

suis

ſuis admiſcuiſſet. Neque tamen, quamquam ſæpe a me orati, ut id facerent, mendacium ipſius proferre ullum poterant; duorum tantum veterum ſcriptorum teſtimonio id pervincere nitebantur: quorum Vopiſcus aliquando mentitum in hiſtoria Tacitum diceret; Tertullianus eum mendaciorum loquaciſſimum vocaret. Addebant tertio loco, impium ac nefarium eſſe ſcriptorem, qui Chriſtianæ religioni aperte infenſus & inimicus fuiſſet. Aſperum præterea & inſuavem ac ſpinoſum, & cum cujus difficultate ad eruendas ſententias perpetuo luctandnm foret. Poſtremo male latine locutum: idque non vulgus modo dicere, ſed ipſos etiam præcipuos Taciti amatores confiteri. Cujus igitur libri & corruptiſſimorum temporum hiſtoriam, eamque ipſam neque ſatis fideliter ſcriptam, & melius ab alio traditam continerent, & auctoris ſui manifeſtam impietatem proderent, & moleſto atque odioſo propter obſcuritatem, & parum latino ſermone conſtarent, cauſſam eſſe nullam, cur, tot potioribus omiſſis, in eo potiſſimum conficere hujus anni curriculum vellem. Ad quæ omnia reſpondere conſtitui, ne præjudicata multorum opinio cujusquam veſtrum aut animum avocet, aut retardet induſtriam. Primum igitur conſiderandum eſt, respublicas hodie perquam paucas eſſe: nullam eſſe propemodum gentem, quæ non ab unius nutu atque arbitrio pendeat, uni pareat, ab uno regatur. Ergo hac ſaltem in parte propius accedit ad ſimilitudinem temporum noſtrorum ſtatus ille rerum, qui ſub Imperatoribus, quam qui imperante populo fuit. Quo autem quæque hiſtoria rerum noſtrarum ſimilior eſt, eo plura ſunt in ea, quæ diſcamus, quæ ad uſum conferamus, quæ ad vitam moresque referamus. Quamquam autem Dei beneficio ætas noſtra Tiberios, Caligulas, Neronesnon habet: prodeſt tamen ſcire, quomodo

modo etiam sub illis viri boni ac prudentes vixerint, & quomodo & quatenus illorum vitia tulerint ac dissimulaverint; quomodo neque intempestiva libertate utentes, vitam suam sine ulla publica utilitate in periculum objecerint, neque tamen fœda ac probrosa laudantes placere sibi ullam turpitudinem ostenderint. Multa sæpe sunt in Principibus, quæ vir bonus laudare non potest, tegere & transmittere silentio potest. Ad ea connivere qui nesciunt, & sibi periculum creant, & ipsos principes plerumque deteriores faciunt. Multi enim, qui vitia sua latere credunt, sponte ea paulatim exuunt, ne detegantur: & dum se bonos haberi putant, boni fiunt. Iidem si turpitudinem suam palam esse videant, jam famæ securi, quæ palam dici vident, palam quoque faciunt: & famam dum bonam desperant, malam negligunt. Melius autem feret minora & pauciora Principum vitia, qui quomodo olim viri boni ac fortes plura & graviora pertulerint, cognoverint. Quod si quis sub Principibus corruptissimis viros singulari virtute præditos extitisse non putat, magno in errore versatur. Vixit sub Tiberio, ut cæteros taceam, Germanicus, cui ego omni genere laudis ne ex illis quidem veteribus Romanis quemquam antepono. Vixit sub Claudio Seneca, & Senecæ quamquam fortasse par nemo, similes tamen multi. Neronis ætas multos habuit, quorum virtutem vix ipsius vitia æquarent. Omninoque ita est, ut dicam. Ut palmam ajunt adversus onera, sic virtus adversus vitium contumax surgit: & ut in Ætnæ montis cacumine, ubi maxime urit flamma, herbam quoque finitimam maxime virere perhibent, quasi ipsa secum contendente natura, & nolente fœcunditatem soli vicinorum ignium ardore superari: sic plerumque ubi maxima vitia dominantur, maximæ virtutes erumpunt, quæ cum illis certamen suscipiant, &,

si

si superiores esse non possint, non tamen hostibus suis triumphum sine dimicatione concedant. Non igitur, si plerique imperatores vitiosi fuerunt, idcirco bonis & utilibus exemplis temporum, quibus illi rerum potiti sunt, historia caritura est, sed & ipsa improba exempla nos interdum ad virtutem acuent: cautiores certe & considerationes efficient. Ex illa perpetua simulatione Tiberii, ex illo vultu alia omnia, quam quæ cogitabat, præ se ferente, discemus caute cum Principibus agere, neque semper illorum vultui ac blanditiis fidere. Discemus, quæ Principis occulta esse volunt, ea, etiamsi sciamus, nescire, neque altius, quam ipsi velint, eorum arcana penetrare. Juvabit in Sejano videre, quam in lubrico sit eorum potentia, qui se malis artibus apud Principes omnia posse rentur: quamque sæpe ubi diu in alios contumelioſe debacchati sunt, & in præceps decidant ipsi, & alios in idem exitium trahant. Sic ipsa quoque improba exempla proderunt. Sed de his satis. Istos autem satis mirari non possum, qui, ubi de Tacito agitur, Suetonium nominare audent. Nihil equidem detrahendi studio dicam, longe enim id & ab ingenio & ab consuetudine abhorret mea; neque is scriptor est Tacitus, cui gloria ex aliorum vituperatione quærenda sit: sed inter eum & Suetonium nimium quantum interest. In Suetonio nihil est, ex quo ejus aut prudentiam, aut eloquentiam, aut eruditionem ullam eximiam agnoscas. In Tacito quid horum emineat, ideo difficile dictu est, quia eminent omnia. Suetonium certe nemo unquam veterum aut inter eruditos aut inter disertos nominavit: at Tacitus habitus est ætatis suæ sine controversia eloquentissimus, &, quæ virtus Demostheni maximam inter Græcos gloriam peperit, quam illi δεινότητα appellant, eam ut propriam & peculiarem Tacito tribuunt omnes. Eloquentissimum quidem

illum vocat Plinius: & illud eximium in eo fuisse ait, ut σεμνῶς diceret. At Suetonium S. Hieronymus laudat. Magnum testimonium, si laudat. Non enim sanctitate tantum Hieronymus, sed & eruditione & judicio præstitit. Quomodo igitur laudat? Eadem libertate scripsisse eum ait Cæsarum vitas, qua ipsi vixerunt. Non magna laus, si laus est: sed ego laudem esse non puto. Quid enim laudis habet, cum Cæsares in summa licentia atque imprudentia vixerint, orationis turpitudine, ipsorum flagitia æquasse, quæque illi perpetuis tenebris, operienda patrarant, ea nudis & prætextatis verbis in lucem & in aspectum hominum protulisse? Itaque nihil apud Suetonium frequentius legas, quam exoletos, & spintrias, & cellarios, & nubentem Neroni Sporum Doryphoro Neronem; voces etiam, quas in illis flagitiis miserint, quasi hæc scire, posterorum interesset: quorum commemoratione non scriptorem modo, sed ipsas chartas erubescere oportebat; cum hæc interim ita subtiliter ac particulatim persequitur, ut docere voluisse videatur. In Tacito nihil simile reperias. Talia aut præterit, aut ita significat, ut odisse & abhorrere videas, non, ut illum alterum, cupide in eis immorari. Inter Vopiscos igitur & Spartianos, & Lampridios & ejusmodi vitarum scriptores Suetonius emineat, illa se jactet in aula, hoc cæteris melior, quod ætatis beneficio, melius quam illi latine loquitur: ad Taciti quidem gloriam aspirare, aut se cum eo conferre si voluerit, omnium eruditorum convicio vapulabit. Equidem quod ad me attinet, Suetonii lectionem non minus quam Catulli aut Martialis adolescentibus pernicioſam, etiam confirmatæ ætatis viris periculosam puto. At mendax est in historia Tacitus. Mitto quod si hoc maxime constaret, eum historicorum more aliquid interdum esse mentitum, non tamen id valde nobis curan-

curandum esse arbitrarer. Non enim, quæ ab eo narrantur, ejusmodi sunt, ut piaculum sit, quidquam in eis, quod verum non sit, pro vero credidisse. Sed tamen quis eum mendacii accusat? Vopiscus. Quid iste Vopiscus, quid hominis est? Quidam Suetonii Simius, longe tamen ab eo distans: qui, cum se aliquem videri vellet, affirmavit, neminem scriptorum, quantum ad historiam pertineret, non aliquid esse mentitum: gloriatusque est multa se prodidisse, in quibus Livius, Sallustius, Cornelius Tacitus, Trogus manifestis testibus convincerentur. Magna hujus, quisquis est, Vopisci felicitas: nemo unquam tam curiose in ipsius mendacia inquiret. Sed tamen quis hoc præstare ausit, iis quæ hoc hominis somnium in tam luculentis scriptoribus reprehenderet veriora esse ea, quæ ipse cum suis testibus protulisset? Quis autem unquam historiæ scriptor hanc notam effugere potuit? Non tantum apud Theopompum, & apud Herodotum, historiæ patrem, dicuntur esse innumerabiles fabulæ: sed & ipse Thucydides, qui ea scripsit, quibus interfuerat, mendacii a nonnullis accusatur. *Thucydides quoque*, ait Josephus libro primo adversus Apionem, *ut multa mentitus, a nonnullis accusari solet: qui tamen accuratissimam rerum temporibus suis gestarum scripsisse historiam videtur.* Aut igitur ne hoc Tacito noceat, aut Thucydidi quoque & Livio & omnibus denique historiarum scriptoribus noceat. At Tertullianus, non ut Vopiscus, aliqua Tacitum mentitum esse dicit, sed eum mendaciorum loquacissimum vocat. Hoc loco peto a vobis, ut me, quam potestis attentissime audiatis. Eadem enim opera & ad id, quod ex Tertulliano adfertur, respondebo, & id, quod Tacito gravissimum objicitur, diluam: eum religioni nostræ inimicum atque infensum fuisse. Ea in vetustissimis illis veræ ac salutaris religionis nostræ pro-

seminatoribus ac propagatoribus pietas fuit, (quæ utinam etiam hodie in omnibus nobis esset!) nihil ut ferrent, nihil auribus acciperent, quod Christianum non esset; quæ cum Christiana pietate pugnarent, ea omnia respuerent, rejicerent, aversarentur, execrarentur. Tertullianus igitur, qui quædam apud Tacitum legisset adversus Christum ipsum, Deum ac Dominum nostrum, & adversus Christianos impie dicta, quasdam etiam fabulas, quæ tum de sanctissimo viro Moyse, deque religione Judæorum, vulgo inter imperitos & veritatis ignaros circumferebantur, ad ea respiciens, Tacitum mendaciorum loquacissimum vocavit: eademque res magnam Tacito apud multos conflavit infamiam. Sed nos si hoc tempore nihil legendum putamus, nisi quod cum Christiana religione consentiat, omittamus sane omnes illos veteres Græcos Latinosque scriptores. Exulet a Christianorum scholis Homerus, exulet Hesiodus, & uno verbo omnes antiqui Poëtæ. Nemo est enim ex illis, qui non deorum infinitam quandam multitudinem inducat. Nemo Platonem attingat: ejus enim studio depravatus est Origenes; & fortassis ex eodem fonte fluxere Manichæi. Nemo Aristotelem legat, qui quæ de mundi æternitate, quæ de hominis animo disputat, eis nihil potest Christianæ religioni magis esse contrarium. Repudientur Ciceronis cum pleraque alia, tum libri præcipue de fato, de divinatione, de natura deorum: manifesta enim impietatis & ἀθεότητος semina continent. At illi vixerunt, antequam Christus nasceretur: ideoque eis facilius ignosci potest. Primum, si opus sit, docere possim, hanc excusationem non valde ad id quod agitur pertinere. Non enim si antiquiores fuerunt, idcirco minus pravas opiniones inferere in animis legentium possunt. Sed demus hoc aliquid esse. Tollatur igitur Suetonius: in Nerone enim de

de Christianis contumelioſe & impie ſcripſit. Non legantur epiſtolæ Plinii: oſtendunt enim eum non tantum abhorruiſſe a religione noſtra, ſed etiam judicia exercuiſſe adverſus Chriſtianos, & eorum nonnullos adhibitis tormentis ad ejurandam Chriſti militiam compuliſſe. Deleatur graviſſimus & utiliſſimus ſcriptor Plutarchus: easdem enim, quas Tacitus de Moyſe & Judæis fabulas habet. Quintilianum rhetoribus adimamus: contumelioſe ipſe quoque de Moyſe loquitur. Jurisconſultis Ulpianum: librum integrum ſcripſit de pœnis, quibus Chriſtiani afficiendi forent. Philoſophis Porphyrium, Simplicium, Averroëm: quis non eorum ſe Chriſtiani nominis hoſtem profeſſus eſt? Medicis Galenum, Hiſtoriarum ſtudioſis Ammianum Marcellinum, Eunapium, Zoſimum: omnes hi alieno a Chriſtianis animo fuerunt, idque ſcriptis ſuis teſtatum ac conſignatum reliquerunt. Quod ſi eos non tamen propterea rejicimus: quid in Tacitum iniquiores eſſe volumus? An quisquam noſtrum ita infirmus eſt, ut periculum ſit, ne in fide Chriſtiana titubare incipiat, ſi Tacitum Chriſtianum non fuiſſe cognoverit? Doleamus potius illius vicem, & grati adverſus Deum ſimus, qui animos noſtros majori luce perfuderit. Reſtant duo ex iis, quæ Tacito ab imperitis objici ſolere dixi: quod obſcurus & aſper in ſcribendo ſit, & quod male latine loquatur. Equidem cum iſtos de obſcuritate Taciti querentes audio, cogito quam libenter homines culpam ſuam in alios conferant, quantoque facilius omnia alia accuſent, quam ſemetipſos. Simul mihi venit in mentem ſenis cujusdam, de quo urbane Seneca narrat, eum, cum ætatis vitio minus commode oculis uteretur, in quodcunque cubiculum ingreſſus eſſet, dicere ſolitum, illud parum luminoſum eſſe: majores feneſtras fieri oportuiſſe. Habeo & ipſe, utinamque diu habeam, amicum, hominem

in primis eruditum, ita senem, ut annos prope jam, quemadmodum ait Juvenalis, dextra computet. Is cum surdaster ætate factus sit, sæpe mecum vero ac serio questus est, pravam consuetudinem inolescere: homines quotidie summissius, quam solebant, loqui. Idem hic quoque evenit. Qui ipsi tenebras in oculis circumferunt, obscuritatem Taciti accusant. At asper est, inquit alius: & Alciatus amicum sibi hominem Jovium laudans, non est veritus vocare historias Taciti senticeta. Ejusdem plane judicii fuit laudare Jovium & Tacitum vituperare. Nihil tam dissimile, quam inter se hi duo. Non displicere non poterat Tacitus, cui tanto opere Jovius proberetur. Quomodo autem potuit homo tam teneris pedibus tam multa spatia per Taciti vepreta conficere? Nos vero huic molli ac delicato culcitram substernamus & pulvinos rosæ ac violæ plenos, eique a Deo precemur, ut, quicquid calcaverit hic, rosa fiat. Videre mihi videor meretricem Terentianam in cœna pitissantem & dicentem:

asperum
Pater hoc est: aliud lenius sodes vide.

Ferat huc ocyus aliquis calicem mulsi, ut flere pupus hic desinat, & contractam ex Taciti asperitate molestiam levet. Offeramus ei aliquid Jovii, qui se oblectet. Is enim mollis totus est, neque quicquam habet asperitatis illius, quæ istum in Tacito offendit. Non fluit modo, sed & diffluit. Sic erant olim qui Virgilii versus ut horridos rusticanosque culparent, magisque probarent illa meliora & lenius cadentia,

Berecynthius Attis,
Et raptum vitulo:

nostis cætera, recitare enim piget, & ut isti ad asperitatem pavent, sic ego ad ineptias nauseo. Infanti meli-

melimela: mihi autem miſceatur crater ille πυρίζων. Sed iſtæ fatuæ de Tacito conqueſtiones aſſecutum eſſe eum, quod volebat, oſtendunt. Imitandum enim ſibi Thucydidem propoſuerat, ejusque ſe in ſcribendo ſimillimum eſſe cupiebat. In Thucydide autem & obſcuritas & aſperitas notatur a Græcis, & utraque inter virtutes illius, non inter vitia numeratur. Quamquam enim nuda & perſpicua oratio delectat: interdum tamen in ſcribendo certi cujusdam generis laudatur obſcuritas, quæ orationem a vulgari loquendi conſuetudine abducens, ex ipſa peregrinitate dignitatem ei majeſtatemque conciliat, & attentionem legentium continet. Hoc quaſi velum eſt, quod profanis obtenditur. Sic templa ſubluſtria ingredientes ſacro quodam horrore perfundunt. Aſperitas autem illa idem plane eſt, quod in vino amarities; quæ in quo eſt, id optime ferre vetuſtatem putatur. Eam Græci ita eſſe in Thucydide perpetuam notarunt, ut cum ille in piaculi Cyclonii narratione aliquid ex ea de induſtria remiſiſſet, Leonem riſiſſe dicant. Sequitur poſtrema reprehenſio eorum, qui cum Tacito cætera concedant, male eum latine locutum dolent: cujus calumniæ Andreas Alciatus & Æmilius Ferretus, quorum tamen uterque multum operæ ad illuſtrandum Tacitum contulerat, primi auctores fuerunt. Quod ſi ipſi tam bene Latine ſcripſiſſent, quam ſibi videbantur, nonnihil fortaſſe nos illorum commoveret auctoritas. Nunc cum uterque eorum nonnulla quidem ita ſcripſerit, ut eadem Venus, eadem Suadela, quæ in Bartoli labris ſeſſitaverat, horum quoque labris inſediſſe videatur: in quibus autem cultiores ac comptiores eſſe voluerunt, oſtenderint tamen, ne quid pravius dicam, aliarum rerum, quam deliciarum Latini ſermonis, intelligentiores fuiſſe: quid eſt, cur quisquam eorum de re, in qua non multum ſtudii poſuerant, judici-

um magnifaciat? Boni Jurisconsulti fuerint, nihil enim impedio: Latinitatis certe non admodum idonei existimatores fuerunt. ἦδ' ἄρα πῶς ἦν Ἐν πάντεσσ' ἔργοισι δαήμονα φῶτα γενέσθαι. Audacter, dicet aliquis, de talibus viris judicas. Audacius ipsi de Tacito judicarunt. Qui autem nos sumus, si omnes in unum conferamur, quicunque hac tempestate latine loqui videmur, ut de scriptore sapientissimo, nato iis temporibus quibus adhuc Romana lingua florebat, (plane enim floruit usque ad Hadrianum,) habito disertissimo ætatis suæ, sequius judicare audeamus? At aliter loquitur, quam aut Cicero, aut Cæsar. Credo: aliud enim dicendi genus adamarat. Ne Ciceronis quidem temporibus, omnes, qui diserti habebantur, Ciceroniani erant. Multa in Cicerone Brutus, multa Calvus, multa Pollio, quædam etiam Atticus non probabant. At multis vocibus, multis loquendi generibus utitur, quibus vetustiores usi non erant. Primum quæ hac in re culpa est? Non Cicero & multa novavit ipse, & aliis, ut alia novarent, auctor fuit? Cujus est illud præclare dictum: *Quod Catoni licuit, id cur non liceat Varroni?* Licet huc addas: Quod & illis & aliis licuit: cur non licuerit Tacito?

> *Ego* (ait Horatius) *cur acquirere pauca*
> *Si possum, invideor? cum lingua Catonis & Enni*
> *Sermonem patrium ditaverit: & nova rerum*
> *Nomina protulerit.*

Nobis hodie minor ejus rei licentia est, qui latinam linguam non aliunde quam e libris petere possumus. Illi solutiores ac liberiores, quorum etiam nutrices latine loquebantur. Deinde quis hodie pro certo affirmare audeat, cum tanta veterum scriptorum facta jactura sit, ea, quæ quibusdam apud Tacitum nova videntur, non apud veteres quoque in usu fuisse? Si quis hodie in Germania

nia aut in Polonia natus, qui Italiam nunquam vidisset, nunquam hominem Italum loquentem audiisset, paucos tantum quosdam libros Etrusco sermone scriptos legisset, eosque utcunque intellexisset, & omnium vocularum, quæ in eis legerentur, indicem confecisset, deinde incideret in aliquem Florentiæ natum, & educatum, qui inter cives suos disertissimus haberetur, & eum notare vellet, tanquam male loquentem, quod quædam diceret, quæ ipse in illis paucis libris & in illo suo præclaro indice non haberet, quis nostrum in tali spectaculo risum tenere posset? Atqui nihilo minor nostra stultitia est, qui in tanta veterum scriptorum disperditione, tam longo temporum intervallo, tanta latini sermonis oblivione, optimæ notæ scriptores damnare non veremur: quorum coqui & muliones multo melius, quam omnes nos, latine & intelligebant & loquebantur. Sed hunc sermonem nimis in longum duci video. Ego vobis hoc omni adseveratione confirmo, multa in Tacito nova istis videri, quæ ex ultima antiquitate repetita sunt, quæque apud Catonem, Varronem, Sallustium, quædam etiam apud Ciceronem ipsum leguntur; quædam fortassis novata, sed ita ut elegantius non potuerint: quædam parce ex Græco fonte detorta, quibus oratio ipsius, tanquam modice asperso sale, suavissime condiatur. Et hoc quoque habet simile Thucydidis, in quo Græci Critici quasdam voces antiquas, quasdam ab ipso cusas & novatas notant. Executus sum omnia, quæ proposueram. Quod si docui, & Tacitum in pulcherrimo argumento esse versatum, & frustra fidem illius in dubium vocari; neque deberi nos absterreri ab eo legendo, quod iniquus Christianis fuerit; & puerile esse, quod quidam de obscuritate ipsius & asperitate conqueruntur, & desipere, qui eum male latine locutum putant: quæso obtestorque vos, ne

oblatam vobis hoc tempore evolvendi præstantissimi scriptoris occasionem, frustra eam fortassis olim desideraturi, amittatis.

Cum perveniſſet ad Annalium librum tertium.

ORATIO XIIX. (alias XV.)

Habita Romæ III. Non. Novembr. M. D. Lxxxi.

QUotannis mihi evenire consuevit, Auditores, ut cum post illam solemnem quatuor mensium vacationem, quæ nobis ob æstivos calores tribui solet, redeundum est ad munia, torpeat animus, titubet lingua: ut neque, quid dicam, facile reperire possim; &, cum quid reperi, verba quibus id explicem, abdere quodammodo se ac refugere, non, ut prius, ultro se offerre, & suapte sponte fluere ac decurrere videantur. Id si mihi evenit, qui & quadraginta propemodum annos in hoc publico dicendi ac docendi munere versatus sum, & id ipsum tempus, quod ad otiandum conceditur, ita consumo, vere ut dicere liceat, nunquam me minus otiosum esse, quam cum maxime esse licet otioso: quid putatis evenire iis, qui, ut alia omnia majora habeant, usum quidem certe tantum in dicendo non habent? Neque me fugit hac in re culpam videri aliquam posse etiam ingravescentis ætatis, quæ decrescente indies naturali calore, spiritus quoque ipsos torpore quodam alligat, ne corpus modo, sed & ingenium segnius reddit: sed tamen, dum superioris vitæ cursum relego, recordor, quod nunc seni contingit, idem fere, jucundum cum ætas florida ver ageret, contigisse. Satius igitur & magis ingenui animi fuerit, culpam nusquam alio derivare, sed, ut Græci dicunt, αἰτιᾶσθαι τὸ αἴτιον, & fateri illud quicquid incommodi difficultatis, non aliunde, quam a nimis diuturna cessatione proficisci. Quid enim? nonne idem etiam adolescentibus evenit? Qui si aut pilæ lusu, aut armorum tractatione, aut equitatione, aut aliis, quibus ætas illa ducitur, unum aut alterum mensem abstinuerint; ea cum repetunt, primis illis diebus, neque corpus eadem, qua prius, agilitate flectere ac movere possunt: & quibus magistros antea provocabant, ad ea rudes accedere, eaque tum primum

primum discere ac meditari videntur. Qui sermo ob eam caussam a me hoc tempore susceptus atque institutus est, Adolescentes, vos ut commonefaciam, quantum adsiduitas prosit, quantum intermissio noceat. Illa vires aluntur ac gliscunt: hac carpuntur, ac deteruntur. Illa te quotidie paulatim proficere ac progredi sentias: hac non paulatim, sed magno impetu retro referri, & in pejus ruere animadvertas. Non enim eadem celeritate discimus, qua obliviscimur. Ut qui ex alto aliquo puteo aquam haurit, ubi magno molimine situlam prope ad os putei evexit, si paulum modo funem laxaverit, it situla, & deorsum concitatissimo lapsu provolvitur: sic qui multis vigiliis, multisque sudoribus aliquam sibi facultatem in hoc studiorum genere comparavit, si tantillum de solita contentione remiserit, pessum it quicquid partum erat, longique perit labor irritus anni. Neque enim subsistere saltem licet, quod, ut in malis tolerabilius foret; simul atque progredi desieris, regrediaris necesse est. Pecunia si otiosa jaceat, ut non crescat, certe non imminuitur, neque quidquam aliud domino perit, quam quod lucri fieret ea occupata. At in artium nostrarum studiis si quam temporis partem languori ac desidiæ dederis, non id modo perdis, quod interea discere potuisses: sed bona magnaque pars eorum, quæ jam didiceras evolat. Agricolæ, ne continua satione emacient solum, tonsas, ut Poeta loquitur, novales alternis cessare patiuntur: agrique, qui hoc modo interquieverunt, uberiores ex se fruges efferre soliti sunt. Alia ingeniorum ratio, nihil ea magis lætificat, quam avidus & inexpletus exactor. Cessatione sterilescunt. Ergo ut in levioris operæ studio proditum est, egregium artificem nunquam solitum prætermittere ullum diem, quin lineam duceret: sic eloquentiæ laudem ambienti præcipit M. Fabius, quotidie dicendum esse aliquid, & quidem audientibus doctis. Sed relanguit jam pridem hominum industria; restinctus est vetus ille ad honestas artes ardor animorum, nobiles illæ exercitationes, quibus apud antiquos, laudabili æmulatione, juvenes inter se de consequendo eruditionis ac sapientiæ principatu contendebant, ita ex usu & consuetudine sublatæ sunt, ut earum vix umbram ac vestigium retineamus. Ut igitur Virgilius ait, minora indies produci hominum corpora, quam antiquis temporibus fuerint, quod & tanto antea Homerus dixerat: ita videmus eruditionem hominum quotidie decrescere, ut illi hodie ordines ducant, qui olim vix in gregariis militibus locum obtinere potuissent. Nam ut illos heroas omittam, Platonem, Xenophontem, Aristotelem, Theophrastum, qui mihi

mihi videntur immensitate quadam ingenii omnem rerum naturam complexi, non tantum supra æquales suos extitisse, sed etiam posteris omnem consequendi sui spem sustulisse: quis post Plutarchum extitit, qui veræ ac solidæ eruditionis copia & varietate ita cum eo comparari queat, ut non longissimo intervallo abfuturus ab eo sit, quemcunque illi proximum esse volueris? Quem ille Poetam veterem, quem oratorem, quem historiæ scriptorem non ita triverat, ut edidicisse videretur? Quam philosophiæ partem non ita tractaverat, ut nemo postea tantum in una eminuerit, quantum ille in omnibus? Nam quod quidam nuper magni in vulgus nominis, sed non magni pretii medicus in quodam insulso ac ridiculo libro suo dicere ausus est, Plutarchum grammaticum modo, non etiam philosophum fuisse, usus est videlicet ea libertate, quæ insanis tribui solet, ut, cum quidlibet in quemlibet dixerint, nemo laboret. Ostendit cerebrum suum, si quod modo illi cerebrum erat, medico eguisse, cum illa scriberet. Sed ut abeam a Plutarcho, quem sua magnitudo extra telorum jactum posuit, ut qui eum allatrant, canum lunam allatrantium similes esse videantur; eum igitur ut omittam, & paulatim ad tempora nostra propius accedam: quis post Claudium Galenum fuit, qui ad illius aut admirabilem in omni genere doctrinam, aut singularem eloquentiam accesserit? Quis multis jam annis philosophus veterum Aristotelis hypophetarum, Alexandri Ammonii, Themistii, Simplicii, & talium aut acumen ingenii aut doctrinæ abundantiam, aut orationis dignitatem adæquavit? Qui eum de rebus in naturæ obscuritate retrusis ac reconditis ita dissererent, ut se a vulgo quam longissime abducerent, tam multis quasi gemmis multiplicis ac variæ eruditionis distinguebant atque illuminabant disputationes suas, ut etiam, qui a severitate philosophiæ abhorrebant, ipso tamen dicendi genere caperentur. Themistii quidem orationes dum lego, nullum ei sophistarum, qui hoc unum agebant, ut comte ac polite dicerent, antepono. At hodie plerique eorum, qui se pro philosophis venditant, cum ea docent, quæ cum didiceris, duplo stultior sis quam prius: tum in dicendo ita sunt hispidi atque agrestes, ut eos illud quicquid est pinguium litterarum, in culina, non in schola, didicisse arbitreris. Adhuc de Græcis loquor: & fuit sane laus hæc mundioris ac nitidioris doctrinæ perdiu Græcorum propria. Illic elegantiæ sedes, litterarum domicilium, museum orbis, eruditionis emporium, Musarum & Gratiarum omnium augustissimum quoddam sacrarium fuit usque eo, dum misera gens ultione,

ut

ut opinor, divina, quia se ab Ecclesiæ Romanæ obedientia, id est, a Christi jugo subduxerat, ab impurissimo tyranno sub jugum teterrimæ servitutis redacta est. Ex illo tempore siluerunt illæ luscinіæ, quæ cœlum ac terras cantu suo mulcebant; conticuit vocalis ille Sirenum chorus; illi nitidissimi fontes, qui totum hominum genus elegantiore doctrina irrigabant, exaruerunt. Romani & serius attigerunt litteras, & si verum amamus, aliis rebus, melioribus forsitan & præstantioribus, (nihil enim impedio, sed certe aliis,) occupati, minus operæ ac studii ad Philosophiam & ad totum hoc mansuetiorum artium genus contulerunt. Neque non tamen hi quoque habuerunt suos, qui planum facerent hominibus nostris ad Græciam hac quoque in parte ad æquandam, non tam ingenium quam voluntatem defuisse. Et hac quidem quam dico eruditionis copia & varietate duo præcipue commendantur a veteribus P. Nigidius Figulus, & M. Terentius Varro. De quibus, quanti fuerint, eo minus judicare possumus, quod alterius prope omnia, alterius plane omnia scripta perierunt. Tanta fuit in hominibus insequentis ævi socordia, tanta cœcitas perversitasque judicii, ut cum multa studiose ac diligenter conservata sint, quæ perire præstiterat, ea perierint, ex quibus plurimum utilitatis percipi poterat. Sed ex iis qui supersunt, duos præcipue admirari soleo, philosophum Senecam & naturalis historiæ scriptorem Plinium. Quorum ille cum se Stoicorum sectæ addixisset, non tamen cæteras philosophorum disciplinas neglexit, neque Zenone, Chrysippo, Cleanthe, Panætio, cæterisque suis contentus fuit: nec illos modo majorum gentium, Democritum, Platonem, Aristotelem, Theophrastum, sed hos quoque minutos, & ut cavillator aliquis vocaverit, patellarios philosophos, Epicurum, Metrodorum, aliosque ex eadem popina & iisdem hortis, ita versavit, ut quicquid boni ex eorum unoquoque aut ad orationis ornatum, aut ad obscurarum & involutarum rerum intelligentiam, aut ad vitam moresque formandos exprimi poterat, id omne summa diligentia excerptum, libris suis aptissime & elegantissime insperserit. Cumque Stoicorum, qui ante eum fuerant, arida, strigosa, & impolita, & quasi dumis ac vepribus obsita haberetur oratio, ipse contra in ea comenda, pectenda, polienda ita exquisitus & accuratus fuit, ut nimius in eo cultus ac luxuries reprehenderetur. Neque ulla magis alia res Quintilianum, gravem alioqui & sapientem scriptorem, adduxisse videtur, ut de Seneca minus honorificum judicium faceret, quam quod iniquo animo ferebat, immodico illius amore, veteres Oratores juventuti

excuti

excuti de manibus, ipsumque, quod ne Seneca quidem voluisset, plerisque jam præ eo sordere Ciceronem. Nam illud alterum hominis somnium, sive Gellium eum sive Agellium vocari placet, qui voluit ipse quoque attollere se, & nescio quid de Seneca loqui, nulla re magis quam contemptu ac silentio refutandum arbitror. Injuriam facit Senecæ, si quis pro eo tam infirmis obtrectatoribus respondendum putat. Illud vero promum condum rerum omnium scitu dignarum, illud receptaculum ingenuarum artium, illum eruditionis Oceanum, C. Plinium, quis unquam satis pro dignitate vel admirari vel celebrare poterit? Qui nullum unquam librum vidit, quem non legerit; nihil cognitu dignum legit, quod non excerpserit; nihil excerpsit, quod non in literas retulerit. Itaque unum ipsius opus, quod de plurimis extat, naturalis historiæ instar ingentis bibliothecæ videri potest. Sed quo admirabilior & prædicatione dignior illorum industria est, eo magis accusanda nostra omnium ignavia: qui tot adminiculis fulti, tanta librorum copia instructi, tot tamque illustribus exemplis ad imitandum propositis, torpemus tamen, & in inerti atque inglorio consenescere otio malumus, quam per illorum vestigia gradientes, explere animos nostros illo suavissimo pastu cognitionis ac scientiæ, & quanto homines cæteris animantibus antecellunt, tanto supra vulgus hominum eminere. Non amamus litteras, Auditores; non amamus studia doctrinæ; nihil altum, nihil arduum, nihil glorioſum cogitamus: quod si faceremus, jungeremus noctes diebus, noctibus dies, & discendi cupiditate incensi omnes corporearum voluptatum illecebras, omnem laboris asperitatem præ doctrina contemneremus. An mercatores opum parandarum gratia, tam multas, tam longinquas, tam periculosas peregrinationes suscipiunt; domum, uxorem, parentes, liberos relinquunt; ventis, fluctibus, piratis ac prædonibus vitam suam committunt; perpetuum prope sibi exilium indicunt: nos, si ita sapientiam amaremus, ut illi opes amant, ullum ejus comparandæ caussa laborem refugeremus? Venatores in nive pernoctant, famem, sitim, frigus, vigiliam ferunt, cum apris, cum ursis aliisque indomitæ feritatis animalibus de vita sæpenumero decernunt ac dimicant: nos, si quanto illi ad prædam, tanto ad eruditionem ardore ferremur, ullam nobis, ne ad eam perveniremus difficultatem obstare pateremur? Insanum ac libidinosum adolescentem, cum ad puellam, quam amabat, aliter pervenire non posset, singulis noctibus mare illud, quod Europam ab Asia dividit, natando transire solitum accepimus. Quod in eo stulta & inconsulta cupidi-

cupiditas potuit, ut, dum potiretur amoribus suis, nihil tanti putaret: cur idem in nobis amor virtutis ac scientiæ, si eam vere & ex animo amaremus, non efficeret? Ita est profecto, ut dicam, Auditores. Nihil amori difficile, nihil arduum, nihil impervium est. Neque illi poëtæ frustra alas addiderunt. Volat, si quo aliter perveniri non potest. Sed amor sapientiæ nullum vestrum ad ossa tetigit, nulli vestrum medullam animæ facibus suis perussit. Quid, quæso, est? quid iste sibi quorundam fremitus vult? Æquo animo accipietis istam contumeliam, juvenes, an mendacii coarguere ac convincere me connitemini? Utinam velitis, charissima mihi capita! posse enim scio. Utinam vobis Deus istam mentem immittat; ut quasi coitione quadam ac conspiratione facta mecum hoc anno contendere instituatis, plus ne ego laboris & operæ ad docendum, an vos studii & alacritatis ad discendum conferatis! O insuavem mihi & injucundam pugnam, si vicero: acceptam & exoptatam, si victus discessero! Habituri autem sumus hujus certaminis nostri agonothetam Gregorium Pontificem modis omnibus maximum: qui, ut Achilles Homericus præmia & victoribus ponit & victis, ita ipse, pro suo erga honestas artes incredibili amore, & vobis, si vincetis, & mihi, si vincar, ampla præmia constituturus est. Quamquam ego quidem, dum vos victores videam, nullum mihi aliud præmium posco: plus enim jampridem sum illius inexhausta liberalitate, quam quantum promerebar, consecutus. Tu vero, Paule Foxi, vir & generis nobilitate, & splendore vitæ, & dignitatis gradu & virtute atque doctrina, Illustrissime, suscipe patrocinium nostrum! Confirmato sanctissimo seni, & floridissimam hanc juvenum coronam, quam ex ore meo pendentem vides, tum ipsius virtutis pulchritudine invitatam, tum tuo, ac tui similium exemplo ineitatam, flagrare studio earum artium, quarum ipse præcipuus fautor est; & me, quamquam ætate jam ad senium inclinata, & quietis aliquid, post confecta tam multa stipendia, postulante, moriturum potius, quam commissurum, ut tam pro lixæ ipsius ac beneficæ erga me voluntati per ignaviam & frigam laboris parum respondisse videar. Ita adolescentes, (jam enim, ut dici tempus est, diutius detinendi non estis,) curate animos, & crastino die hac ipsa hora ad persequendos mecum Taciti annales læti atque alacres convenite!

Cum

Cum interpretari inciperet epistolas Ciceronis ad Atticum.

ORATIO XIX. (alias XVI.)

Habita Romæ Prid. Non. Novembr.

Anno cIↃ IↃ Lxxxii.

LUdere quibusdam fortassis, & devexa jam in senium ætate, caussam minuendi laboris quærere videbor, qui usque ante hac in gravissimis præstantissimorum scriptorum libris, eorum qui ad me ventitabant, industriam exercere solitus, hoc anno Ciceronis epistolas ad Atticum mihi sumpserim interpretandas. Ita enim vulgo persuasum est, omnem epistolarum lectionem leve quiddam ac lubricum esse, magisque ad pueriles animos aliquo litterarum gustu imbuendos, quam ad retinenda graviorum virorum studia accommodatum. De qua opinione, vera nec ne sit, quæremus postea. Nunc hoc dico: si maxime fatear, quæsiisse me rationem aliquam, qua, sine ulla utilitatis publicæ deminutione, pars mihi laboris aliqua demeretur, qui tamen eo nomine me reprehendat, nimis eum agrestem atque inhumanum fore. Nam cum me populus Romanus hos prope jam viginti annos viderit ita perpetuo mandatum mihi munus obeuntem, nemo ut unquam, qui quidem hanc provinciam sustineret, aut plures, aut graviores scriptores, aut majori omnium ætatum, omniumque ordinum concursu interpretatus sit: quæ invidia fuerit, natu jam, grandiorem, minusque indies perferendis laboribus idoneum mollioris ac remissioris operæ aliquid sumere? Ut corporum, sic & animorum non eædem exercitationes omnem ætatem decent. Cursus, lucta, juculatio, discus, harpastum juvenilibus viribus ac lacertis conveniunt: senibus apricatio, ambulatio, gestatio, magis congruit,

gruit. Veterani olim, quanquam sub signis haberentur, graviorum tamen laborum immunes erant. Roscius fabularum actor ita excellens, ut ex eo, quicunque artificio aliquo longe præstabat cæteris, in suo genere esse Roscius diceretur: hic ergo Roscius, cum ad senectutem perveniisset, incidisse numeros ac cantus, ipsasque remissiores feciisse dicitur tibias. Quod histrioni licuit, cur honestissimarum artium doctori non liceat? His & ejusdem generis aliis argumentis uterer, si, quod hujus factum est, mea caussa factum esse profiterer. Sed longe alia mihi mens fuit, cum hoc consilium cepi. Judicavi paucissimos libros posse reperiri, ad præstandum id, quod a me exigitur, quodque ego omni ope efficere molior, accommodatiores. Certe enim mandatum mihi publice est, ut vos, quantum in me situm est, ad eloquentiam informem. Recte autem & vere dicebat Cæsar, delectum verborum esse originem eloquentiæ. Idemque multo ante cum Aristoteles docuerat, qui cum elocutionis præcepta Græce traderet, primam illius virtutem esse dixerat, ἑλληνίζειν, id est, Græce ita loqui, ut oratio nihil barbarum, nihil insolens, absonum, peregrinum habeat, sed & singularum vocum elegantia & earum structura ac collocatione, natam esse in media Græcia ostendat. Qui ergo latina lingua eloquentes esse meditantur, iis hoc primum elaborandum est, ut latine, pure, & quam maxime ex veterum Romanorum usu ac consuetudine loquantur. Nolite autem putare, laudem illam, quæ quasi sanitate, & integritate, ac castimonia latini sermonis continetur, aut parvam aut facile parabilem esse. Cum post restitutas a Medicea potissimum familia litteras, infinita quædam vis extiterit hominum in omni genere eruditorum, cumque & nostra & patrum memoria homines summis ingeniis præditi tam multam in latine loquendi studio operam

ram posuerint, ut id prope unum operis haberi viderentur: pauciſſimi tamen, quorum ſcripta, non dico ſermonis vitiis careant, nam hoc quidem illorum nemini contigit, ſed aliquam ſaltem priſcæ illius & nativæ latinitatis imaginem contineant, extiterunt. Ut Græci proverbio dicunt, multos eſſe, qui thyrſum ferant, ſed paucos Bacchos: ita multorum falſa quadam latini ſermonis ſpecie inducta & oblita oratio eſt, paucorum latina. Duo in Italia ſummi viri duces cæteris ad hanc laudem capeſſendam, & quaſi anteſignani fuerunt, Jacobus Sadoletus, & Petrus Bembus: qui etiam propter ejusdem ſtudii ſimilitudinem Chriſtophorum Longolium Belgam in deliciis prope atque in amoribus habuerunt. Non ita multo poſt magno in pretio fuerunt duo hujus facultatis præcipui doctores, Patavii quidem Lazarus Bonamicus, in hac autem urbe Romulus Amaſæus: quorum in illo fœcunditatem ingenii admirareris, diligentiam & accurationem requireres; in hoc nihil admodum quod ad boni & ex omni parte perfecti doctoris commendationem pertineret, deſiderares. Brevi igitur innumerabilis quædam hominum multitudo per Italiam effloruit, qui illorum exemplo incitati, horum diſciplina ac præceptis exculti, ad hanc bene latine loquendi ac ſcribendi laudem incredibili ſtudio incumberent: cum & Venetiis Jovita Rapitius & Patavii Benedictus Lampridius, & alii præſtantes viri ſitienti juventuti fontes eloquentiæ recluderent, & a principibus maximi honores iis, qui latinam linguam egregie præter cæteros callerent, proponerentur. Et tamen in tanto ardore animorum, tanta ingeniorum contentione atque æmulatione, tantis propoſitis præmiis, nemo adhuc extitit, cui ſimpliciter & ſine ulla exceptione ea laus tribui poſſit, ut bene latine ſcripſiſſe dicatur. Proxime quidem veterum gloriam acceſſerunt, & ii, quos modo nominavi, alii ſatis multi:

multi: neque immerito commendati sunt aut is, qui pauca quidem scripsit, sed in scribendo omnium politissimus maximeque limatus, idemque ab omnibus ineptiis remotissimus fuit, Joannes Casa, aut vir in scribendis epistolis latinis singulari lepore ac venustate præditus, Paulus Manutius. Qui tamen quemadmodum illud consecuti sunt, ut hæc laus vere ac merito propria Italiæ haberetur, eique cæteræ omnes nationes scribendi elegantia facile cederent: ita illud negari non potest, multos nævos, multasque maculas, quod bona omnium venia dictum sit, illorum omnium scriptis aspersas esse, quæ planum faciant, illos vidisse quidem quid optimum esset, & viam, quæ ad illud ferret, ingressos longe processisse: sed longe tamen ab eo, quo intendebant, substitisse. Neque hoc eo dico, ut de summorum virorum gloria quidquam propterea detraham: quos & admiror ipse & ad eorum persequenda vestigia cohortari vos volo; sed ut intelligatis, minime vulgarem esse eam laudem, quam tot ac tales viri, tantis laboribus tantoque studio, plenam tamen ac solidam consequi non potuerint. Nunc quod dicturus sum, nolim a quoquam durius accipi, sed ita potius, ut profectum ab optimo erga vos animo & a singulari quadam mea erga nomen Italicum voluntate. Qui enim in Italia diutius aliquando quam in Gallia, ubi natus sum, vixerim, & jampridem in hac orbis terrarum nobilissima urbe sedes ac domicilium collocarim, facere neque possum, neque debeo, quin & Italiam totam, & præcipue urbem Romam pari ac patriam pietate ac studio colam. Doleo igitur & indignor, cum, quæ laus nostra ac patrum memoria, propria, ut dixi, Italorum fuit, ut soli ex omnibus Latina lingua perite ac scienter uterentur, eam nunc ita obsoleviſſe ac propemodum evanuisse video, vix ut jam

tota Italia pauci quidam ſenes, qui eam utcunque ſuſtineant, reperiantur. Interea exteræ nationes, &, ut vulgo in Italia vocantur, barbaræ hanc poſſeſſionem gloriæ, tanquam a vobis pro derelicta habitam, occuparunt: jamque non obſcure Latinæ linguæ uſum & intelligentiam migraſſe ad ſe, relicta Italia, gloriantur. Hanc vos tantam indignitatem feretis æquo animo, juvenes, ac non potius omnes nervos ingenii contendetis, ut ſtolidam illam agreſtium hominum vobis inſultantium ſuperbiam retundatis? Expergiſcimini, expergiſcimini, adoleſcentes, &, ſi quid in vobis Romani ſanguinis, ſi quid avitæ virtutis eſt, incumbite ad eam gloriam, quæ veſtri generis ac nominis propria eſt, ex alienarum gentium manibus extorquendam! Mihi credite, ſi ſemel penitus imbibatis id perficere, ſi ſocordia & ignavia valere juſſis naviter opus hoc urgere inſtituatis, ſi frenum, ut dicitur, mordeatis: brevi futurum eſt, non modo ut nuper amiſſa ornamenta recuperetis, ſed etiam ea magnis ac luculentis acceſſionibus locupletetis. Ego quidem, quoniam ad pure & emendate loquendum, quod hujus conſilii atque incepti fundamentum eſt, nullius omnino libri lectionem utiliorem, quam epiſtolarum ad Atticum judico, quoniam eas latinæ linguæ ſtudioſis pervolutandas, manibus atque oculis conterendas, ad verbum, ſi fieri poſſit, ediſcendas cenſeo, idcirco earum interpretationem ſuſcepi, nihil veritus eorum ſtultitiam, qui ſpecioſa utilibus anteponentes, ita me, quaſi quiddam hujus loci auctoritate inferius ſuſceperim, criminantur. At itidem me ſuperioribus annis, cum Ariſtotelis libros de moribus, cum Platonis libros de Republica, nuper etiam cum Tacitum interpretarer, ita calumniabantur, quaſi omiſſis iis, quæ juventuti utilia forent, ea quærerem ac conſectarer, in quibus oſtentare me, & venditare populo poſſem. Quid iſtis canibus facias? aut quomodo

modo te aliter, quam contemtu, ab eorum latratibus vindices? Præclare Aristoteles, cum idem ab aliis avarus, ab aliis prodigus haberetur, argumento id esse ait, eum liberalem esse. Ita isti, cum me nunc ut nimis sublimia petentem, nunc ut me justo inferius demittentem culpare instituunt, ut mihi quidem tum demum medium secare videar, efficiunt. Magis me movent, exempla eorum, qui memoria nostra primos ordines in litteris duxerunt: quorum ut quisque doctissimus habitus est, ita plurimum operæ in his epistolis collocavit. Nunquam me pigebit eis in libris exerceri, in quibus duo ingenia decora Italiæ, Petrus Victorius, & Paulus Manutius, acutissimus Jurisconsultus Antonius Goveanus, Sebastianus Corradus, Leonardus Malaspina, lumen & ornamentum Galliæ Hadrianus Turnebus, aliique, quos enumerare longum est, ita desudarunt, ut præcipuam sibi materiam gloriæ in eis emendandis & illustrandis quæsiisse videantur. Quos si duces non sequerer, unum tamen opponerem, cujus auctoritas frangere, debilitare, obterere, omnes contra sentientium rumusculos posset. Hujus enim consilii mei non approbatorem modo & adstipulatorem, sed auctorem, ac laudatorem habeo illum uberrimum disciplinarum omnium fontem Gulielmum Sirletum Cardinalem, cujus auctoritati dum paream, nunquam magnopere, quid alii de me judicaturi sint, laborabo. Sequitur nunc, ut iis obtrectatoribus respondeam, qui omnem epistolarum lectionem leve quiddam ac prope nugatorium esse ajunt: quo tanquam lacte puerili, non ut solido cibo, etiam grandiores ali debeant. In quibus hoc primum est quod admirer: cum sermonis usum unum de præcipuis a Deo in hominem collatis muneribus esse fateantur, quomodo de scriptione epistolarum aliter sentire possint. Ut enim sermone inter præsentes, ita epistolis inter absentes ani-

mi sensa communicantur. Per epistolas mercatura exercetur, qua si careremus, innumerabilibus commodis careremus; per epistolas pater cum liberis, vir cum uxore, fratres ac propinqui inter se tum quoque, cum multi inter eos montes multaque maria interjecta sunt, ita colloquuntur, ut una omnes domi esse videantur; per epistolas & indicuntur & geruntur bella, paces componuntur, inter remotissimas nationes constituuntur societates, fœdera feriuntur; amicitia, quæ condimentum vitæ est, quo sublato vita quidvis potius quam vita fuerit, nullo magis adminiculo quam mutuis epistolis continetur. Itaque si epistolarum usus tolleretur, commercium quoque & naturalis illa hominum inter ipsos societas tolleretur. Sunt ista, dicet aliquis: sed tamen epistolis sua quisque negotia committit; graves & arduæ disputationes, & ad quas percipiendas doctore opus sit, epistolis mandari non solent. Hoc si quis de toto epistolarum genere dicere audeat, ablegabo eum ad Platonis, Isocratis, Senecæ & talium epistolas, quæramque numquid illas quoque de rebus vulgaribus & cuilibet sine doctoris opera perspicuis scriptas putet? jubebo inspiciat illam, quæ a Cicerone ad Q. Fratrem in Asiam missa est: qua vir non eloquentissimus tantum, sed etiam tractandæ Reipublicæ peritissimus omnia complexus est, quæ præstari debent ab iis, qui magnis provinciis summo cum imperio præsunt. Nam illo quidem argumento vix in tam levi caussa utendum puto, quod præcipua religionis nostræ mysteria a sanctissimis illis æternæ veritatis doctoribus, qui nobis ad adspiciendam viam, qua iretur in cœlum, facem prætulerunt, epistolis inclusa sunt. Quisquamne ita impie temerarius est, ut cum illorum procerum, Basilii, Nazianzeni, Cypriani, Ambrosii, Hieronymi, Augustini, Gregorii & similium epistolas si minus legerit, extare tamen audierit, totum epistolarum

rum genus contemnere audeat? At in his Ciceronianis nihil simile; scripta enim sunt de rebus fere domesticis ac familiaribus simplici & sponte fuso dicendi genere, ad hominem usu domestico & intima familiaritate conjunctum. Hoc si faterer, tamen eas dignas, quæ diligenter & accurate legerentur, esse contenderem. Vere enim hoc sapientissimus scriptor Xenophon principio ejus libelli, qui Convivium inscribitur, scriptum reliquit, magnorum virorum non seria tantum, sed & joca cognoscere operæ pretium esse: quod ex his quoque utilissima ad vitam exempla capiantur. Narrat alicubi Horatius, Scipionem & Lælium interdum discinctos, dum olus decoqueretur, ludere & nugari: Cicero etiam legendis ad Lucrinum conchis & umbilicis animum relaxare solitus. Quis nostrum non quolibet pretio emat, ut interesse talibus ludis queat, & eas fabellas audire, quibus tales viri inter se jocabantur? Præclare Plutarchus in Alexandro: *Non*, inquit, *ut quæque maxime illustris actio est, ita maxime ingenium hominis patefacit: imo vero interdum exiguum aliquod factum dictumve, aut jocus aliquis magis detegit hominis mores, quam urbium expugnationes, & pugnæ, in quibus multa hominum millia ceciderunt.* At cum Principes viri publicis se negotiis subduxerunt, & exclusis admissionibus, paucos quosdam deligunt, quibuscum libere ac familiariter jocentur, invidemus iis, qui admittuntur ad interiores illorum sermones, eosque beatos esse, ac cœlum digito contingere putamus: nos si ad Ciceronis & Attici arcana penetrare, eosque nunc jocantes nunc inter se qua publicis, qua domesticis de rebus colloquentes audire liceat, parvi id esse ducemus? Sed longe aberrant a vero, si qui res tantum domesticas, & familiares jocos his epistolis contineri putant. Historia illorum temporum, quibus imperium orbis terrarum immutatum est, & vel eversa, vel certe con-

versa ea respublica, quæ ita bonis legibus atque institutis fundata erat, ut in perpetuum duratura videretur, non aliunde melius quam ex his libris percipi potest. Tum præterea Ciceronis admirabilis prudentia, & scientia Reipublicæ tractandæ nusquam se magis quam in his epistolis prodit. Quod ne quis me temporis caussa confingere arbitretur, præstantis viri & illorum temporum æqualis Cornelii Nepotis verba ipsa recitabo, quibus suum de illis judicium posteritati contestatum ac consignatum reliquit. Qui in Attici vita cum inter Ciceronem & Atticum summam conjunctionem animorum fuisse dixisset: *Ei*, inquit, *rei sunt indicio, præter eos libros, in quibus de eo facit mentionem, qui in vulgus sunt editi, sexdecim volumina epistolarum ab consulatu ejus usque ad extremum tempus ad Atticum missarum: quæ qui legat, non multum desideret historiam contextam eorum temporum. Sic enim omnia de studiis principum, vitiis ducum, æmulationibus in Republica perscripta sunt, ut nihil in iis non appareat: & facile existimari possit, prudentiam quodammodo esse divinationem. Non enim Cicero ea solum, quæ vivo se acciderunt, futura prædixit, sed etiam, quæ nunc usu veniunt, cecinit ut vates.* Hæc Nepos, cujus non vanam esse prædicationem, res ipsa quotidie ostendit. Ad eas causssas, quas attuli, cur in his epistolis mecum pervolutandis cupide versari debeatis, accedit hæc quoque, quam, dubitavi equidem num adferre deberem, ne vineta mea, ut ajunt, cædere, & de ea ipsa facultate, cujus opinio, falsa fortasse, (neque enim impedio,) sed opinio tamen, ad aliquam, me provexit hominum famam, quippiam detrahere viderer. Sed vincat veritas, quæ aliis omnibus rebus præponderare debet, præsertim cum de commodis vestris agatur. Hodie adolescentes, si verum amamus, omnis prope usus eloquentiæ, præterquam in scribendis epistolis, ita de medio sublatus est, ut

ut nec vola nec vestigium appareat. Dominabatur olim in judiciis: regnabat in consultationibus: vincebat fere ea causa, quæ eloquentiorem patronum nacta erat.

Sed hæc prius fuere: nunc recondita,
(Ut de phaselo ait Catullus,)
Senes quiete.

Judicia, Romæ saltem, ita exercentur, ut in eis nullus plane locus eloquentiæ sit. In deliberationibus de magnis & seriis rebus, quid quisque dicat, non quam ornate dicat, attenditur. Recte omnino, neque enim negari potest: sed tamen isto modo magna disertis hominibus subtracta materia est. Eloquentia, quasi ætatis beneficio immunitatem consecuta, jussa est oblectare se in his nostris scholasticis ac pulverulentis disputationibus, in sacris concionibus, quæ ad populum habentur, & interdum in gratulationibus, quæ fiunt ad Principes, aut in eorum funeribus exornandis. Ita ex illis tribus Aristotelis dicendi generibus solum epidicticon, quod olim minimi pretii habebatur, in usu relictum est. Manfit tamen illud, ut, qui bene, id est, tum diserte, tum prudenter, & ad res, ad personas, ad tempora accommodate epistolam scribunt, facillime ad intimam principum familiaritatem perveniant, & ad maximarum rerum tractationem adhibeantur. Hac facultate c[illegible] alii, tum Jacobus Sadoletus, & Petrus Bembus viam sibi ad dignitatem summæ proximam munierunt. Nolo de viventibus dicere, ne aut adulari videar, aut aliter eos laudem, quam ipsi fortasse laudari se volunt. Vos adolescentes, (vestra enim res agitur, & satis jam verborum factum est,) adjuvate attentione vestra industriam meam: & mihi hoc credite, integritatem latinæ linguæ cognitionem antiquitatis, prudentiam in rebus gerendis, ex nullo Ciceronis libro posse a vobis melius aut facilius, quam ex his epistolis comparari. Cuperem, Pau-

le Foxi, vir non tantum in primis illustris, sed ad illustrandum hoc seculum nate, novo quodam & minime vulgari modo tibi, quem nihil obsoletum, nihil vulgare delectat, gratias agere, quod talis tantusque vir, omissis negotiis, quibus assidue distineris, honoris mei caussa, hodie multum deprecante me ne id faceres, huc tamen venire volueris. Sed cum animum in omnes partes versavi, nihil, quod te dignum sit, excogitare possum. Tacebo igitur, & hoc toto genere gratiarum actionis supersedebo. Nisi forte hoc ipsum novum quoddam gratias agendi genus est, cum is, qui beneficium accepit, magnitudinem illius verbis a se coæquari non posse confitens, conticescit.

Repetiturus libros Aristotelis de moribus.

ORATIO XX. (alias XVII.)

Habita Romæ prid. Non. Nov.

Anno cIↃ IↃ Lxxxiii.

PRimum quidem Deum immortalem veneror, Auditores, ut si hos viginti annos, quibus huic muneri præfui, pro singulari erga me pop. Rom. charitate ac benevolentia, proque maximis in me cum aliorum Pontificum, tum præcipue Gregorii XIII. Principis immortalitate dignissimi beneficiis eo semper animo fui, ut de utilitate vestra non minus sæpe quam de mea cogitaverim, ut nunquam rationes meas vestris anteposuerim, ut semper eam docendi rationem tenere studuerim, non quæ aut minus laboris aut plus ostentationis habitura, sed quæ vobis plus veræ ac solidæ eruditionis paritura videretur: ita me, quod reliquum est ætatis, in ejus-

ejusdem muneris procuratione placide ac tranquille exigere patiatur; deinde autem ut vobis omnibus inspiret amorem erga honesta studia, & cupiditatem ea in isto ætatis flore discendi, quæ vobis aliquando tum privatim, tum publice & utilitatis & dignitatis plurimum allatura sint. Quod cum peto, non tantum vestra, sed etiam mea causa peto. Nam cum quietis ac tranquillitatis meæ, cujus & semper natura amans fui, & hac ingravescenti ætate quotidie magis indigeo, magna pars in eo posita sit, ut, a vobis attente ac libenter audiar; non dubito, quin id facile impetraturus sim ab iis omnibus, qui ipsi prius a se, ut se ament, neque unquam per ludibrium & pervicaciam animi & suis & alienis commodis obstare cupiant, impetrarint. Quam spem cum de vobis hujus annui curriculi nostri principio, ut si unquam alias, aut potius majorem quam unquam alias, animo perceperim: obsecro obtestorque vos, Auditores, ut vel mea causa, vel vestra, vel etiam tot virorum dignitate præstantium, quos hodierno die huc convenisse & industriæ meæ judices atque arbitros & modestiæ vestræ testes ac spectatores futuros videtis, eam unius horæ attentione ac silentio comprobetis. Etenim qui pulcherrimos & a me semper in prima commendatione habitos libros Aristotelis de moribus ad Nicomachum, quos vicesimo abhinc anno ex hoc ipso loco interpretari cœpi, nunc denuo (quod Deo volente ac propitio fiat!) interpretari constituerim, cum sciam hoc consilium meum non prius quam hesterno die plerisque vestrum notum esse potuisse; ideoque multos esse, qui non modo meditati ac parati, ut par est, huc venire, sed vix libros sibi prospicere potuerint: decrevi hodie, quæ illorum librorum propria sunt, non attingere, sed universe ac communiter de toto studiorum nostrorum ratione disserere, & quærere, verane an falsa sint ea, quæ plerique

rique putant de cauſſis, cur hodie neque tam docti, neque tam diſerti homines, quam olim fuerunt, reperiantur. Sæpe enim interfui querelis eruditorum & ingenioſorum hominum, qui de temporum noſtrorum infelicitate quererentur: quod cum & ingenia nihilo quam antiquitus deteriora ſint; & aliis majoribus & magis arduo ac difficiliore in loco poſitis virtutibus, ætas noſtra facile vetuſtatis gloriam æquaverit; ſiquidem & rei militaris ductandorumque exercituum & reipublicæ in pace atque otio tractandæ ſcientia, ſatis multi memoria noſtra, qui nulli veterum cederent, extiterunt: hac molliore, ut videtur, & parabiliore eloquentiæ & eruditionis laude, nemo prorſus exoriatur, qui antiquitati controverſiam facere audeat; ſed præclare ſecum actum eſſe ducant, ſi qui hoc tempore multo ſudore multisque vigiliis hoc conſecuti ſunt, ut a veterum præſtantia non longiſſime abeſſe videantur. Atque illud quidem facile conveniebat inter omnes, non eandem eſſe diligentiam in hominibus noſtris, quæ in veteribus illis, quos admiraremur, fuiſſet; merito abeſſe nos ab illorum gloria, quorum non imitaremur induſtriam, labore venalia eſſe præclara omnia; inique facere qui induſtriorum præmia peterent otioſi; neque eſſe quod quisquam noſtrum ſibi blandiretur, aut cujusquam e noſtris ſtudium & diligentiam cum illa veterum pertinaci & indomita diſcendi cupiditate contenderet. Illos incenſos & inflammatos amore doctrinæ, omnibus ſibi aliis voluptatibus interdixiſſe, rei familiaris curam abjeciſſe, cibo, potu, ſomno ſapientiſſime abſtinuiſſe, omne ſibi tempus perire ratos, quod non in ſtudio poneretur, non modo valetudinis diſpendio, ſed ipſius vitæ periculo bene emi putantes, quod tam ferventer adamaſſent. Nos quod ſomno, quod voluptatibus, quod avaritiæ, quod ambitioni temporis ſupereſt, collocamus in litteris:

&

& cum quidvis potius agamus, miramur, impares esse nos iis, qui hoc unum agebant. Memoriæ proditum est, cum populus Athenienſis decreto caviſſet, ut capite lueret, ſi quis Megarenſis pedem in Aſtu intuliſſet, Euclidem qui indidem erat, Socratemque ante id decretum audire cœperat, cum ſermonibus illius carere nollet, quotidie, cum adveſperaſceret, tunica longa muliebri indutum & verſicolore pallio amictum, capite atque ore velato, Megaris Athenas ad Socratem commeare, & ſub lucem eodem ornatu ad ſuos redire ſolitum. Tanti putabat ſtudioſiſſimus adoleſcens aliqua ſaltem noctis parte Socratem audire, ut ea de cauſſa & ſingulis noctibus amplius quadraginta millia paſſuum conficere, & vitam ſuam in apertum diſcrimen exponere non vereretur. Mirum non eſt tanto nos eis inferiores eſſe doctrina, quanto doctrinæ amore inferiores ſumus. Sed de neglectu bonarum artium & de illo quaſi torpore ac veterno, qui jampridem juvenum noſtrorum animos occupavit, & dixi ſæpe alias, & dicturus ſum; ſi forte dicendo eum excutere & aliquos eorum, qui me audient, excitare ad vigilantiam poſſim. Alteram cauſſam eſſe dicebant, quæ profectus noſtros impediret, quod multo durior ac difficilior eſſet noſtra, quam veterum conditio. Illi enim eum ſermonem, quo in diſcendis tractandisque bonis artibus uſuri eſſent, a nutricibus cum lacte bibebant, a populo condiſcebant, neque aut Athenienſibus ut Attice, aut Romanis ut Romane loquerentur ſudandum; neque aut conſulendi magiſtri aut libri pervolutandi erant; a poëtis, quorum lectione puerilis ætas oblectari, & ad humanitatem informari ſolebat, & in quibus interpretandis nullum fere aliud Grammaticorum munus erat quam ut fabulas explicarent, & aliquas, ſi forte, peregrinas voces, quas illi gloſſas vocabant, & interdum genera quædam dicendi abſtruſiora,

&

& a vulgari loquendi consuetudine remotiora indicarent: ab eis igitur, prout cujusque ingenium, aut voluntas ferebat, aut ad politicos sive rhetores deducebantur; aut imbuti prius mathematicis disciplinis ad dialecticos & ad physicos sese applicabant: & verborum cura liberi ac soluti, ad res modo ipsas intelligendas ac pervidendas omnem industriam ac diligentiam conferebant. Qui eloquentiam adamarant, iis theatra, iis forum, iis curia pro schola; qui caussas diserte agebant, qui ad populum verba faciebant, qui sententiam de publicis negotiis dicebant, pro magistris erant; unum aliquem ex eis deligebant, quem colerent, quem sectarentur, cujus ad exemplum se conformarent, cujus consuetudine & disertiores fierent & sapientiores. Nos non unam, sed duas peregrinas linguas discere cogimur, neque peregrinas modo, sed jam pridem extinctas quodammodo, ac sepultas. Nam si aliqua urbs, aut aliqua gens esset, in qua vulgo homines græce latineve loquerentur: mitteremus eo pueros nostros, ut, cum a teneris unguiculis sermonis usum combibissent, grandiusculi de rebus modo ipsis cogitarent. Nunc nobis diutius luctandum ac sudandum est circa principia, & in ipsis, ut ita dicam, carceribus, quam priscis illis, ut a carceribus ad metam pervenirent. Nobis antequam latine aut græce balbutire possimus, multa cura, multis vigiliis, multis magistris opus est, & iis plerumque magistris meliorum inopia utendum, qui ad id, quod se docere profitentur, aliis ipsi magistris indigerent. Ita quam illi facultatem ac copiam sine ullo labore a matribus & a nutricibus, & a populo hauriebant: ejus nos ut umbram aliquam consequamur, meliorem ætatis partem in eo consumere cogimur. Itaque gravis illa conquestio, qua nobilis olim poëta Lucanus usus est in deploranda bellorum civilium calamitate:

Heu

Heu quantum terræ potuit pelagique parari,
Hoc quem civiles hauserunt sanguine dextræ;

ad noſtra quoque ſtudia non inconcinne accommodari poteſt. Sic enim & nos dicamus licet. Heu quantum rerum ac ſapientiæ parari potuit eo labore, qui neceſſario nobis ad intelligentiam uſumque linguarum capiendus fuit. Hæc una ratio tantum apud nonnullos potuit, ut publice perſuadere conati ſint, inutile eſſe totum illud ſtudium, quod in Græcis ac Latinis litteris poneretur; ſua cuique lingua Philoſophandum, ut & illi feciſſent. Non enim Democritum, Platonem, Ariſtotelem aut Hebræorum aut Ægyptiorum ſermone in diſputando aut in ſcribendo uſos eſſe: ſed eo, qui populariibus ſuis notus eſſet; neque Demoſthenem Perſica aut Macedonica, ſed Attica lingua habitum eloquentem; meram inſaniam eſſe tantum operæ ac temporis perdere, ut eum ſermonem intelligamus, eoque utamur, quo uti homines multis abhinc ſeculis deſierunt. Ne Demoſthenem quidem aut Ciceronem curaſſe, illum, quomodo Cecropis aut Theſei, hunc, quomodo Evandri aut Romuli temporibus cives ſui locuti eſſent; ſuæ quemque non gentis modo, ſed & ætatis ſermone, contentum eſſe oportere. Addebant id eo facilius factu eſſe hominibus Italis, quod præclara illa Græcorum Latinorumque monumenta jam pleraque omnia in eam linguam, qua vulgo utimur, converſa eſſent, ut illo peregrinitatis quaſi cortice ac putamine detracto nucleis veſci, & ut oſſe confracto ſuccum ac medullam ipſam exſugere liceret. A qua opinione quoniam ita diſſentio, ut avocandis a græcæ ac latinæ linguæ ſtudio adoleſcentibus ipſa fundamenta diſciplinarum convelli ac labefactari putem; neque ullam peſtem præſentiorem, aut ullum certius exitium omnibus ingenuis artibus adferri poſſe arbitrer, quam ſi linguæ illæ, quæ quaſi ſacraria

quæ-

quædam earum sunt, negligantur: exponam hoc loco breviter causas judicii mei, efficiamque, si potero, ut linguas quidem illas omni studio dignissimas esse, sed multa hoc tempore in earum tractatione peccari, liquido intelligatis. Duæ præcipue mihi quidem causæ esse videntur, Adolescentes, cur & græcam & latinam linguam amare, & in earum utraque præcipuum studium ponere debeamus. Una, quod græce & latine, græce quidem & plures & præstantiores, sed tamen latine quoque sat multi, ejusmodi viri scripserunt, ut propter admirabilem quandam sapientiam, (qua illi tanto supra cæteros mortales floruerunt, ut aliarum gentium homines cum eis collati, idiotæ quidam & agrestes fuisse videantur,) dignissimi sint, ad quos intelligendos omnis ab omnibus elegantioris ingenii hominibus opera conferatur. Nam si Platones, Xenophontes, Aristoteles, Theophrastos, addo huc etiam Plutarchos, Galenos, sed quo plures nomino, eo plures occurrunt digni qui nominentur, si tales etiam viros Italia extulisset, qui cogitationes suas perscripsissent eo sermone, quo vulgo Italia utitur: non ego quidem propterea ne sic quidem veteres illos sapientes patres ac duces negligendos dicerem; sed tamen æquiore animo ferrem, si quis Græco sermone accuratius discendo supersedere vellet. Nunc cum domi nata & vernacula omnia tanto jaceant infra illorum dignitatem, quanto imæ maximæque depressæ convalles infra editissimorum, cœloque, ut poetæ loquuntur, minantium montium cacumina: quis iste tam mollis ac delicatus, quis tam ab omni vera pulchritudine aversus est, qui laborem non maximum neque fortasse tantum, quantus vulgo putatur, ad illos maximos viros intelligendos capiendum neget? Quod & ipsum de vetere latina lingua dictum accipi volo. Nam ita me ille amet omnium præpotens Deus, Auditores, ut ego vobis

de

de meo sensu libere atque ingenue loquar. Si ex latinis scriptoribus neminem heberemus præter Ciceronem, Virgilium, Senecam, Livium, Plinium, Tacitum; & constat multos esse alios, qui in idem album referri queant: sed si eos solos haberemus, justa tamen mihi caussa videretur, cur ad eos intelligendos linguam latinam avide discseremus. Nunc accedit alia longe gravissima, quæ nos incendere utriusque studio debeat. Nam cum earum linguarum, quarum usus eruditis cum vulgo communis est, unaquæque & certis & augustis limitibus circumscripta teneatur, harum de quibus agimus usus toto propemodum terrarum orbe diffusus est. Italice loquentem soli Itali intelligent; qui tantum Hispanice loquatur inter Germanos pro muto habebitur; Germanus inter Italos nutu ac manibus pro lingua uti cogetur; qui Gallico sermone peritissime ac scientissime utatur, ubi e Gallia exierit, sæpe ultro irridebitur; qui Græce Latineque sciat, is quocunque terrarum venerit, non intelligetur tantum, sed apud plerosque admirationi erit. Atque hæc caussa vel maxima est, cur græce aut latine potius, quam italice aut gallice scribere, quicunque id egregie præstare possunt, debeant. Nam qui scribunt, aut utilitatem publicam, aut gloriam suam sequuntur. Si utilitatem publicam: certe multo pluribus proderunt, si ea lingua scribant, quæ apud omnes gentes, quibuscum modo aliquid nobis usus aut commercii est, intelligatur. Gloriam quoque suam longius latiusque diffundent, si ea scribant, quorum pulchritudo ab omnibus populis ac gentibus percipi queat. Ut igitur peregrinantibus optabile esset, reperire genus aliquod nummorum, cujus eadem apud omnes æstimatio esset; multoque libentius uterentur iis, quam illis qui tertio aut quarto quoque die, cum detrimento & cum molestia mutandi sunt, cum ibi tantum utiles sint, ubi im-

perat is Princeps, cujus in ditione cuduntur: ità nemo non videt, quanto commodius sit uti ea lingua, quæ in omni gente ac natione reperit aliquos, & quidem non ex fece vulgi, sed ex quaque honoratissimos quosque, a quibus sine interprete intelligatur, quam iis, quæ simul atque pedem ex hac aut illa provincia extuleris, alios atque alios interpretes requirunt. Quomodo ex hac florentissima & nobilissima urbe in omnes terrarum partes, quomodo ex omnibus terrarum partibus in hanc urbem legationes mitterentur, si aliam linguam, quam eam, cujus apud suos publicus usus est, nemo didicisset? Quomodo in illo augusto ac sacrosancto Cardinalium collegio de gravissimis rebus, & quas sæpe iis solis notas esse expedit, qui sententiæ dicendæ jus habent, deliberaretur, si quot ex nationibus consessus ille constat, totidem interpretes adhibendi forent? Qua in re majorem latinæ quam græcæ linguæ utilitatem esse fateor: intelligitur enim a pluribus. Itaque ad usum latina potior est; ad doctrinæ copiam græca. Argumenta, quibus nituntur, qui contrariam sententiam tuentur infirma prorsus & imbecilla sunt. Ajunt veteres illos, qui tanta in admiratione sunt, sua quemque lingua philosophatos. Ego autem ita respondeo: si illis quoque temporibus lingua aliqua fuisse communis omnium, qui ubicunque essent, eruditorum, ignota cæteris, quales hoc tempore græcam & latinam esse constat: non est dubium, quin ea potius cogitationes suas explicaturi fuerint, quam ea, quæ vulgo quoque communis esset. Nam ut Poetæ vulgus sibi invisum esse profitentur: ita ipsi quoque ad mysteria philosophiæ turbam admittendam non putabant; ideoque obscurabant ea de industria, alii numeris, alii allegoriis, alii tenebroso quodam dicendi genere, ut ostenderent se sapientiæ tantum studiosis scribere: quæ causa fuit Aristoteli, cur libros quosdam suos & editos esse,

& non editos diceret. Ajunt græcam latinamque linguam jampridem mortuas esse. Ego vero eas nunc demum non tantum vivere & vigere contendo, sed, si in translatione perstandum est, firma valetudine uti, postquam esse in potestate plebis desierunt. Quamdiu enim populari imperio regebantur, id est, quamdiu penes populum erat, ut ait Horatius, arbitrium & jus & norma loquendi, assidue agitabantur, fluctuabant, nihil habebant certum, nihil stabile, unum seculum eodem vultu durare non poterant: nunc ex quo ad optimates, ut ita dicam, redactæ sunt, & certis a scriptoribus petuntur, certis regulis ac præceptionibus continentur, multis jam seculis fixæ atque immutabiles permanent. Si in vulgi potestate manssissent, hodie Ciceronem non intelligeremus, quemadmodum ne Ciceronis quidem temporibus intelligebantur ea, quæ regnante Romulo aut Numa scripta erant; immo vero ipsas XII. tabularum leges pauci, qui intelligerent, reperiebantur. Et videmus, quæ vulgari lingua abhinc quadringentos aut quingentos annos scripta sunt, hodie non intelligi.

Ut sylvæ foliis, (ait Horatius) *pronos mutantur in annos,*
Prima cadunt: ita verborum vetus interit ætas,
Et juvenum ritu florent modo nata, vigentque.

Illæ igitur linguæ quotidie moriuntur, quotidie nascuntur, quæ pendent ex libidine imperitæ multitudinis: quas autem ex populi servitute eruditorum usus vindicavit, illæ non vivunt tantum, sed immortalitatem quodammodo & immutabilitatem adeptæ sunt. At quod temporis in linguis discendis consumitur, melius rebus ipsis cognoscendis impenderetur. Hoc argumentum ita demum aliquid valeret, si ab aliis scriptoribus verborum elegantia, ab aliis rerum cognitio peteretur. Nunc ita nobis a Deo consultum ac prospectum est, ut qui

græce latineque politissime scripserunt, iidem etiam sapientissime scripserint: ut non ab aliis verba, ab aliis rerum cognitionem petere oporteat; sed utraque ex iisdem fontibus eodem tempore haurire liceat. At omnia aut e græco sermone in latinum, aut etiam ax utroque in eum, qui laniis quoque & salsamentariis notus est, conversa sunt ita, ut aut neutro illorum opus sit, aut certe altero tantum. Heu me miserum! Cur non hujus loci consuetudo fert, ut possim, quantum cuperem, arbitratu meo dicere? Quomodo ego istos acciperem, qui interpretibus fidunt? Sed quando id facere temporis angustiæ prohibent, polliceor vobis, me, quæ dabitur dicendi occasio, in hoc argumento versaturum esse & ostensurum, quam necesse sit in crassissima rerum ignoratione perpetuo versari eos, qui præsidio interpretum freti græcæ ac latinæ linguæ studia negligunt; simulque indicaturum, quibus in rebus a plerisque in studiorum caussa peccetur, quæque veræ caussæ sint, cur ætas nostra tantopere veteribus cedat. Vos, auditores, efficite, ne vobis prior illa caussa, quam dixi torporis ac negligentiæ noceat. Afferte huc amorem doctrinæ! afferte diligentiam & attentionem! ego, ut quotidie vobis res attentione dignæ affatim suppetant, providebo. Idque eo magis, quod in his Ethicorum libris tantum usque a puero studii posui, ut nisi aliquid expectatione vestra dignum præstitero, recusare non debeam, quin hujus loci amplitudine parum dignus habear. Vos vero, ornatissimi viri, ignoscite, si, quod a vobis tam benigne auditus sim, ne gratias quidem vobis agendas putem. Nam sive oratio mea vobis molesta fuit, eo molestior erit, quo eam longius protraxero; sive quod magis cupio, quam spero, jucunda, videor jam vobis gratiam aliqua ex parte retulisse.

Cum

Cum in libro I. de Moribus Aristotelis perveniſſet ad locum cap. 3. quo Juvenis negatur idoneus eſſe Auditor Politicæ.

ORATIO XXI.

(jam addita e Commentar. in Ethic. in Ariſt. p. 35.)

ANcipiti hodie & periculoſo ac lubrico verſamur in loco. Nam cum Ariſtoteles ab auditione hujus Philoſophiæ uno verbo adoleſcentes arcere ac ſummovere videatur: vix videmur vitare poſſe unum de duobus incommodis, quin aut ſummi magiſtri auctoritatem non tanti facere judicemur, quanti eam fieri ab omnibus par eſt; aut quaſi vel tollamus ex anno, ita omnem florentem ætatem ab his diſputationibus removere atque ablegare cogamur. Sed & temerarii eſſemus, ſi Ariſtoteli audiremus refragari; & barbari plane atque inhumani, ſi lectiſſimorum adoleſcentum coronam, a qua tanto ſtudio auditorium hoc celebrari ac frequentari videmus, abſcedere, & tanta ſuſceptum alacritate hujus Philoſophiæ ſtudium in ipſo quaſi veſtibulo deſerere juberemus. Quare mediam quandam viam tenebimus, ut & Ariſtoteli tribuamus, hoc eſt, quantum debemus, quantum plurimum poſſumus; & incitemus potius veſtra ſtudia, quam retardemus, neque quicquam eorum, quæ hic ab Ariſtotele dicuntur, ad vos hinc aut excludendos aut amovendos pertinere doceamus. Quod dum facere conamur, non tantum quia multa nos, quæ & proſint, & delectent, dicturos eſſe confidimus, verum etiam, quia veſtra res agitur, petimus a vobis, ut nobis in cauſſa veſtra perpetuam, & nullis interruptam aut ſibilis aut clamoribus unius horæ attentionem ne denegetis. Primum autem Ariſtotelis verba ſigillatim, ut ſolemus, interpretabimur; tum ſententiam ipſius preſſe, breviter, enucleate tractabimus; poſtremo, quod nobis præcipuo propoſitum eſt, oſtendemus, non eſſe, quod quisquam veſtrum pervulgata illa opinione, qua adoleſcentes ad percipiendam hanc philoſophiam eſſe idoneos negant, ab illius ſtudio deterreatur.

Ait Ariſtoteles:

Διὸ τῆς πολιτικῆς &c.) Quocirca, inquit, adoleſcens non eſt Politices proprius, &, ut ita dicam, germanus Auditor. Nam in iis rebus, quæ geruntur in vita, rudis plane & inexercitatus eſt, at ex iis ſumuntur, deque iis agunt, quæcunque hic diſputantur.

Ἄπειρος) Animadverte, hic τὸν ἄπειρον opponi τῷ πεπαιδευμένῳ, ut magis intelligas πεπαιδευμένον dici τὸν ἔμπειρον ἀλλ' ἐ τὸν εἰδότα.

Ἐκ τέτων, καὶ περὶ τέτων) Illo dicendi genere principia, hoc conclusiones indicantur.

Ἔτι δὲ) Præterea cum proclivis sit natura ad animi perturbationes sequendas, frustra & inutiliter audiet: quandoquidem finis est non cognitio, sed actio.

Ἐπειδὴ τὸ τέλος) Ἅμα γὰρ εἰδῆσαι βελόμεθα, καὶ αὐτοὶ εἶναι τοιῆτοι, ait ipse in magnis Ethicis. Et in Eudemeis: ἐ γὰρ εἰδέναι βελόμεθα, τί ἐστιν ἀνδρεία, ἀλλὰ εἶναι ἀνδρεῖοι, ἐδ' τί ἐστι δικαιοσύνη, ἀλλὰ εἶναι δίκαιοι. Multis quoque locis idem in his ipsis libris confirmat: quos locos citat Themistius ἐν τῷ τεσσαρεσκαιδεκάτῳ λόγῳ. Videatur autem Aristoteles hoc oblique jecisse in Socratem, qui virtutes putabat esse ἐπιστήμας.

Διαφέρει) Nihil autem interest, inquit, ætate juvenis sit quispiam, an juvenili ingenio ac moribus. Nam ut juvenes minus apti sint ad disciplinam, non eo fit, quod satis diu non vixerint, sed quod animi permotionem in vivendo sequantur, & ad illius quasi arbitrium res persequantur. Nihil enim hujusmodi homines harum rerum cognitio adjuvat, ut neque incontinentes. At iis, qui appetitiones suas rationi obedientes efficiunt, illiusque præscriptum in agendo sequuntur, harum rerum tractatio mirificos afferet fructus.

Διώκειν) Quidam veteres libri, διοικεῖν.

Καὶ περὶ μὲν) Inverso ordine ea, de quibus hactenus disputatum est, ἀνακεφαλαιῆται.

Ἀποδεκτέον) Vetus interpres ἀποδεικτέον.

Nunc accedamus ad id, quod instituimus, ac primum disputemus de vi vocabuli νέος, ut intelligamus, de quibus hic Aristoteles loquatur. Νέοι interdum vocantur pueri usque ad annum decimum quartum, ut apud Homerum Οδ. τ.

Παῖδα νέον γεγαῶτα.

Et apud Platonem secundo νόμων cum ait: τὸ νέον ἅπαν ἡσυχίαν ἄγειν ἐ δύναθαι, ἀλλ' ἀεὶ κινεῖθαι. Hos si quis aptos neget esse ad hanc philosophiam, non repugnabimus. Satis enim est illi ætati, si bene instituatur, & eam disciplinam audiat, quæ, ut alibi diximus, constat solis ἀποτελέσμασι.

Νέοι

Νέοι dicuntur etiam grandiores, hoc est, usque ad tertiam hebdomada: ut cum Aristoteles in tertio horum librorum ait ex Homero, ἐυνῆς ἐπιθυμεῖν τὸν νέον καὶ ἀκμάζοντα. Et veteres Grammatici dicunt, νέον dictum esse ἀπὸ τῦ νέειν, ὅτι νέυσι καὶ πορέονται πρὸς ἄυξησιν. Ut hac ratione, quamdiu adolescunt, tamdiu νέοι vocari possunt. Videntur & supra illam ætatem νέοι vocari, ut in vetere versu:

Ἔργα νέων, βελαὶ δ' ἀνδρῶν, ἐυχαὶ δὲ γερόντων.

Et plane Pollux ait, νεανίσκον vocari ab anno vigesimo primo usque ad vigesimum octavum. Et ita dicit Cicero se adolescentulum dixisse pro Roscio Amerino: quam causam egit annos natus viginti septem. His positis, ajo, fieri non posse, ut Aristotelis verba περὶ πάντων τῶν νέων intelligantur, contendoque eos, qui excesserunt jam ex ephebis, neque longe absunt ab ea ætate, cum olim in hac urbe toga pura dari solebat, si bene educati sint, ita ut virtutem ament, & bene monentibus libenter pareant, aptos esse ad hanc philosophiam audiendam: idque probo his argumentis. Primum, quoniam, ut Æschines adversus Demosthenem ait, concinere oportere vocem oratoris & vocem legis: ita vitam philosophorum cum ipsorum oratione congruere ac concordare oportet. At illo modo vel maxime discreparent. Etenim omnes antiqui Philosophi semper versati sunt cum adolescentibus, semper in eis ad virtutem & ad honestatem instituendis elaborarunt. Socrates ipse, hujus philosophiæ pater, apud Platonem & apud Xenophontem cum grandioribus natu raro, cum adolescentibus, aut certe adstantibus eis & audientibus, prope semper de virtute disputans inducitur. Et in ipsis libris πολιτείας discedere Cephalum senem, Polemarchum autem ejus filium adolescentem in ejus locum succedere ac substitui videmus. Non ergo judicabant, adolescentes ad hæc audienda parum idoneos esse. Deinde Aristoteles ipse quando tandem hæc præcepta didicit? nonne cum adhuc esset τῶν νέων? Ammonius narrat, eum septendecim annos natum Athenas venisse, ac itare cœpisse ad Socratem, eumque per triennium audiisse; Socratem autem nullam nisi hanc Philosophiæ partem docuisse constat. Tertio non est dubium quin cognitio Philosophiæ moralis ordine ac tempore antecedat studium juris, cum jurisperiti hinc ducant principia disputationum suarum. At videmus multos adolescentulos aptos ad jus civile perdiscendum judicari. Itaque Justinianus, ut scitis, inscribit Institutiones suas studiosæ legum juventuti. Multo igitur magis idonei erunt

ad hanc philosophiam. Addo, ætatem illam non ad discendum modo, sed interdum etiam ad docendum, aptam reperiri. Etenim Nervam filium traditum est aut annorum septendecim, aut non multo majorem, de jure publice responsitasse. Præterea si adolescentes interdum apti sunt ad res maximas gerendas, multo magis apti erunt ad hæc præcepta discenda. Esse autem, documento fuerit vel P. Scipio Æmilianus, qui anno ætatis vigesimo quarto Consul creatus ea gessit, quæ ne hodie quidem sine admiratione legere possumus. Postremo cum hæc tota philosophia referatur ad actionem, quando agent homines, nisi, quid agendum sit, in juventute didicerint?

Sed intelligendum est, duo esse genera Auditorum: unum eorum, qui possunt etiam judicare de iis, quæ audiunt; alterum eorum, qui judicare quidem non possunt, sed satis est, si assentiantur, & vera credant esse ea, quæ docentur, magis ac magis id quotidie, cum ad res gerendas accesserint, cognituri. In illis præcepta hæc evidentiam quandam efficiunt; in his veram opinionem & assensionem. Non igitur simpliciter negat Aristoteles adolescentes idoneos esse auditores hujus philosophiæ: sed tantum negat eos tales auditores esse, ut ea, quæ hic traduntur, perfecte percipere, & de illis judicare possint. Quod autem addit, eos sine fructu audituros, cum animi perturbationes sequantur, id quomodo accipi debeat ostendit ipse, qui paulo supra admonuit, ea quæ dicturus fuisset, non semper, neque in omnibus vera esse, sed ὡς ἐπὶ τὸ πολύ. Nos autem fatemur quidem plerumque verum esse, quod ait Horatius, juvenes cereos esse ad vitia, monitoribus asperos: multos tamen novimus moderatos, & compositos, & tales, ut eorum adolescentia multorum senectuti exemplo esse possit. Ut ergo indomitis, & effrenatis, & rationis jugum detrectantibus hæc philosophia nihil prodesset: ita non est dubium, quin bene natis, bene educatis, virtutis amantibus, quales hic plerosque omnes esse confido, mirabiliter profutura sit. Ut igitur Plato τὸς ἀγεωμετρήτους excludebat a schola sua: ita nos non quidem omnes adolescentes, sed eos tantum, qui aut natura pravi sunt, aut mala educatione ac consuetudine depravati, a Philosophiæ tractatione excludendos esse, censemus.

Cum

Cum in eodem libro I. Nicomacheorum progressus esset usque ad caput 6. ubi mentio est idearum Platonis.

ORATIO XXII.

(*Transcripta huc e Comment. in Ethic. Arist. p. 76. seqq.*)

CUm multa sunt in Philosophia, quæ difficiles atque arduos habent explicatus, tum quæstio de ideis tam multis est, tamque variis dissentientium inter se eruditissimorum hominum agitata contentionibus, ut si quis hodie arbitrum se ac disceptatorem idoneum profiteri audeat, vix ullo pacto apud cordatos & harum rerum intelligentes homines impudentiæ aut potius temeritatis notam effugere posse videatur. A qua quoniam semper quam longissime abesse studui, & mihi conscius mediocritatis meæ sedulo cavi, ne quid unquam pro certo atque explorato traderem, quod ipsi mihi non satis perceptum ac cognitum esset: servabo eam, cujus me nunquam adhuc pœnituit, consuetudinem, & cum aperte ac dilucide, quantum in me erit, exposuero, quam Platonis, quam Aristotelis fuisse sententiam putem, quid mihi verisimillimum videatur, ita proponam, ut & suum cuique, & mihi meum, si quid postea probabilius occurrerit, judicium liberum ac solutum relinquam. Alia fortasse ratio aliis placeat: mihi quidem certe nunquam non incredibiliter arrisit illa in disputando veterum modestia, qui cum abundarent doctrinæ copia, vix tamen unquam de rebus, in quibus aliqua inesset obscuritas, asseveranter & affirmate pronunciabant. Corrupit hoc, ut pleraque alia, sequens ætas, eruditionemque cœpit ex confidentia pendere, eoque paulatim perducta res est, ut homines adolescentes reperias, qui quadriennio aut quinquennio in Philosophiæ studiis utcunque consumpto, quovis facilius adduci possunt, quam ut se ulla de re dubitare fateantur. Me vero & timidum natura finxit, & experientia atque usus rerum timidiorem etiam reddidit, cum sæpenumero mihi usu venerit, ut quarum me rerum scientiam habere animo conceptam ac comprehensam existimabam, earum me postea ipsarum animadverterim magna in ignoratione versari. Itaque fio in dies tardior ad affirmandum, neque ullum fere majorem ex studiorum laboribus fructum capio, quam quod minus quotidie mihi blandior, & si nihil aliud, saltem e duobus ignorantiæ malis altero liberor, cum, quæ nescio, consequor, ut ea nescire me sciam. Non enim

nam turpe aut tam incommodum est, nescire aliquid, quam si, quod nescias, id re scire opineris. Sed hæc fortassis alieniora sunt. Nunc illuc, quo instituì, veniam, eaque, ut potero, explicare ingrediar, quæ de idea boni adversus Platonem Aristoteles disputavit.

Exordiar autem a nobili & admodum celebrata doctissimorum hominum sermonibus quæstione: sitne inter Platonem & Aristotelem verborum tantum, an rerum & sententiarum discrepantia? & num ea, quæ tam multis in locis adversus Platonem disputantur, ad ipsam Platonis sententiam reprehendendam pertineant: an potius adversus eos, qui ex male acceptis Platonis verbis falsam aliquam sententiam elicerent, dirigantur?

Simplicius quidem, cui ex Aristotelicis interpretibus non facile quenquam aut ingenii acumine, aut doctrinæ magnitudine antepoſueris, convenire de rebus ipsis inter Platonem & Aristotelem arbitratur, idque cum aliis locis, tum in tertium de cœlo testatur his verbis: ὃ δὲ πολλάκις εἴωθα, καὶ νῦν εἰπεῖν ἄριστον, ὅτι ἡ πραγματική τις διαφωνία τῶν φιλοσόφων ἐστὶ, ἀλλὰ πρὸς τὸ φαινόμενον τῇ λόγῳ τὸ δυνάμενον φάυλως νοεῖσθαι πολλάκις ἁπάντων ὁ Ἀριστοτέλης φειδόμενος τῶν ἐπιπολαίως νοούντων τὸν Πλάτωνα, ἀντιλέγειν φαίνεται πρὸς αὐτόν. id est: *Quod autem crebris usurpare sermonibus soleo, id nunc quoque dicere operæ pretium est, inter Philosophos,* (Platonem autem & Aristotelem dicit,) *nullam quidem esse de rebus ipsis discrepantiam. Sed Aristoteles sæpenumero, dum occurrit ei sententia, quam quis ex male accepta Platonis oratione elicere posset, eorum nominibus parens, qui Platonis verba modo, non sententias intelligunt, ipsi Platoni adversari, ac contra eum dicere videtur.* Sic & in secundum Physicorum ait, Aristotelem non disputare adversus ideas, sed adversus vulgares opiniones de ideis, πρὸς τὰς δημώδεις περὶ τῶν ἰδεῶν ἐννοίας. In eadem sententia & Ammonius fuit, & Boetius, qui etiam in librum περὶ ἑρμηνείας se de Platonis & Aristotelis concordia scripturum esse profitetur. Et patrum nostrorum memoria duo admirabili eruditione præditi Viri, Bessario Cardinalis Nicenus, & Joannes Picus Mirandulanus id ipsum multis & exquisitis rationibus confirmare studuerunt.

Ego tamen nullo modo adduci possum, ut credam, Aristotelem, cum Platonis sententias probaret, verba tantum illius reprehendisse. Moveor autem his argumentis. Primum, quoniam

niam hoc ab Aristotelis gravitate maxime alienum foret. Quid enim est tam leve, tam nugatorium, tam sophisticum, tam Philosopho indignum, quam cum de rebus gravibus disputes, cujus sententiam probes, ejus verba captare ac cavillari? Sophistarum hoc esse ait Aristoteles ipse in Topicis, ejus, qui cum disputant, verba non ita, ut ab eo sensum est, accipere, sed in aliam aliquam sententiam detorquere, in qua reprehendenda diserti ac copiosi esse possint. Præterea, si Aristoteles non adversus Platonem, sed adversus eos, quos Platonis verba parum intellecta in errorem aut inducere poterant, disputasset: videtur hoc, si non ubique, at certe alicubi aperte ac disertis verbis expressurus fuisse, idque duabus de caussis. Primum ut effugeret illam invidiam, in quam se incursurum apud multos Platonis amatores facile prospicere poterat. Ita enim videtur gratus in magistrum fuisse, & persolvisse ei præclara δ:δακτρα, si dicta ipsius interpretando veram ejus sententiam aperuisset. Nunc videtur multis, ut Herculem est in fabulis necem attulisse Lino, quo magistro in musicis usus fuerat, sic Aristoteles, a quo philosophiam didicerat, hoc ei præmium reddidisse, ut omnes prope illius sententias jugulare ac confodere voluerit. Deinde quod ipsemet incideret in eandem illam culpam, quam in alio reprehenderet. Posset enim non immerito aliquis dicere: Quid in Platone reprehendit Aristoteles? Dicendi genus. Quid ita? quia tale est, ut multis objicere errorem queat. At ipsemet eodem vitio implicatus tenetur, si cum a Platone non dissentiat, ita tamen loquitur, ut vehementissime ab eo dissentire videatur. Quis autem est, cui ista ad reprehendendum via non pateat? aut quis unquam ita proprie atque exquisite locutus est, ut illius oratio nemini prorsus errorem afferre posset? Quam multa sunt in ipsius Aristotelis scriptis, quæ, si quis nuda tantum verba consideret, absurdissimas sententias contineant? ut cum in secundo poster. analyt. extremo ait sensum esse τῶ καθόλω: aut cum in sexto Ethicorum, sensum esse mentem; aut cum, qui in categoriis species & genera substantias esse dixisset, idem in sexto τῶν μετὰ τὰ φυσικὰ docet, nihil commune posse esse substantiam; aut cum in topicis Deum animal esse dicit; aut cum in quinto de generatione animalium, animæ plena esse omnia. Quid plura persequar? quamlibet enim multa nullo negotio colligi possunt. Ergo si hoc tantum in Platone reprehendit Aristoteles, quod ex verbis ipsius male intellectis falsa quædam & absurda colligi possint, suo se ipsemet gladio jugulaverit. Eadem enim reprehensio in ipsum retorquere potest. Illud quoque non injuria quæ-

sierit

fierit aliquis, cur tanto studio Platonicorum princeps Plotinus, Proculus, Simplicius ipse Aristotelis argumentis respondere, & adversus ea Platonis sententiam defendere soleant, si ea nihil ad Platonem pertineant? Nam si contra eos tantum argumentatur Aristoteles, qui Platonem male intelligunt: quid causſæ est, cur tu, qui Platonicus es, argumenta illius dissolvas? Quasi imperitorum defensionem suscipias, & illorum causſa labores. Postremo si Aristoteles ipse clamat, se Platonem ipsum petere, & ab eo dissentire, & interdum excusat se, ut hoc loco, interdum indicat causſas, quæ Platonem in errorem impulerunt: quid est, quod quisquam velit ingeniosus esse in conciliandis iis, quorum unus se ab altero dissentire profitetur?

Sed sunt quidam, quibus nefas videtur, duos, quorum de doctrina magna sit opinio, dissentire inter se. Itaque omnia conantur, ut eos etiam invitos, in concordiam redigant: qualem fuisse dicunt in medendi arte quendam, cui ex re Conciliatori nomen inditum est, quod efficere voluit, ut inter Galenum & Avicennam perpetuo conveniret. Memini cum puer in studia juris civilis incumberem, idem factitare solitos magistros meos, qui veteres Jurisconsultos, etiam in iis, in quibus constabat, alium aliter sensisse, aut constitutiones Imperatorum cum responsis prudentum, etiam eas, quibus jus antiquum correctum erat, quoquo modo tamen conciliare nitebantur. Quod idem puto eveniſse iis, qui contenderunt, Aristotelem de rebus ipsis idem sensisse, quod Platonem: cum tamen, ut ante dixi, ex ipsius verbis luce meridiana clarius perspici possit, multis in rebus eum a Platonis judicio discrepare. Nisi forte cum in Politicis ita disputat adversus utramque Platonis Rempublicam, ut prope nihil probet eorum, quæ Plato dixerat, verba tantum aucupari, ac non ipsas sententias convellere & labefactare videatur. Quid in libris de anima, cum de oculorum sensu disputat, & videre nos non emittendo, sed accipiendo docet: nunquid voculam aliquam Platonis cavillari, an sententiam ipsam reprehendere videtur? Quid in libris de cælo, cum disputaturus, fueritne mundus ex omni æternitate, an aliquando esse cœperit, ita se diligenter excusat, aitque in disputatione, qua veritas inquiritur, neque amori, neque odio locum esse debere: num quis est, qui putet, illum tam accurata excusatione usurum fuisse, si adversus eos, qui male Platonem ipsum intelligerent, ac non adversus Platonem disserere voluisset? Nam in tertio quidem eorundem librorum aperte loquitur, & Platonem ait nimio quodam amore Geometriæ, multa peccasse: neque minus confidenter loquitur libro primo de sapientia, ubi ait, Platonem ipsum male

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn862961815/phys_0496
DFG

le intellexisse ea, quæ dicebantur a Socrate, & putasse, ab eo constitui ideas quasdam separatas a rebus singulis, ac per se cohærentes, cum tamen ille nihil tale diceret. Nolo hoc loco jactare me in iis omnibus, quæ se offerunt, persequendis. Satis est enim mihi, si doceam, in ea re, quæ nunc agitur, hoc est, in ideis, ita dissensuisse eum a magistro, ut non ignis magis aquæ contrarius sit, quam Platonis sententiæ Aristotelis contraria sententia est. Non enim hic tantum adversus eas disputat, sed multo vehementius in libris de sapientia, in physicis, in libris de ortu & interitu, ac denique ubicunque datur occasio, etiamque quodam loco ait, omnia, quæ a Platonicis de ideis disputantur, κενῶς καὶ λογικῶς λέγεσθαι: & alio loco, esse κενολογίαν καὶ ποιητικὰς μεταφορὰς: & in secundo posteriorum analyticorum, τὰ δὲ εἴδη, inquit, χαιρέτω, τερετίσματα γάρ εἰσιν: & in dialogis σαφέστατα κέκραγεν, ait Proculus, μὴ δύνασθαι τῷ δόγματι τούτῳ συμπαθεῖν, κἂν τις αὐτὸν οἴηται διὰ φιλονεικίαν ἀντιλέγειν. Itaque vere Cicero primo Academ. *Aristoteles*, inquit, *primus species, quas paulo ante dixi, labefactavit, quas mirifice Plato erat amplexatus, ut in iis quiddam divinum esse diceret.*

Satis probatum puto, in disputatione de ideis Aristotelem neque verba Platonis reprehendere, cum sententiam probet; neque adversus eos, qui male Platonem intelligerent, sed adversus Platonem ipsum disputare, atque ab eo quam maxime dissentire. Neque tamen hoc ita accipi velim, ut quisquam ex oratione mea suspicetur, nunquam Aristotelem adversus Platonis verba disputare. Facit enim loco quoque nonnunquam, ut in libris de anima, cum ostendit, animam non posse esse circulum. Etenim quod senserat Plato, cum animam circulum esse diceret, id Aristoteli quoque ipsi non improbatur; sed exagitat loquendi genus, quod non satis proprium, neque Philosophicæ disputationi conveniens videbatur. At hæc aliis relinquenda sunt. Nunc exponam, quid Plato ideæ nomine intellexerit.

Duo sunt ex sententia Platonis in Timæo genera rerum: unum earum, quæ sensu percipiuntur, alterum earum, quæ mente & intelligentia. Prius illud ait esse nunquam, semper fieri: posterius nunquam fieri, semper esse. Etenim esse ea demum, quæ semper sunt, quæ immutabilia sunt, quæ nunquam neque oriuntur, neque occidunt: fieri autem, non esse, ea, quæ assidue mutantur, quæ & orta sunt, & interitui obnoxia. Jam vero omnia, quæ sub sensum cadunt, & orta & interitura sunt, eademque perpetuo labuntur ac fluunt, neque

diutius

diutius permanent uno & eodem statu. Itaque veteres Philosophi, Protagoras, Heraclitus, Empedocles, cum ad hæc tantum respicerent, omnia fieri, nihil esse dicebant, ut est apud Platonem in Theæteto. Et refertur in Cratylo dictum Heracliti, ὅτι πάντα ῥεῖ, καὶ οὐδὲν μένει καὶ ὅτι δὶς εἰς τὸν αὐτὸν ποταμὸν οὐκ ἂν ἐμβαίοις. At species & genera, quibus singulæ res continentur, & uno verbo τὰ καθόλου, & fuerunt ab omni æternitate, neque unquam esse desinent, neque ullâ mutationi obnoxia sunt, sed semper eodem modo se habent. Non enim homo aut animal aut nascitur, aut interit, sed hic homo atque hoc animal. Neque semper verum fuit eritve, Socratem esse animal ratione præditum: at idem de homine ex omni æternitate verum fuit semperque erit. Neque semper verum est, Aristidis justitiam esse virtutem, non enim semper est Aristides; at semper verum, justitiam esse virtutem. Hoc intuens Plato statuit, τὰ καθόλου sola proprie esse, atque idcirco esse πρώτας οὐσίας καὶ μᾶλλον οὐσίας: cætera autem esse tantum κατὰ μέθεξίν τινα τῶν καθόλου. Hæc autem universa vocabat εἴδη aut ἰδέας, id est, species aut formas rerum & αὐτοείκασα, ut αὐτοάνθρωπον ideam hominis, αὐτόιππον ideam equi. Stoici eadem postea vocarunt ὅτινα, ut ὅτινα ἄνθρωπον non hunc aut illum hominem, sed hominem in genere. Et ex eo vocarunt sophismatum genus quoddam ὅτινας, quale hoc est: εἴ τίς ἐστιν ἐν ἀθήναις, οὐκ ἔστιν ἐν σπάρτῃ ἄνθρωπος δὲ ἐστιν ἐν ἀθήναις. οὐκ ἔστιν ἄρα ἄνθρωπος ἐν σπάρτῃ. Quorum vitium in eo positum esse dicebant, quod ἐκ τοῦ τινὸς πρὸς τὸν ὅτινα progrederetur argumentatio. Neque tantum substantiarum ideas faciebat Plato, verum etiam, ut nunc loquimur, accidentium, ut αὐτοδίκαιον, αὐτόκαλον, αὐθόμοιον, αὐτανόμοιον, & alia, de quibus est in Parmenide. Neque naturalium modo rerum, sed earum, quæ artificio constant, ut τραπεζότητα, & κυαθότητα: de quibus a Diogene aliquando irrisus eam vicissim amarissimo dicta pupugit, ut narrat Laertius. Addebat, sine ideis neque scientiam, neque memoriam constare posse: nam earum utramque esse rerum stabilium ac permanentium: tale autem nihil esse præter ideas. Atque hic substituisset Plato, ferri aliquo modo operat, omniaque illius dicta veram aliquam & commodam interpretationem recipere videbantur. Nam verum est: res singulas, quæ quidem sub orbem lunæ subjectæ sunt, infinitis mutationibus agitari,

agitari, ideoque per se sub scientiam non cadere, universa autem & communia æterna esse, & semper eodem modo se habentia. Demonstratio enim & definitio sunt æternorum & immutabilium, ut docetur in posterioribus analyticis. Ferri etiam, dummodo recte intelligeretur, poterat, species & genera substantias esse. Quicquid enim λέγεται ἐν τῷ τί ἐστι, substantiam quodammodo significare dicitur. Sed & vere dicitur, ex iis, quæ sunt καθόλε, & memoriam effici, & scientiam. Abstrahit enim animus noster ab iis, quæ sub sensum cadunt, communia quædam, eaque recondit, atque iis utitur. At quod plerumque usu venire hominibus solet, ut inventa sua nimis ament, eaque plus justo exornare atque amplificare studeant, id Platoni quoque contigit, qui dum ideas quasi filiolas quasdam suas & proprium ingenii sui fœtum, quantum plurimum potest, omnibus commendare conatur, multa protulit, quæ Aristoteles, qui veritatis amantissimus, a figmentis autem, & ab allegoriis in tractanda philosophia alienissimus erat, ferre non potuit. Docuit enim eas substantias esse ab iis omnibus, quæ sub sensum caderent, non intelligentia tantum, sed re ipsa separatas, ad quas omnium generationum principia referenda essent, in quas tanquam in exemplaria intuens DEUS cætera omnia procuderet. Animos etiam nostros, antequam demitterentur in corpora, familiariter, ut ita dicam, versatos esse cum ideis, & ex earum intuitu omnium rerum cognitione viguisse; post cum in perturbatum corporis domicilium commigrassent, oblitos esse eorum, quæ ante sciverant, reminisci tamen eorum, alios facilius, alios majori negotio, prout cuique major aut minor cum corpore conjunctio esset; neque discere hic quicquam nos, sed reminisci, & eos, qui docere viderentur, tantum revocare ac redigere in memoriam ea, quæ nobis, antequam nasceremur, cognitissima erant. Illas speciosas & plausibiles fabulas Aristoteles repudiandas putavit, in eisque aperte professus est, sibi cum Platone convenire non posse. Denique cum tribus modis dicatur τὸ καθόλε, τὸ πρὸ πολλῶν τὸ ἐν πολλοῖς, καὶ τὸ μετὰ πολλά duos posteriores modos admittit Aristoteles, primum fictum ac commentitium esse censet.

At hæc fortasse nimium multa sunt. Non enim hoc loco disputationem instituit adversus omnes ideas, sed tantum adversus ideam boni, de qua nobis deinceps disputandum erit, si modo hoc docendi munus mihi licebit persequi: quod futurum necne sit, addubito. Quo enim Philosophi, ac præcipue morales, pecuniam contemnere dicuntur, audio clarissimos,

simos, & præstantissimos viros, quibus a Principe mandatum est, ut præmia professoribus pro sua cuique dignitate constituant, velle periculum facere, ecquid ego Philosophus sim, an esse me simulem. Itaque constituerunt mihi annuam laborum meorum mercedem perexiguam, ut si forte ego id ægre tulero, ex eo convincant, me pecuniam non contemnere, ideoque Philosophum non esse. Ego autem quanquam non sum ex illis Philosophis, qui pecuniam valde contemnunt: decrevi tamen hac in re philosophice agere, & pecuniam contemnere. Contemnam ergo, nisi ipsi consilium mutaverint, & eam, quæ denegatur, & eam, quæ offertur, ac, si alterutrum necesse sit, gratuitum otium gratuito labori anteponam.

In studiorum instauratione.

De Via ac ratione tradendarum disciplinarum.

ORATIO XXIII. (*aliar XVIII.*)

PLerique eorum, qui quotannis ex hoc loco verba faciunt, laudare litteras, & ingenuas artes, vosque, Adolescentes optimi, ad eas teto pectore amandas ac colendas exhortari latque incitare consueverunt. Quorum ego neque consilium reprehendo, neque tamen omnia in eo posita esse censeo. Nam ut, si quis bonæ valetudinis commoda exponat, eaque dicendo amplificet, atque exaggeret, & ad eam omni studio conservandam homines cohortetur neque tamen admoneat, quo genere victus quibusque exercitationibus ea maxime comparari ac contineri debeat, non valde utilis videri possit illius oratio: ita parum prodest, aut laudare eas artes, quas certo nemo usque eo perfrictæ frontis est, ut vituperare audeat, aut ad eas cohortari eos, quos illarum studiis deditos esse constat, nisi indicetur etiam via, qua quis ad illas facillime, ac certissime pervenire posse videatur. Ego igitur, quando mihi a te, Laurenti Blanchette, Vir clarissime, munus hoc impositum

tum est, non laudabo litteras: satis eas homines eruditissimi, collegæ mei, ex hoc ipso his proximis annis ornate, copioseque laudarunt; ne multum tum quidem temporis ponam in his nobilissimis adolescentibus ad eas cohortandis: & ipsi per se satis eas amant, neque oratione mea melius incitari possunt, quam si te Blanchette intueantur, ad te cogitent, in te oculos animumque defigant, cui litterarum tractatio senilem in isto ætatis flore non modo gravitatem, ac prudentiam, sed dignitatem quoque atque auctoritatem comparavit. Quænam igitur orationis meæ futura materia est? quibus de rebus dicens hunc ornatissimorum virorum, atque hanc honestissimorum juvenum coronam, quam ex ore meo pendentem video, demulcere, & delinire conabor? Exponam breviter, ac perspicue a carceribus, ut dicitur, ad calcem ei, qui semel imbiberit in litteris & in bonarum artium scientia excellere, quam studiorum viam ac rationem tenendam putem. Quod dum facio, quidam ex vobis decursum jam a se, & confectum curriculum agnoscent, alii, quod iter ad veram gloriam ferat, me monstrante cognoscent. Attente, ut me audiatis, ne orandos quidem esse vos puto. Frustra id postulem, nisi attentionem mihi res ipsa, de qua dicere ingredior, conciliaverit. Principio igitur positum sit, græcæ latinæque linguæ cognitionem instrumentum esse ad parandam doctrinæ copiam hoc quidem tempore plane necessarium. Id qui negant, aut quid verum sit, non vident, aut contendendi studio in oppugnando eo, quod verum est, ostentare ingenii acumen volunt. Quare puer is, quem informare, ac describere ordimur, honesto loco natus, modicis opibus instructus, ea corporis firmitate, ut studiorum laborem perferre possit, ingenio neque agresti, & hispido, nec molli, & effœminato, sed eleganti, & ad honestatem propenso præ-

ditus, sextum ætatis ingressus annum græcarum latinarumque litterarum formas, nomina, potestatem, per ludum jocumque condiscat, & ut libentius faciat, non metu, ac verberibus, sed præmiolis, quibus ætas illa capi solet, identidem excitetur. Ubi annum in eo posuerit, ut & græce, & latine satis facile, atque expedite legat, jam septimo primis illis, maximeque grammaticorum utriusque linguæ præceptis imbuatur, nomina, & verba flectere ac variare, & inter se sine vitio conjungere, ac copulare discat. Huic uni rei annum septimum tribui velim. Octavo incipiat jam aliquid audire, aliquid legere, idque ejusmodi, ut & ad formandos mores nonnihil conferat, & voluptatem potius adferat, quam magnam ullam animi contentionem requirat. In hoc genere apud Græcos excellunt Æsopi fabulæ, & Phocylidis carmina: Latini talium scriptorum inopia laborant, nisi quis easdem illas fabulas ab optimo, & eruditissimo viro Gabriele Faerno latinis versibus elegantissime expressas, illi ætati proponendas putet, & addendum, si quod exiguum poëma puris verbis vitæ præcepta continens reperiatur. Biennium consequens, id est, nonum ac decimum annum, ita libentissime posuerim, ut puer matutinis quidem horis libros Xenophontis de institutione Cyri, quibus nihil purius, aut suavius reperiri potest, pomeridianis autem Cæsaris potissimum commentarios legat, qui mihi unus ex omnibus latinis ad illam nitidissimam Xenophontis simplicitatem proxime videtur accedere. Undecimus annus comœdiis detur, ita tamen, ut ex Terentio Plautoque, & multo magis ex Aristophane, quidquid inquinare pueriles animos potest, aut resecetur, aut omittatur. Quod idem de omni scriptorum genere semel a me dictum accipi volo. Duodecimo Theocriti, Moschi, Bionis Idyllia cum Virgilii Bucolicis, Hesiodus cum Georgicis, cum Æneide utrum-

utrumque Homeri poëma copuletur. Neque hos libros totos a præceptoribus exponi arbitror debere. Cum tantum cujusque a præceptore audierit, ut sine cortice, quod ajunt nare possit, quod reliquum est, suo ipse privato studio persequatur. Huic rei biennium sufficiturum puto. Illud interea ad magistri curam & sollicitudinem pertinet, ut puer loquendo quidem quotidie, scribendo autem alternis saltem diebus exerceatur. In ipso pubertatis ingressu primum exercebo eum in eis, quæ Græci vocant progymnasmata, id est præludia quasi quædam, & præcursiones ad eloquentiam, de quibus extat aureolus libellus Theonis Sophistæ, qui, si quid ego autoritate possem, quotannis exponeretur in scholis, & ad præcepta, quæ illic traduntur, juvenes perpetuo exercerentur. Sed & hoc genus exercitationis, & omnis propemodum recta, & antiqua instituendæ juventutis ratio non tantum intermissa jam pridem, sed oblivione obruta, ac sepulta est: quæ si revocaretur, paucis annis existerent homines vere copiosi, & eloquentes; isti autem clamatores, qui nomen eloquentum gesticulatione pantomimica, & volubilitate linguæ, & impudentia sibi pepererunt, ita jacerent, ut eos audire nemo posset. Ita igitur exercitatus adolescens totum se Ciceroni dedat, ingurgitetque se in illum uberrimum, & abundantissimum eloquentiæ fontem, retinens perpetuo illam, quam a principio instituimus, consuetudinem, ut græca cum latinis, similia cum similibus conferat. Ciceronis epistolas cum leget, evolvat eodem studio Platonis, Isocratis, Demosthenis, aliorumque Græcorum epistolas, quæ in duo volumina congestæ reperiuntur. Ad libros de Rhetorica scriptos adjungat Aristotelis libros ejusdem argumenti, quæque eadem de re Dionysius Halicarnasseus, Demetrius Alexandrinus, Hermogenes, Longinus, aliique Græci litteris prodiderunt. Ciceronis orationes,

cum Demosthenis, Æschinis, Lysiæ, aliorumque veterum orationibus comparet, dialogos de philosophia, cum dialogis Xenophontis, & quibusdam Platonis. Interea oblectamentum sibi ex alio genere poëtarum petat, Pindarum cum Horatio; Euripidem, Sophoclem, Æschylum cum Seneca; Apollonium cum Valerio Flacco; epigrammata græca cum Catullo & Martiale committat. Idem faciat in historicis, Herodotum, Thucydidem, Xenophontem, Polybium, cum Livio, Sallustio, Tacito conferens. Et quoniam neque historia, nisi cognito orbis terrarum situ, neque hic sine aliqua mathematicarum artium cognitione percipi potest: his quoque utrisque temporis aliquid impertiat. Cum ad plenam, ut juris auctores loquuntur, pubertatem, id est, ad annos octodecim pervenerit, graviora meditetur: ac primum quidem analytices, & dialectices præcepta non ex barbarorum lacunis, sed ex Aristotele ipso, & Græcis Aristotelis interpretibus hauriat, in eisque vere, ac serio biennium exerceatur. Hoc modo præcultus, ac præparatus adolescens, si totam ætatem exigere in otio litterario volet, abunde habet quod agat: nunquam deerit, quo pascat animum, etiamsi ei ad multa secula vivendi spatium prorogetur. Sin ad medicinam, aut ad juris scientiam, aut ad theologiam applicare ingenium cogitat: medicus quidem futurus in physicis; jurisconsultus in ethicis ac politicis; Theologus in utrisque sese prius diligenter exerceat; hic tertius hebraicas præterea litteras discat; tum eorum quisque ad ea, quæ dixi, studia accedat. Quocunque enim se naturæ ductum secutus contulerit, dubitandum non est, quin ut longissime, antequam annorum illum numerum expleat, quem Lycurgus adamasse dicitur, quique solus post senarium intra centum perfectus est, talis in suo genere futurus sit, qualem in suo fuisse Roscium Cicero præ-

prædicat, qualem apud inferos esse Tiresian ait Homericus Ulysses: quem solum sapere dicit, cæteros umbrarum in morem vagari. Exposui vobis, adolescentes, iter non ad inanem scientiæ opinionem, sed ad veram & solidam eruditionem: arduum illud quidem, & difficile, sed cogitate, nullo modo fieri posse, ut ad excelsa, & sublimia per plana veniatur; & alioqui credite hoc mihi, summum in studiis laborem summa voluptate condiri. Quod si quis ea, quæ dixi præstare omnia non potest, præstet certe quisque quod potest. Cum alia multa quæ sæpe ex hoc loco audistis, ad amandas litteras incitare vos debent, tum mirifica plane ac singularis erga eas Gregorii XIII. optimi ac maximi Pontificis voluntas. Qui non tantum pulcherrimos fontes aperuit, quibus urbem prius aquæ penuria laborantem multo & ornatiorem, & salubriorem, & commodiorem reddidit, sed alios longe pulchriores & utiliores fontes disciplinarum reclusit. Quid enim aliud sunt tot illa Neophytorum, Græcorum, Germanorum, Britannorum, aliarumque gentium, ac nationum collegia, quam totidem aperti & expositi omnibus religionis & bonarum artium fontes, ab inexhausto Pontificiæ liberalitatis fonte manantes? Quid scholæ nostræ, quæ quotidie tot eruditissimorum hominum vocibus personant, quibus ipse majora, quam quisque ante eum Pontifex præmia statuit, quid aliud, quam incredibilem ipsius erga bonas artes amorem, voluntatemque declarant? Quid tanta multitudo hominum, doctrina quam opibus instructiorum, quibus ipse subsidia vitæ large prolixeque suppeditat? Ut non verius Bononia studiorum mater, quam is civis, quo ipsa maxime gloriatur, studiorum pater vocari queat. At tu, Laurenti Blanchette, vir clarissime, quando nos ipse in fide ac patrocinio tuo esse voluit, quantum apud eum potes, quod

te plurimum posse scimus, tantum confer ad paternam ipsius erga nos voluntatem magis magisque in dies confirmandam. Multa jam ipsius benignitate consecuti sumus; ego quidem plura & majora, quam ut ea me unquam promeriturum esse confidam: sed alia quædam sunt, nec iniqua, nec inusitata, quæ, ut alibi conceduntur, si hic quoque concederentur, mirabiliter & Professorum, & Studiosorum adolescentium animi ad omnia egregia accenderentur. Ea tibi cum voles exposituri sumus, & per te aliquid nos effecturos esse confidimus. Suscipe cogitationem te dignam; para tibi immortalitatem apud omnes litterarum amantes & gratiam, & gloriam; perfice, ut eæ artes, quæ in te tantum ornamentorum contulerunt, ipsæ vicissim ornamentorum aliquid tibi se debere fateantur.

Ad Illustrissimos & Referendissimos S. R. E. Cardinales, ipso die Paschæ, cum subrogandi Pontificis caussa conclave ingressuri essent.

ORATIO XXIV. (*alias XIX.*)

Habita Romæ Anno M. D. XXCV.

MAgnum vobis hoc tempore negotium impositum est, Patres Amplissimi, & tantopere ad salutem & tranquillitatem universæ Christianæ Reipublicæ pertinens, ut haud sciam, an ullum sit eorum omnium, quorum pro summa dignitate, quam in Ecclesia obtinetis, vestra procuratio est, quod singulari quadam & extraordinaria præpotentis Dei ope magis indigere videatur. Declarandum enim vobis ac decernendum quodammodo est, quis Ecclesiæ in terris summo cum imperio præesse ac præ-

præsidere; quis in puppi sedens clavum tenere, & periculosissimæ navigationis cursum regere ac moderari; quis pastores ipsos pascere debeat; cujus, ut supra vulgarem hominum conditionem elati, responsa pro oraculis, nutus pro ratione, jussa pro legibus futura sint. Quanquam igitur ea sapientia estis, vix ut quicquam vobis subjici possit, quod non ipsi animo prius conceptum meditatumque teneatis: non iniquo tamen animo ferre debetis, vos, ex veteri consuetudine, quid in eligendo Pontifice vobis sequendum sit, etiam ab infimis hominibus admoneri. Nam & nemo ita sapiens est, quin audiendo sapientior fiat: & ea est Dei benignitas, ut sæpe rudibus & imperitis ea dicenda suggerat, quæ audita etiam sapientibus prosint. Dicturus igitur tanta de re, obtestor vos, per eum, in cujus nomine huc conveniistis, ut mihi exigui temporis attentionem ne denegetis. Atque ut hinc potissimum ordiar, ut arduum ac difficile Episcopi munus est, ita ardua quædam in Episcopo & inventu difficilia requiruntur. *Oportet*, ait sanctus Paulus, *Episcopum talem esse, ut in eo nullus pateat reprehensioni locus.* Quod si in aliis Episcopis requiritur, quanto magis in eo, qui, quanto Episcopi sacerdotibus, tanto ipse cæteris Episcopis antecellit? Quando autem quisquam reperiretur dignus, qui in illum honoris ac dignitatis gradum evehatur, si omnes, in quibus aliquid culpari poterit, repudientur? Sed hoc non ita rigide ac præfracte accipiendum, etiam vetusti Patres monent. Nostra enim omnium, qui vivimus, ex bono maloque permista natura est: & aut Angeli essemus, si nulla nos improbitatis macula contaminaret; aut & Deo & hominibus intolerabiles, si nulla vitiorum nostrorum sordes admista bonitas temperaret. Non igitur quærendus, qui simpliciter omni virtutis genere excellat, nullo, ne leviissimo quidem, vitio adspersus: quem ab omni

nota ac reprehensione integritas vitæ nullis unquam violata maculis vindicet; nunquam enim res ad exitum perduceretur: sed qui & præcipuis virtutibus inter æquales emineat, & vitiis, ut non omnibus, at iis certe careat, quæ in privatis hominibus singulas familias, in principibus maxima plerumque imperia evertunt. Apud Xenophontem barbarus quidam adolescens, cum equum eximiæ bonitatis, quem habebat, libenter se alicui spectatæ virtutis viro donaturum esse dixisset, idque apud Cyrum professus esset: *Ego vero*, ait Cyrus, *ostendam tibi, quomodo etiam si clausis oculis jeceris, aberrare a tali viro non possis;* simulque eum glebam humo sublatam in confertissimum agmen amicorum, quos assidue circum se habebat, jacere jussit; &, *Quemcunque*, inquit, *ex eis contigeris, illi equum tuum dono dato, neque metus ullus sit, ne aberraveris: omnium eadem est virtus, eadem temperantia, eadem multis spectata documentis fortitudo.* Si de vobis, Patres Amplissimi, idem dici posset, ut e vestro nobilissimo honoratissimoque consessu, nec ætate, nec usu atque experientia rerum, nec auctoritate alius alio magis idoneus esset, ad hujus muneris gravitatem sustinendam: non magna deliberatione opus foret, neque ullam in partem, quis ei ex vobis præficeretur, admodum interesset. Sin verius est, ut in stellis alia aliam nitore et claritate vincit, sic e vobis alium alio esse iis bonis & ornamentis, quæ Pontifici conveniunt, instructiorem ac superiorem: & orandus summis precibus Deus, ut judicia vestra dirigat; & vobis intendenda omni studio mentis acies, ut ex omni numero vestro eum potissime, qui aptissimus & publice utilissimus futurus videtur, deligatis. Ignoscite, quæso, si quid paulo liberius dixero: Non enim ea nunc res agitur, ut auribus serviendum sit; dicenda quæ urgent, quæ tempus, quæ rei magnitudo postulat. Omnis cogitato

gitato cognationis, amicitiæ, utilitatis privatæ, ab hac deliberatione procul abesse debet: ne, si quis ita eligitur, & ipse, dum erigitur, corruat, & alios secum in idem exitium præcipites trahat. Si navigaturi de gubernatore navis eligendo consultarent, nemo reperiretur usque eo improvidus, ut eum qui sibi aut amicissimus, aut sanguine conjunctissimus, ac non eum potius, qui intelligentissimus, exercitatissimus esset, ei muneri præfici vellet: & desiperet, si quis in communi naufragio quæsticulum aliquem suum sibi salvum ac proprium fore putaret. Una navis, qua omnes vehimur, Ecclesia est: quæ quantis hoc tempore procellis ac tempestatibus agitetur, nemo non videt. Et erit quisquam ita non imprudens modo, sed inhumanus & impius, qui in tantis periculis publicæ saluti ac tranquillitati quidquam anteferendum putet? Exulent a vestris omnium animis talia omnia, Patres Amplissimi: &, aliis omnibus circumcisis atque amputatis, ea tantum in futuro Pontifice, quæ bono Pontifici necessaria sunt, requirantur.

Videntur autem quinque præcipua esse, quæ in eo spectari oporteat: Sanctitas morum, Prudentia, Doctrina, Caritas, quæ, ut verissime dixit Apostolus, perfectionis vinculum est, & Auctoritas. De quibus singulis ubi quam breviſſime fieri poterit, dixero, finem dicendi faciam.

Primum igitur requiritur Sanctitas morum. Nam quo ore audebit aliena vitia reprehendere, qui ipse propriis madeat? Quare si quem avarum, si ambitiosum, si crudelem ac sanguinarium, si libidini ac voluptati mancipatum vixisse constaret: ejus ne habenda quidem ratio in his sacrosanctis comitiis esset. Avarus civitates exhauriret, nova quotidie populis onera imponeret, sacra ac profana omnia venalia haberet, omnem turpitudinem congerendæ ac coacervandæ pecuniæ causa susciperet,

nihil amplum aut magnificum agitaret animo, non de gloria Dei aut utilitate publica, sed de arcis & saccis suis implendis perpetuo cogitaret. Non est, Patres Amplissimi, non est ejusdem ingenii, pecuniæ servire, & hominibus imperare. Duos impuros homines Statoclem & Dromoclidem ajunt olim tractationem Reipublicæ messim auream vocare solitos. Non est credibile quemquam ex vobis ita animatum esse: sed tamen procul absit a gubernaculis Ecclesiæ, si quis Pontificatum messim sibi ac suis fore auream putat. Ambitiosus omnia perturbaret, nihil usquam quietum esse pateretur, bellis orbem terrarum concuteret; dum suorum titulos, ditionem, dignitatem augeret. Sedis Apostolicæ dignitatem in quodlibet discrimen adduceret. Quid crudelem & recenti semper cruore gaudentem, ultionis cupidum, ignoscendi nescium, cui pro virtute ira sit, pro consilio furor, pro ratione impetus? quomodo blandissimo illi ac lenissimo Patris nomini responsurum esse censetis? Quid, si quis se voluptatibus vinciendum ac constringendum dedit, earumque turpissimo famulatu nexus & irretitus, in earum cœno, tanquam sus, perpetuo volutatur, quid ab eo boni sperari, aut quid mali potius non metui potest? Libere, vobis audientibus, de vitiis loquor. Nusquam enim tutius est accusare vitia, quam cum ex eis qui audiunt nemo est, qui ea, quæ dicuntur, suspicari possit ad se pertinere. Si quis igitur est (quales plerosque omnes ex vestro amplissimo splendidissimoque Collegio esse compertum est: sed tamen fieri nullo modo potest, ut non & e vobis aliqui excellant,) qui tota vita nullam significationem avaritiæ dederit, qui sive in magnis opibus natus, sive e tenuibus ac modicis ad ampliores copiosioresque perductus, omnem pecuniæ fructum in sublevandis egentibus positum duxerit; qui arcam suam nunquam turpiter afferentibus,

honeste

honeste petentibus semper apertam habuerit; qui ad gloriam suam nihil, ad Dei gloriam omnia perpetuo retulerit; qui ex fuga atque abstinentia voluptatum maximam sibi voluptatem captaverit; qui veram animi magnitudinem in ignoscendis, non in ulciscendis injuriis consistere judicaverit; ejus demum mores aptissimi sunt, ad personam illius, qui & harum & omnium virtutum exemplar perfectissimum fuit, in terris sustinendam.

Secundo loco dixi requiri prudentiam, quam vere Aristoteles ait esse propriam virtutem imperantium. Eam æterna illa veritas Christus Dominus ac Deus noster cum morum integritate ac sinceritate conjunxit his verbis: *Estote simplices sicut columbæ, & prudentes sicut serpentes.* Sed videndum est, ut, quid prudentia sit, recte intelligamus: neque ita eam accipiamus, ut vulgus solet. Vulgus enim eum prudentem vocat, qui multa simulare ac dissimulare novit, multa mentiri; eos, quibuscum agit, commodi sui caussa, fallere ac circumvenire: & quod sibi præposuit, multas vias reperire, quibus id quoquomodo adipiscatur. Illa vero prudentia non est, sed calliditas, versutia, malitia; aut, si prudentia est, carnis prudentia est, quam se perditurum minatur Deus, quam mortem esse Paulus affirmat. Vera prudentia est, & cognoscere quid petendum fugiendumque sit, & quibus viis tum ipse eo pervenire, tum alios eodem perducere commodissime possit; nihil temere atque inconsiderate agere, sed unaquaque in re, quid rerum, personarum, locorum, temporum varietas postulet, dijudicare. Miserum qui alium fallit, si se idcirco eo, quem fallit, prudentiorem putat. Fallit ipse se, & incidit multo perniciosiorem in laqueum, quam quo implicare alium paret. Quanto prudentior, qui neminem fallit! Deo enim similior est, qui neque fallere, neque falli potest.

Dixi

Dixi præterea in Pontifice requiri caritatem: quam Apostolus & martyrio & fidei montes transferenti anteponit; sine qua nihil Deo acceptum est: Deus enim ipse caritas est. Pontifex autem cum communis pater & sit & vocetur, hoc ipso nomine admoneri debet, paterna se caritate erga omne hominum genus esse oportere.

Addidi doctrinam & eruditionem: quam qui Pontifici necessariam non putant, magno in errore versantur. Iubetur Aaron in veteri lege gestare supra pectus suum doctrinam & veritatem; jubetur nunquam in sanctuarium ingredi sine sonitu: quo significatur, voluntatem Dei ab eo debere populis prædicari. *Labia Sacerdotis*, ait Malachias, *custodiunt scientiam.* Paulus ad Timotheum, Episcopum esse oportere ait, aptum ad alios docendos. Hæc, ajunt quidam, Pontifex etiam indoctus per alios obire poterit. Isto modo poterit etiam bonus lyricen esse, qui per alium canat: & bonus medicus, qui ægrotos per alium curet. Sed satis sit.

Breviter enim de auctoritate dicendum, quam ultimo loco posui: quæque ex iis, de quibus ante dictum est, efflorescit. Auctoritatem autem voco potentiam, apud principes & apud populos, firma & diuturna virtutis, & doctrinæ opinione quæsitam. Ea Pontifici hoc præcipue tempore necessaria est, propter eas gentes, quæ a fide & obedientia sanctæ Romanæ Ecclesiæ desciverunt, quæ revocari ad sanitatem vix poterunt, nisi ejus, qui præerit, auctoritate moveantur.

Agite igitur, Patres amplissimi, proponite vobis ante oculos communem nostrum omnium parentem Ecclesiam, ex vestro nutu pendentem, & quid a vobis statuatur summa cum cura ac solicitudine expectantem. Illa vos Christo genuit, illa educavit, illa ad summo proximum honoris gradum provexit; nulla vobis major cognatio, quam cum Ecclesia; omnes

omnium

omnium caritates una illa complexa est: quæ nunc dilacerata, distracta, divulsa, obsecrat vos, ut aliarum omnium rerum obliti, de sua tantum tranquillitate, qua vestra quoque continetur cogitetis. Deus omnium bonorum auctor eam vobis omnibus mentem atque animum inspiret, ut non cæco & temerario & invitos etiam, ut interdum fit ac quid agatur nescios, rapiente paucorum motu, sed certo maturoque judicio ejusmodi Pontificem concordibus suffragiis quamprimum deligatis, qui dispersa collidat, lapsa erigat, depravata corrigat, infirma corroboret, turbulenta componat, efficiatque, ut neque Pii Quinti admirabilem illam sanctimoniam vitæ & excelsitatem animi, aut Gregorii Decimi tertii inexplebile propagandæ religionis studium, & effusam atque incredibilem & omnibus seculis deprædicandam in omnes gentes caritatem ac beneficentiam desideremus!

In funere Hippolyti Cardinalis Estensis. III. Non. Decembr.

Anno cIↃ IↃ Lxxii.

ORATIO XXV. (*alias XX.*)

QUod acerbissimum maximeque luctuosum spectaculum nobis omnibus objici poterat, Patres Amplissimi, vosque cæteri viri ornatissimi, id summi ac præpotentis Dei voluntate, & inevitabili humanæ conditionis necessitate nobis hodie in hoc templo constitutum videmus. Jacentem enim eum intuemur, qui nos omnes jacentes erigere; exanimem, qui exanimatis aliquo casu nobis animum addere solebat; vita carentem, qui nobis aliisque quamplurimis vitæ subsidia benignissime ac liberalissime subministrabat. Merito igitur lacry-

lacrymis omnium oculi madent; merito undique omnia suspiriis, gemitibus, lamentationibusque circumsonant; merito non homines modo, sed ipsi hujus ædis sacræ parietes omnia mœroris ac tristitiæ insignia ostentant. Sed quoniam neque conquestionibus nostris quidquam proficere jam possumus, & divinæ providentiæ decreta æquo animo ferre debemus; repetamus aliunde aliquam hujus ægritudinis, ac miseriæ levationem; & Hippolyti Estensis communis nostrum omnium parentis, ac patroni virtutibus, ac laudibus grata commemoratione renovandis, dolorem ex ipsius morte conceptum, si possumus, leniamus. Misera quidem hæc ipsa, & acerba consolatio est; quanto enim magis ejus, quod amissum est, excellentia perspicitur, tanto plus doloris ex illius amissione percipitur: sed neque animus ulla in cognitione conquiescere hoc tempore facilius potest; & rerum ab eo præclare gestarum recordatio hoc saltem nobis solatium adferet, quod magis nos confirmabit in ea spe, quam merito omnes concepimus, ut eum non tam nobis ablatum, quam a te, Deus Optime Maxime, ad meliorem vitam vocatum esse credamus. Atque utinam doloris magnitudo disertos ac copiosos faceret! non dubitanter me, patrone optime ac clementissime, dignam plurimis, ac maximis tuis erga me beneficiis orationem habiturum esse profiterer. Nunc mihi misero omnia præter egregium celebrandi, ac prædicandi tui studium desunt; ægritudine obstupefactus est animus; oculi lacrymando defessi; vox ipsa pectore ac faucibus intercluſis exitum reperire vix potest; si quid in me ingenii fuerat, si quam modicam dicendi facultatem exercitatio attulerat, quæ tibi majora veris pro amore erga me tuo videbantur, ea, moriente te, omnia conciderunt. Connitar tamen quantum potero & omnem difficultatem pietate superare conabor. Sive enim aliquid effecero,

effecero, gratus erga te, quoquo modo potui, fuisse dicar; sive etiam in medio cursu defecero, hoc ipsum mihi gloriæ ducam, quod de tuis laudibus dicere cupientem obruerit atque oppresserit dolor. Nunc quæso obtestorque vos, quicunque adestis, ut ad breve tempus intermittatis gemitus vestros, mihique ex innumerabili copia eorum, quæ de illo dici possunt, pauca libanti adductos tantisper, & avocatos ab atrocitate tanti vulneris animos adhibeatis. Primum igitur, si splendorem, & claritatem generis ad commendationem pertinere volumus, quod ita fere natura comparatum est, ut qua in familia multi præclari, virtuteque, & rerum gestarum gloria insignes viri floruerunt, eadem qui sunt, eorum vestigia cupide persequantur: quæ toto Italia gens Estensium principum familiæ vel illustrium virorum multitudine, vel traditi a majoribus imperii magnitudine, & antiquitate anteponi potest? Sed in hac parte non immorabor: nam plura dicere & in re tam nota supervacaneum est, & temporis angustiæ prohibent, & qui suis ac propriis laudibus abundat, ei ornando aliena conquirere, alienum atque absurdum videtur. Quamlibet obscura, & abjecta familia natus fuisset Hippolytus, eam ipse illustrare, & ad summum dignitatis culmen extollere potuisset. Illustrissima autem, & splendidissima natus cum esset, ita se gessit, ut non minus ipse lucis ac dignitatis majoribus suis attulisse, quam ab eis accepisse videatur. Cum autem in eo jam tum puerulo mirifica quædam, & ad omnem virtutem & præcipue ad prudentiam indoles emineret; ita eum Pater optimus, ac sapientissimus Princeps diligebat, ut nulla de re majoris momenti, nisi adhibito filiolo, deliberaret. Eo præsente legatos ad se missos audiebat: eo præsente legationes decernebat: interesse eum volebat, quoties de bello, de pace, aliisque maximi momenti

momenti negotiis consilia caperentur. In illa igitur sapientiæ schola atque officina educatus brevi tempore tantum sibi cognitionem, atque intelligentiam eorum, quæ ad populos recte gubernandos pertinent, comparavit, ut adhuc adolescens, exercitatissimos senes consilii maturitate superaret. Itaque cum in Galliam confirmata jam ætate profectus esset, apud Franciscum Regem non solum nomine, sed omnibus regiis virtutibus omnium nostræ memoriæ regum facile primum, non tam propter gentis nobilitatem, aut propter affinitatem, quam propter singularem quandam tractandarum rerum scientiam tantum auctoritatis consecutus est, ut in illo amplissimo, & opulentissimo regno, secundum Regem de Hippolyti potissimum Estensis consilio, & sententia omnia gererentur. Neque vero minus apud Henricum Secundum valuit, qui ministros omnes per universam Italiam suos sive legatos, sive exercituum præfectos, uno verbo, cujuscumque generis essent, ex ejusdem nutu, ac voluntate pendere, neque quidquam, nisi eo consulto, quod quidem alicujus momenti esset, administrare voluit. Illam vero nobilissimam, totique Christianæ Reipublicæ salutarem legationem, qua in Gallia difficillimis ac periculosissimis temporibus functus est, quomodo aut silentio prætermittere, aut de ea pro dignitate verba facere potero? Grassabatur per totam Galliam infinita quædam facinorosorum hominum colluvies, qui, capta occasione propter teneram Caroli Regis ætatem impune sibi omnia licere arbitrati, capitales ac nefarias de religione opiniones publice in vulgus disseminabant. Jamque res eo progressa erat, ut non infimæ tantum plebis animos suis illis venenis imbuissent; sed & ex ipsis principibus non paucos eadem errorum fœditate contaminassent. Exponebantur propalam, & omnium manibus terebantur Lutheri, Calvini, & aliorum

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn862961815/phys_0516
DFG

rum impiorum hominum scripta. Hieronymi vero, & Augustini, & Gregorii, & Ambrosii saluberrimæ lucubrationes ab omnibus propemodum & officinis, & bibliothecis exulabant; in ipsa aula, ac comitatu regio quotidie habebantur hæreticorum frequentissimæ conciones: omnia execrandis illorum cantionibus perstrepebant. Detestandis in Deum, & in Divos illarum pestium vocibus Catholicorum aures assidue verberabantur. In tam perturbato ac periculoso rerum omnium statu Pius Quartus Pontifex Maximus divino, ut credibile est, instinctu nihil satius esse judicavit, quam ut Hippolytus Cardinalis Ferrarienſis, primo quoque tempore legatus in Galliam mitteretur. Suscepit onus legationis Princeps maximo animo præditus: neque deterritus est aut imbecillitate valetudinis, aut longitudine itineris, aut anni tempore, (erat enim ardentissima æstas, qua tempestate etiam qui firmissimi sunt, neque Romam venire, neque Roma exire tutum putant,) aut periculis, quæ sibi noctesque diesque, & aperta vi, & ex insidiis ab hæreticis imminere intelligebat. In ea legatione alios ex hæreticis autoritate deterruit, alios ostensa aliqua spe commodorum eo unde abierant reduxit, multa dissimulavit, multa pertulit, multa palam & directo, multa latenter & artificiose molitus est, quæ ad illius regni salutem pertinebant: neque prius destitit, quam pulsis ex aula hæreticis, revocatis autem iis quorum & erga Deum, & erga Regem fides constiterat, bellum denique apertum hæreticis indiceretur. Itaque ut in seminibus arborum causſa est: ita omnium, quæ postea in Gallia pro religione fortiter ac feliciter gesta sunt, illa legatio caput ac principium fuit. Illud autem admirabile est, quod cum alii gravissimi & prudentissimi homines, toto, quod ajunt, cœlo in illius negotii tractandi ratione ab eo dissentirent, ipse adversus aliorum

omnium ſententiam ſuo unius conſilio uſus, ipſo rerum exitu docuit, multo ſe quam illos plura vidiſſe, multoque prudentius cogitaſſe. Vellicabatur interea invidorum ſermonibus, ac rumuſculis, qui modo patientiam illius ac lentitudinem reprehendebant, modo etiam quædam ab eo, optimo animo, & ſapientiſſimo conſilio facta in deteriorem partem interpretabantur. Quos ille deſpiciens, & operi propoſito conſtanter inſtans, eorum maledicentiam ipſo rerum exitu ita refutavit, ut veriſſime de eo dici illa poſſint:

Unus homo nobis cunctando reſtituit rem:
Non ponebat enim rumores ante ſalutem,
Ergo magisque magisque viri nunc gloria claret.

Sed in hac temporis anguſtia multa breviter attingenda ſunt, quæ ſingula integros libros deſiderarent. Atque hæc quidem, quæ hactenus dixi, ad declarandam ipſius prudentiam pertinent. Quid? cæteræ virtutes, quales in eo, & quam ſingulares fuerunt? Quis unquam illo in tota ratione vivendi ſplendidior ac magnificentior fuit? Quæ in Gallia, quæ in Italia, & quam ſumtuoſa ædificia extruxit? Quam multa ingenioſe & ſolerter excogitata ab antiquis, ſed poſtea per poſterorum ignaviam, oblivione obruta, quaſique ſepulta revocavit? quam multos egregios artifices ad nova excogitanda propoſitis præmiis excitavit? quis unquam Princeps, quis Principis alicujus legatus, quis denique magnus, clarusque vir apud eum diverſatus eſt, quin ſibi non a ſplendido Cardinali, ſed a præpotenti aliquo rege exceptus videretur? Et interea in pauperes, & egentes homines, quam liberalis ac munificus fuerit, ſcitis ipſi, cives Tiburtes, qui, ut illa perpetua & quotidiana taceantur, meminiſtis, eum quotannis, cum morbi, ut fit, æſtate in vulgus graſſarentur, quotidie mittere ſolitum, qui omnes ægrotantium domos circumirent, neque eorum quæ aut ad valetudinem

dinem recuperandam, aut ad alendum interea familiam necessaria essent, quidquam eis deesse paterentur. Meminimus & ipsi, ut se hac quoque in parte legatus in Gallia gesserit, cum quicquid pecuniæ ex legatione provenerat, nummum ex eo nullum attigit, sed totum in pauperes erogandum distribuendumque mandavit. Eruditos autem, & excultos litteris homines, nemo unquam amavit ardentius, nemo plures domi habuit, nemo largius aut prolixius fovit. Horum disputationibus epulas suas condiebat, in eis audiendis, quicquid a gravioribus curis dabatur otii, studiosissime collocabat. Jam & in eos, & in omnes domesticos, ac familiares suos tanta erat facilitate ac comitate, ut communis videretur omnium parens. Cum eis familiarissime colloquebatur, urbanissime jocabatur; peccantes paterna potius charitate, quam herili potestate atque imperio corrigebat. Nullius autem rei æque facile obliviscebatur, atque injuriarum. Scimus quicunque cum eo paulo familiarius viximus, multos, a quibus ipse pro summis beneficiis summas injurias retulerat, cum eos sine ulla molestia, arbitratu suo posset ulcisci, novis postea beneficiis auctos ab eo, & cumulatos fuisse. Pietatis autem, & religionis in Deum, & plurima toto reliquo vitæ tempore, & certissima ac luculentissima testimonia morti proximus dedit. Qui cum sibi hac vita migrandum esse sentiret, nihil territus, sacerdotem arcessi jussit, cui peccata sua ita confessus, ut eorum vere se, atque ex animo pœnitere omnemque spem sibi in divina bonitate, ac misericordia constitutam esse ostenderet, interjectis aliquot horis sacrosanctum Domini nostri Jesu Christi corpus religiosissime accepit. Inde cum testamentum, nisi quantum certorum hominum invidia impediit, benevolentiæ, ac charitatis erga omnes suos plenissimum condidisset; posteaque viribus magis ac magis deficientibus

entiqus ſacro oleo, adhibitis, ex ritu Chriſtiano, precibus, inunctus eſſet: languida & moribunda voce ex Davidicorum Pſalmorum verſibus, qui interea recitabantur, cum plura non poſſet, extrema ſaltem quæque verba pronuncians, cum incredibili eorum omnium, qui aderant, dolore extremum Deo ſpiritum reddidit. O me infelicem, quanto mihi res ſecus cecidit, quam a principio cogitaram! Brevis enim hæc virtutum ipſius commemoratio, quam mihi levationi fore ſperaveram, ea mihi pectus effodit, ea vulnus adegit altius, ea dolorem dolore cumulavit. Quid aliud agere poſſumus, quicunque tali patrono orbati ac deſtituti ſumus, quam ut lugeamus, ut modis omnibus teſtemur dolorem noſtrum, ut quod vitæ reliquum eſt in mœrore, ac lacrymis tranſigamus? Immo vero aliud & poſſumus, & debemus. Quamvis enim qui tam pie, tamque Chriſtiane & vixerit, & diem ſuum obierit, eum Cœlo jam receptum eſſe ſperandum eſt: quia tamen rari admodum ita puri egrediuntur ex corporis vinculis, ut non eis pœnarum aliquid poſt mortem luendum ſuperſit; earumque tum aliis piis actionibus, tum præcique fuſis ex animo precibus, & tempus contrahi, & ardor mitigari poteſt: facere omnes omnia debemus, ut ei modis omnibus ſopitulemur. Agite igitur quicunque Hippolytum Cardinalem Ferrarienſem & vivum amaſtis, & mortuum amatis, conjungite mecum preces veſtras, & ſublatis in cœlum manibus ac mentibus liberationem ipſius ex loco, purgandis poſt mortem animis deſtinato, ſi forte ibi adhuc detinetur, a Deo optimo maximo efflagitate! Nullius enim mortuo auxilium deſit, cujus vivi nulli unquam auxilium defuit. Chriſte Jeſu, humani generis conditor, & aſſertor, qui nos alios pro aliis orare voluiſti, qui tuorum preces nunquam irritas fore pollicitus es, reſpice hanc multitudinem afflictam,

ac

ac dolore confectam, & per illa vulnera, quæ pro nobis pertulisti, per illum sanguinem, quem pro nobis in ara crucis effudisti, per illam mortem ignominiæ plenam, quam pro nobis sponte subiisti, tribue hoc nostris omnium concordibus votis, ut famulum tuum Hippolytum Cardinalem Ferrariensem a pœnis, si quibus adhuc obnoxius est, liberatum, eum in locum quam primum perducas, ubi æternis tecum gaudiis perfruatur. Ite domum, cives Tiburtes, nunciate liberis vestris, nunquam neque ipsos, neque ipsorum liberos cujusquam majoris, aut omni ex parte præstantioris Cardinalis exequias esse visuros.

In funere Joannis Episcopii Militiæ Melitensis Magni Magistri.

ORATIO XXVI. (alias XXI.)

PRæclare a vobis & ex dignitate vestri ordinis factum est, nobilissimi & fortissimi milites, quod optimo Principi Joanni Episcopio, Magno sodalitatis vestræ Magistro, funus quibuscunque potuistis rebus ornatissimum ampliſſimumque duxistis, quodque & pietatis in eum vestræ, & doloris, quem vobis mors ipsius objecit, plurimas maximeque luculentas significationes dedistis. Quamquam enim ille & ea tum manu, tum consilio gesserat, & ad eos honores virtute pervenerat, ut abunde ad gloriam vixisse videretur; & eo progressus erat ætatis, ut a vita tanquam ex arbore, non per vim evulsus, sed suo tempore ipsa maturitate collapsus esse videatur: quorum tamen vita quo diuturnior, eo publice utilior visa est, eorum mors nunquam non acerba & immatura videri potest. Sed quando parens ac procreator rerum omnium Deus universum hominum genus eadem mortalitatis lege devinxit, ostensaque si per ipsius præcepta gradiamur,

certa spe melioris vitæ, commorandi nobis hic diversorium, non habitandi dedit: grates ei potius agere debetis, quod talem vobis Ducem ac Rectorem dederit, quodque vos illius virtute ac bonitate tam diu frui voluerit, quam iniquiore animo ferre, quod eum quanquam viridi & cruda senectute, consumptis tamen corporis viribus, tot laboribus, periculisque jactatum, ex hoc inquieto ac turbulento salo, in illum, ut quidem spes est, placidissimum portum perpetuæ quietis ac tranquillitatis eduxerit. Nemo eo animo navigat, ut semper naviget; nemo militare dixit, ut nunquam militare desinat; nemo ea mente laborem suscipit, ut alios ex aliis labores perpetuo excipiat: sed & qui navigat, portum, & qui militat, victoriam, & qui laborat, quietem atque otium spectat; quo qui pervenere, gratulari eis amici, non dolere illorum vicem solent. Vita hæc jactationis ac periculi plena navigatio est; militia omni ærumnarum ac laborum genere exercita; inexhausta molestiarum undique succrescentium seges: quam ut quisque optime novit, ita minimi facit; quam is demum tutissime possidet, qui de ea, cum Deus voluerit, ponenda sæpissime cogitat; quæ neque stultis unquam longa est, neque sapientibus brevis. Non ut in ea diu maneamus, sed ut ex ea feliciter exeamus, optandum est. Nunquam viveremus, si hic perpetuo viveremus. Et tamen non tantum venia tribuenda est illis lacrymis, quas obitus majorum virtute præstantium ex illorum, qui cum eis conjuncte amanterque vixerunt, oculis elicit, sed etiam laudanda ac deprædicanda eorum pietas, qui, quacunque ratione possunt, funera ipsorum ornare & cohonestare conantur. Nam & se, quibus artibus illi floruerunt, earundem studio flagrare declarant, & cæterorum animos ad cupiditatem ejusdem gloriæ inflammant. Quæ cum a vobis abunde & cumulate Joanni Episcopio præstita sint, nondum

dum tamen vestræ in eum pietati satisfactum esse duxistis, nisi existeret aliquis, qui hodierno die publice verborum aliquid faceret: ne quid omnino, quod ad exornandam ac celebrandam ipsius memoriam a vobis prætermissum diceretur. Id munus quum a me potissimum obiri volueritis, parebo voluntati vestræ, & summa tantum capita strictim ac modice attingam, laudes ipsius brevi ac perspicua oratione complectar. Primum igitur ex sodalitatis vestræ legibus, atque institutis, certissimum ac firmissimum argumentum capere posse videor, quo eum, & antiquo ac nobili ortum genere, & eximia quadam minimeque vulgari virtute præditum fuisse confirmem. Nam cum legibus vestris cautum sit, ne quis in ordinem vestrum admittatur, quin prius eum & æque ab atavis & paterna & materna stirpe nobilem esse liquido constiterit: quis est, qui cujus in pectore aut in humero candidam illam crucem, vel amentum atque insigne ordinis Hierosolymitani, videat, quemque suffragii jus habere in comitiis vestris sciat, de illius nobilitate dubitare amplius possit? Eodemque modo de virtute argumentari licet. Nam cum in mandandis honoribus in eoque præsertim deligendo, qui vobis summo cum imperio præsit, nullius rei præterquam cognitæ spectatæque virtutis rationem habere soleatis: dubitari de Magni Magistri virtute non potest, quin eadem opera de vestra in ferendis suffragiis fide ac religione dubitetur. Sed hæc quidem, quanquam magna sunt, huic tamen cum multis aliis communia sunt. Illa propria, quod septemdecim annos natus, (quæ ipsa ætas Romanis olim moribus ad auspicandam militiam constituta erat,) cum immanissimus hostis Rhodum ita obsessam teneret, vix ut illius servandæ spes jam amplius ulla supereset: generoroſus adolescens, cui virtus & pietas tenerum pectus acribus stimulis perpetuo foderent, re-

licta patria, relictis suis, iter ingressus est, eo animo, ut cum Rhodum venisset, aut opis aliquid pro virili parte afferret obsessis, aut cum eis adversus barbaros dimicans, juvenili sanguine Christo humanæ salutis auctori litaret. Quo in itinere Messanam advectus, cum conscensa triremi adversis usus tempestatibus, cursum tenere nequiisset, venit interea in Siciliam, amissa Rhodo, vir æterna memoria dignissimus Liladamus vestræ sodalitatis illo tempore Magister: qui adolescentuli virtutem efferentem se, & foras emicantem admiratus, adactum sacramento, & cruce candida ornatum, ritu vestro inauguravit, posteaque cum Romam, cum in Galliam, cum in Hispaniam, cum in Melitam proficisceretur, nunquam a latere suo discedere passus est. Quid virtutis, quid constantiæ, quid militaris disciplinæ ex assiduo ac diuturno talis viri contubernio avidissimum per se omnis honestatis juvenem hausisse credendum est? Mortuo Liladamo alumnus illius disciplinæ Episcopius totos sexaginta annos ita in cœtu vestro versatus est, nulla ut interea adversus hostes Christiani nominis expeditio suscepta sit, cui ipse non interfuerit, in qua egregiam operam Reipublicæ non navaverit; in qua non ita se gesserit, ut semper inter paucos singularis ipsius virtus emineret. Testatur illius virtutem Peloponnesus; testatur Africa: quæ illum, altera in Methones, Cononeſ, Naupacti; altera in Tunetis & Turris Regiæ expugnatione, & in illo calamitoso Cirtensi prælio spargentem in hostes funera, nec illorum nec suo sanguini parcentem viderunt. Sed & postea, cum in Gallia esset & Melitam obsideri audiisset, tanta celeritate, ut evolasse eum, non iter fecisse diceres, per mediam hostium classem cum aliquot militibus, quibus ipse præerat, in Insulam magno cum periculo, sed majori etiam hostium admiratione penetravit. Multa properanti præ-

prætermittenda sunt, quæ vel singula, nisi copia obstaret, satis amplam ad dicendum materiam suppeditare possent. Dandis igitur assiduis industriæ virtutisque documentis, & multis maximi momenti publicis muneribus, fortiter, prudenter, feliciter obeundis, ita sibi conciliavit omnium animos, ut qui maximus honos suffragiis vestris deferri potest, anno post salutem hominibus restitutam 1572. pridie Kalend. Februarii sine ullo ambitu absens communi consensu delectus sit, qui summam potestatem in universam sodalitatem obtineret. Quo ex tempore patentiorem campum exercendæ virtutis suæ nactus, ita implevit omnes boni principis numeros, ut vestram in eligendo sapientiam, ipsius in regendo sapientia comprobarit. Nam ut a cultu divini Numinis principium ducam, quod fundamentum omnis virtutis est, nunquam ille ullum diem abire passus est, quo non rei divinæ interesset, quo non ipse manibus suis cibum tredecim egenis hominibus porrigeret ac ministraret. Templum etiam pecunia sua amplissimum & ornatissimum extruxit, sacerdotibusque, qui rem divinam quotidie in eo templo facerent, mille ducentos aureos nummos annuos adtribuit, ibidemque in monumento pulcherrimo eorum, qui ante se in eodem magistratu fuerant, corpora condidit ac collocavit. Et pietas igitur ipsius, & magnificentia cum ex eis, quæ dixi, tum e multis ejusdem generis aliis percipi potest. Quid ego nunc comitatem, affabilitatem, humanitatem prædicem? quæ tanta erat, ut neminem aut aspectu, aut colloquio suo arceret, omnium postulata libenter cognosceret, nihil justa petentibus denegaret. Si quid negare cogebatur, ea tamen utebatur lenitate sermonis, ut eos quoque, quibus negabat, æquos a se placatosque dimitteret. Liberalitatem autem ipsius multis & privatim & publice salutarem fuisse constat: nam & suis opibus

multorum inopiam sublevavit, & viduarum, ac pupillorum quasi communis parens fuit, & multas virgines, multasque mulieres honesto loco natas, quæ propter paupertatem, conditionem reperire non poterant, dote de suo data collocavit. Quin etiam cum intelligeret a multis inhonestis mulieribus filias aliquas, cum adolevissent, in eandem turpitudinem sibi constituerent: occurrendum manifesto periculo ratus, puellas tota insula conquiri ac comprehendi jussit, & in extructum a se ejus rei caussa cœnobium includi, ut illic sancte ac pudice educatæ, suo tempore, aut perpetuam virginitatem Deo vóverent, aut nuptum, si ita mallent, traderentur. Quid jam Xenodochia, Nosocomia, Orphanotrophia ab illo vel instituta vel reditibus aucta commemorem? Vox me citius, aut dies, quam materia deficiat, si singula persequi vellem. In annonæ vero difficultate, sæpe magnam vim pecuniæ egentibus tradidit, sæpe cum magnam frumenti copiam e remotis locis comportandam curasset, eodem illud pretio distribuit, quo ibi, unde adductum erat, vendebatur. Injuriam vero neque facere ipse, neque eos, qui facerent, perpeti poterat. Judex insontibus optabilis; iis, qui vel per errorem, vel metu aliquo ac calore animi deliquissent, placabilis; in eos, qui certa & obstinata malitia ac pravitate peccassent, plane inexorabilis. Qua severitate simulque aliis quibusdam, quæ silentio involvere satius duco, (neque enim ita eum laudare institui, ut cujusdam errata detegam,) cum in se nonnullorum odia concitasset, effectum est, ut propter quasdam suspiciones, exacta jam ætate, Romam a summo Pontifice vocaretur. Sed ut exoriente sole nebulas dissipari & evanescere videmus: sic ipso adventante omnes illæ nubeculæ suspicionum evanuerunt. In urbem igitur ingressus est eo concursu omnium ordinum, ea pompa & celebritate, cum

ipse

ipse etiam Pontifex eum quam honorificentissime excipi jussit, ut non ad dicendam caussam venire, sed jam tum pulcherrimum de obtrectatoribus suis triumphum agere videretur. Divertit ad illud decus, & ornamentum amplissimi ordinis Aloysium Cardinalem Estensem, qui, ut sanguine regio editus animo plane regio præditus, eo cultu atque apparatu, dignitatis ac venerationis plenissimum senem apud se habuit, ut admiratio etiam eos caperet, qui, quæ in aliis admirabilia videntur, ea Cardinali Estensi usitata & quotidiana esse noverunt. Itaque interdum auditus est optimus senex, cum jocans (ut secura innocentia est,) diceret, magnam se gratiam debere obtrectatoribus suis: illorum enim opera sibi eos honores Romæ habitos, quos ipse nunquam optare ausus esset; plus multo eos sibi profuisse odio, quam obsequio prodesse potuissent. Ergo cum eum tota civitas in sinu atque oculis ferret; cum quacunque incesserat, quasi exemplum quoddam antiquæ virtutis ac probitatis spectaculo esset; cum eum Pontifex libenter audiret, libenter videret, eximia quadam caritate complecteretur: dolore lateris correptus & intra paucos dies absumptus est, tam placide ac leniter, tanta cum testificatione pietatis Christianæ, ut magnam spem omnibus fecerit, non tam illam mortem, quam migrationem ex mortalitate ad immortalitatem fuisse. Quem enim paulo ante iis, a quibus graviter læsus erat, agnito errore veniam petentibus, tam facile ignovisse meminimus; ejus quoque peccatis facile a divina bonitate ignotum esse confidimus. Quod si quid, ut humana fragilitas fert, in ipso vitæ exitu expiandum adhuc eluendumque superfuit: certo speramus fore, ut tam multis Ecclesiæ precibus, tam multis eleemosynis, tam multis oblationibus & tempus pœnæ contrahatur, & ardor mitigetur. Nunc vos milites fortissimi, qui

qui & vivum tantopere amastis, & ereptam tam multis honoribus prosecuti estis, unum etiam quiddam illius nomini ac memoriæ tribuite, idque non me, sed ipsum vivum adhuc & spirantem a vobis petere existimate. Fuit antiquitus apud multos consuetudo, quæ quisque vivus maxime amaverat, ea cum illo mortuo, aut cremandi aut sepeliendi. Vos contra facite. Quæ magnus hic non sodalitatis modo vestræ, sed virtutis & officii magister carissima, dum vixit, habuit, ea ut perpetuo conservetis, operam date. A quibus autem illum toto animo abhorruisse scitis, eorum reliquias omnes eodem, quo ille tegitur tumulo, condite, eorum fibras elidite, semina extinguite. Amavit ille cum alia honesta omnia, tum concordiam in primis, & animorum consensionem: intestina autem odia, & discordias ac dissensiones semper capitales Reipublicæ pestes judicavit. Agite igitur viri fortissimi, flores ex omni Christiana nobilitate delecti, columina virtutis, terrores Turcarum, firmamenta ac propugnacula Christianorum, deponite omne studium contentionis, delete omnem memoriam offensionum, consentientibus ac conspirantibus animis ad defensionem Christianæ religionis incumbite; omnem iram, omne odium, omnem ulciscendi cupiditatem in hostes illius effundite, quæ tam multis hodie tamque sævis tempestatibus agitata, in vestra virtute, si concordes sitis, non minimum sibi esse præsidium putat. Sepelite cum illo mortuo ea, quæ ut in perpetuum sepelirentur, sepeliri jam pridem ipse voluisset. Dissensionibus enim maxima imperia labefactantur ac corruunt: mutuæ charitatis vinculo etiam, quæ per se parum firma sunt, continentur.

Index

INDEX ORATIONUM VOLUMINIS I.

I. De dignitate ac præstantia Studii Theologici. pag. 1

II. De laudibus litterarum. 11

III. De utilitate ac præstantia litterarum humaniorum, adversus quosdam earum vituperatores. 22

IV. De Philosophiæ & eloquentiæ conjunctione. 34

V. Pro Francisc. II. Galliarum Rege ad Pium IV. Pontif. Max. 46

VI. Pro Antonio Rege Navarræ ad eundem. 55

VII. De moralis Philosoph. laudibus, cum eam docere inciperet. 65

VIII. De moralis Philosophiæ necessitate, cum in ea docenda progrederetur. 75

IX. De Justitiæ laudibus, cum quintum librorum Ethicorum Aristotelis inchoaret. 85

X. De sui cognitione, deque omnibus humani animi facultatibus, cum sextum librum Ethicorum Aristotelis inchoaret. 96

XI. Pro Alfonso II. Duce Ferrar. ad Pium IV. Pontif. Max. 110

XII. Pro eodem Alfonso ad Pium V. Pontif. Max. 115

XIII. Pro Carolo IX. Rege Christianissimo ad eundem. 124

XIV. Pro Sigismundo Aug. Rege Polon. ad eundem Pium V. 137

XV. De toto studiorum suorum cursu, deque eloquentia ac cæteris disciplinis cum Jurisprudentia conjungendis. 151

XVI. Cur ad munus docendi, quo se sponte abdicaverat, revocatus sit. pag. 158

XVII. De Doctoris officio, deque modo Jurisprudent. docendi. 161

XVIII. De auctoritate & officio Judicum. 169

XIX. In reditu ad Urbem M. Antonii Columnæ post Turcas navali prælio victos. 180

XX. In funere Pii V. Pontif. Max. 190

XXI. De via & ratione ad eloquentiæ laudem perveniendi, cum secundum Tusculanarum exponere inciperet. 200

XXII. Pro Carolo Galliarum Rege Christianissimo ad Gregorium XIII. Pontif. Max. 206

XXIII. De utilitate, jucunditate, ac præstantia litterarum. 214

XXIV. In funere Caroli IX. Gallorum Regis. 229

XXV. Pro Henrico III Galliæ & Poloniæ Rege ad Gregorium XIII. Pont. Max. 236

XXVI. In funere Pauli Foxii, Archiepiscopi Tolosani, Regis Galliarum Oratoris. 241

VOLUMINIS II.

* *Quibus præfixus est asteriscus, ea nunc primum accedunt.*

I. De mysterio Circumcisionis Dominicæ. 253

II. De S. Johanne Evangelista. 259

III. Cum Senecæ librum de Providentia interpretaturus esset. 263

IV. Cum explicare inciperet librum Platonis de optimo Reipub. statu: sive præfatio in primum Platonis de Rep. librum. 275

* cum annexo Proœmio quodam e Commentariis Mureti transcripto. 283

V.

V. Cum in Platone explicando progrederetur: sive Præfatio in secundum Platonis de Repub. librum. pag. 286

VI. Ingressurus explanare M. T. Ciceronis libros de officiis. 295

* VII. Cum librum III. Officiorum Ciceronis explanare inciperet. 302

VIII. Cum Aristotelis libros de arte Rhetor. explicare inciperet. 304

* cum annexo Procœmio quodam. 310

IX. Cum pergeret in eorundem Aristotelis librorum de arte Rhetorica interpretatione. 312

* X. Cum expositurus esset orationem Ciceronis pro rege Dejotaro ad C. Cæsarem. 319

* XI. Auspicaturus librum II. Rhetoricorum Aristotelis. 323

XII. Explicaturus libros Aristotelis de Republ. 329

XIII. Interpretaturus C. Sallustium de Catilinæ conjuratione. 336

XIV. Cum explanaturus esset Æneida Virgilii. 347

XV. Aggressurus Satyram XIII. Juvenalis. 353

XVI. Cum Annales Taciti explicandos suscepisset. 357

XVII. In eodem argumento. 365

XVIII. Cum perveniisset ad Annalium librum III. 378

XIX. Cum interpretari inciperet Epistolas Cicer. ad Atticum. 384

XX. Repetiturus libros Aristotelis de moribus. 394

* XXI. Cum in lib. I. de moribus Aristotelis perveniisset ad locum c. 3. quo juvenis negatur idoneus esse Auditor politicæ. 405

*XXII. Cum in eodem libro I. progressus esset usque ad caput 6. ubi mentio est Idearum Platonis. pag. 409

XXIII. In studiorum instauratione. De via ac ratione tradendarum disciplinarum. 416

XXIV. Ad Cardinales, cum subrogandi Pontificis causa conclave ingressuri essent. 422

XXV. In funere Hippolyti Cardinalis Estensis. 429

XXVI. In funere Joannis Episcopi, Militiæ Melitensis Magni Magistri. 437

FINIS PART. I.

Ural. 26. collec. in matrimon.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn862961815/phys_0535
DFG


Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn862961815/phys_0536
DFG

x per illa vulnera, quæ pro
um ſanguinem, quem pro
fudiſti, per illam mortem
am pro nobis ſponte ſubiiſti,
ium concordibus votis, ut
tum Cardinalem Ferrarien-
adhuc obnoxius eſt, libe-
quam primum perducas,
iis perfruatur. Ite domum,
liberis veſtris, nunquam ne-
n liberos cujusquam majoris,
præſtantioris Cardinalis
eſſe viſuros.

---

s Epiſcopii Militiæ
lagni Magiſtri.

VI. (*alias XXI.*)

dignitate veſtri ordinis fa-
i & fortiſſimi milites, quod
oanni Epiſcopio, Magno
tro, funus quibuscunque
ium ampliſſimumque duxi-
s in eum veſtræ, & dolo-
pſius objecit, plurimas ma-
ficationes dediſtis. Quam-
n manu, tum conſilio geſſe-
tute pervenerat, ut abunde
etur; & eo progreſſus erat
n ex arbore, non per vim
e ipſa maturitate collapſus
amen vita quo diuturnior,
, eorum mors nunquam
videri poteſt. Sed quando
am omnium Deus univer-
em mortalitatis lege devin-
pſius præcepta gradiamur,

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn862961815/phys_0537
DFG